DE GRATIA CHRISTI

IN I-II PARTEM SUMMAE THEOLOGICAE

S. THOMAE AQUINATIS

a q. CIX ad q. CXIV

AUCTORE

RICHARDO TABARELLI

in Pontificio Seminario Romano theologiae profess.

ROMAE
M. BRETSCHNEIDER LIBRARIUS EDITOR
Via del Tritone, N. 60

M. DCCCC. VIII

DE GRATIA CHRISTI

IN I-II PARTEM SUMMAE THEOLOGICÆ

DE GRATIA CHRISTI

IN I-II PARTEM SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMÆ AQUINATIS

a q. CIX ad q. CXIV

AUCTORE

RICHARDO TABARELLI

in pontificio seminario romano theologiæ profess:

ROMAE

M. BRETSCHNEIDER LIBRARIUS EDITOR

Via del Tritone, N. 60

MDCCCCVIII

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

† Ioseph Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

INDEX

DE GRATIA CHRISTI

(S. Thom., *Summa Theol.*, I-II, q. 109-114).

Prolegomena.

I. Tractatus argumentum. — II. Praestantia et difficultas. — III. Notio entis supernaturalis. — IV. Notio generica gratiae. — V. Gratiae theologicae technicus conceptus. — VI. Divisio generica gratiae et tractatus distributio. — VII. Errores praecipui. — VIII. Schema litteraturae.

I. *Tractatus argumentum.* Creaturae rationali duplex a Deo finis praestitutus est *naturalis* et *supernaturalis:* ille respondens exigentiae et perfectioni suae naturae, iste hanc exigentiam excedens. Creator enim hominem condens nedum ipsum iis physicis et spiritualibus facultatibus ditavit quibus et bona suae naturae corporeae et rationali consentanea consequi posset, et ipsum Deum primum Verum et summum Bonum ex creaturis analogice cognoscere eique servire amando valeret; sed illum etiam ad capacitatem *visionis beatificae,* seu intuitionis et possessionis spiritualis divinae essentiae ut in se est, elevavit. Qui finis cum excedat proportionem cuiuslibet naturae creatae, seu sit absolute *supernaturalis*, necesse fuit ut homo iis facultatibus et auxiliis supra naturam a Deo donaretur, quae huic fini proportionata forent, seu quibus hunc finem congrue adipisci posset. Hae vires, haec subsidia, haec dona generali et theologice technico vocabulo *Gratia* nominantur, eaque argu-

mentum constituunt nostri tractatus, qui a S. Thoma inscribitur: *De exteriori principio humanorum actuum,* prout hi ordinantur ad ultimi finis consecutionem.

Cum autem primus homo Adam ex hoc supernaturali ordine, peccans, deciderit, sibique et toti generi humano dona supernaturalia amiserit, *novus homo Christus Jesus Unigenitus Dei Filius* caro factus, morte sua ordinem lapsum reparavit superabundanter auxilia et dona illa supernaturalia instaurando, quibus homo iterum visionem Dei intuitivam nancisci possit. Haec auxilia et dona propria ratione *Gratia Christi,* vel *Gratia Dei per Christum* dicuntur.

Quidam equidem theologi, ii praesertim qui existimant Incarnationem futuram fuisse independenter a praevisione peccati Adae, opinantur Christum gratiam et dona supernaturalia meruisse etiam Angelis et Adae innocenti. Ab his consequenter etiam gratia primitus collata vocatur *Gratia Christi,* vel per *Christum* (1).

Alii tamen plurimi, et praesertim *thomistae,* qui tenent vi praesentis providentiae decretum Incarnationis subsequi praevisionem peccati protoparentum, apprime distinguunt inter *Gratiam Christi* et *Gratiam Dei.* Haec angelis et Adae innocenti *gratuito prorsus* a Deo collata fuit independenter a *meritis Christi;* illa homini lapso datur *intuitu meritorum* Christi (2).

Ceterum animadvertere iuvat hanc distinctionem inter Gratiam Dei et Gratiam Christi etiam in sententia illorum qui volunt Incarnationem decretam fuisse nulla habita ratione praevisionis lapsus Adae adhuc valere. Gratia enim, quae a Christo *Redemptore* per suae passionis merita est parta, et homini lapso et indigno ad eius etiam vulnera *sananda* confertur, potiori saltem titulo *Gratia Christi* dicenda est.

II. *Praestantia* tractatus dignoscitur praecipue ex dignitate obiecti circa quod versatur. Iam vero inter omnia dona quibus Deus creaturam rationalem ditavit, nullum praestantius

---

(1) Cf. Suarez, *De Inc.*, disp. 42, sect. 5.
(2) Cf. Gonet, *Clyp. theol. De Inc.*, disp. 11, art. 4.

atque ut ita dicam divinius, quam gratia, quae est huius tractatus obiectum. Per gratiae enim donum natura rationalis supra se ipsam elevatur atque divinae naturae *ut in se est* assimilatur vel *formaliter,* vel saltem *dispositive*, et ad aeternam beatitudinem, quae in divinae essentiae visione consistit, ordinatur.

Difficultas iam inde tractationis etiam apparet. Gratia enim spectat: a) ad *ordinem entium spiritualium,* hinc ad ordinem metaphysicum, cuius consideratio semper complexa est; b) ad *ordinem entium supernaturalium; hinc non solum sensuum experientiam, sed vim etiam rationis* supergreditur, ita ut nedum eius essentia, sed exsistentia quoque sola fide nobis innotescat. et licet in se ea sit maxime realis, a nobis tamen per quosdam vix effectus agnosci potest. Haec impervia obscuritas praecipue versatur circa vim gratiae internam, eius operandi modum, distributionis mensuram, eiusdemque cum humana libertate concordiam. Quapropter, si sacrae doctrinae discipulo humilitas mentis et cordis, atque studium orandi supremum *Patrem luminum* semper praesto esse debent, in hoc tractatu addiscendo quam maxima necessaria sunt; *humilibus enim Deus dat gratiam et intellectum dat parvulis.*

III. *Notio entis supernaturalis.* Cum itaque gratia sit ens supernaturale, huius notio de qua uberius in processu tractatus, paucis innuenda est. – 1. *Supernaturale* opponitur *naturali,* quod excludit. Iamvero *naturale,* omissis aliis huius vocis acceptionibus, proprie dicitur id omne quod naturam creatam *constituit,* vel eam *consequitur,* vel eius *viribus fieri potest,* vel demum ad eius *conservationem et perfectionem exigitur.* Sic v. gr. essentialiter, seu *constitutive* naturales sunt homini anima rationalis et corpus; *consequenter* naturales sunt facultates et operationes vitae spiritualis et sensitivae; *exigitive* naturalia dicenda sunt ea omnia, quae sunt media ad huius duplicis vitae conservationem, vel ad eius perfectionem necessaria, licet extrinseca sint ut alimenta, etc. Hinc supernaturale est omne ens, quod non pertinet ad naturam creatam neque *constitutive,* neque *dynamice* seu *virtualiter,* neque *exigitive,* sed est naturae superadditum et omnino *indebitum.*

2. Ens autem supernaturale vel tale est *ex se* per *suam essentiam*, vel est *participative.* Ens per suam essentiam supernaturale est Deus *ut est in se*, seu in sua infinita atque beatissima essentia, qua omne ens creatum, vel creabile absolute transcendit; non igitur est Deus quatenus est *auctor naturae* a nobis ex creaturis cognoscibilis. Ens vero supernaturale *participative*, est omne donum creatum, quod naturae vires et exigentiam excedit. Hinc nequit esse substantia aliqua completa, sed est accidens, ut suo loco dicetur.

3. Ens participative supernaturale, vel est *tale simpliciter*, vel *secundum quid, hoc est relative et quoad modum. Simpliciter* supernaturale dicitur quod exigentiam et facultatem transcendit *omnis natarae creatae vel creabilis.* Supernaturale autem *secundum quid* vocatur tum quod est *relative* tantum supernaturale, idest quod praetergreditur exigentiam unius, vel alterius creaturae, tum quod tali determinatae creaturae est quidem *indebitum* et supra eius facultatem, attamen si ei *gratuito* conceditur eam perficit intra finem et operationes suae naturae proportionatas. Sic v. gr. modus cognoscendi, qui connaturalis est angelo, supernaturalis est prae modo cognitionis qui proprius est hominis. Item immunitas a concupiscentia et immortalitas sunt dona naturae humanae indebita quidem, sed si ipsi superaddantur eam intra ordinem suae naturae maxime perficiunt. Haec entia dici solent *praeternaturalia* (1).

4. Iamvero *gratia*, de qua agendum erit, ad *entia simpliciter* supernaturalia pertinet, atque inter ea enitet. *Donum* enim *gratiae* ut loquitur S. Thomas, *omnem facultatem naturae creatae excedit, quum nihil aliud sit, quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam* (2). Per hoc namque donum creatura rationalis *divinae consors effecta naturae* ius atque capacitatem radicalem adquirit exercendi actus vitales

---

(1) De Conceptu et quidditate entium supernaturalium eorumque divisione cf. MARTINEZ DE RIPALDA, *De Ente super.* Disp. IV, sect. 1-4, disp. V, sect. 1-2.

(2) S. THOM., I, II. q. 112, a. 1.

qui sunt proprii unius Dei, idest videndi divinam essentiam *ut in se* est, eamque immediate possidendi, seu attingendi *directe et immediate*, quamvis finito modo, obiectum proprium et formale divini intellectus et divinae voluntatis; quae visio et possessio praecise excedunt omnem facultatem creatae cuiusque vel creabilis naturae. De hac notione fusius in processu tractatus.

IV. *Gratiae notio generice.* « Secundum communem loquendi modum, ait S. Thomas, tripliciter gratia accipi consuevit: uno modo pro dilectione alicuius, sicut consuevimus dicere quod iste miles habet gratiam regis, idest rex habet eum gratum: secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato, sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi; tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati, secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum » (1). *Active* gitur gratia benevolentiam seu favorem dantis significat: *formaliter* donum gratuitum, seu rem datam ex benevolentia, quae accipientem gratum efficiet; *consequenter* gratitudinis sensum. Haec tria ita inter se connectuntur ut « *secundum* (hoc est donum acceptum) dependeat a *primo* (seu a benevolentia dantis); ab amore enim quo aliquis habet alium gratum procedit quod aliquid ei gratis impendat: ex *secundo* procedit *tertium* (idest recipientis gratitudo) quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit » (2). Hic autem sedulo animadvertenda est diversa habitudo obiectiva, seu terminativa dilectionis Dei supremi omnium donorum datoris, et dilectionis donatoris creati. Dilectio namque Dei habet rationem *causae totalis* beneficii, seu doni a creatura recepti, quia omne bonum creaturae ex Dei voluntate provenit. Benevolentia autem largitoris creati semper praesupponit in eo cui fit beneficium aliquam bonitatem per quam iste amabilis appareat danti beneficium; quia voluntas creata movetur ex bono praeexsistente in rebus (3). Haec etiam ratio obiectiva quae reddit amabilem personam, ut v. g. pul-

---

(1) S. Thom., I-II, q. 110, a. 1.
(2) Ibid.
(3) Ibid.

chritudo, elegantia sermonis, etc., dicitur *analogice* gratia. In hoc tractatu agitur de gratia secundo sensu, seu formaliter accepta prout denotat donum ex benevolentia profectum, eaque sic graphice definitur ab Aristotele: « Gratia est secundum quam is qui possidet dicitur gratis dare ei qui indiget, non pro ulla re (idest non quasi aliquid ab ipso receperit) neque ut aliquid sit ei qui tribuit (idest ut commodum aliquod accipiat donans de dono suo), sed ut aliquid sit ei cui tribuitur (1). Ex quo apparet formale elementum conceptus gratiae, quam graeci χάριν appellant, esse *gratuitatem* doni. Hac significatione generica, gratiae nomen tribui potest omnibus etiam bonis naturalibus a Deo creaturis concessis. Haec enim sunt beneficia mere gratuita, cum Deus liberrimo consilio absque ullo suae perfectionis augmento creaturas produxerit.

V. *Gratiae conceptus theologice technicus.* Stricto tamen sensu, quo in hoc tractatu generatim sumitur, gratia denotat ea potissimum dona naturae creatae omnino indebita, per quae creatura rationalis disponitur et ordinatur ad ultimi finis supernaturalis consecutionem, hoc est ad Dei visionem; et sic describi potest: *Gratia est donum gratuitum et supernaturale a Deo creaturae rationali concessum intuitu meritorum Christi in ordine ad vitam aeternam*: Verba *donum gratuitum* exhibent genus proximum; *supernaturale in ordine ad vitam aeternam* indicant ultimam differentiam; *a Deo* causam efficientem; *creaturae rationali* (angelo et homini) subiectum; *intuitu meritorum Christi* causam meritoriam.

VI. *Partitio generica gratiae et tractatus divisio.* De diversis gratiae specibus infra agemus explicite (2). Hic adnotare sufficiat totum ordinem gratiae proprie dictae considerari posse, vel prout est *motio* Dei gratuita sive auxilium divinum, quo movemur ad bene volendum et agendum, vel prout est *donum*

---

(1) Ἔστω δὴ χάρις, καθ᾽ ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν δεομένῳ μὴ ἀντί τινός, μηδ᾽ ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι ἀλλ᾽ ἵνα ἐκείνῳ τι. Rhet. II. c. 7.

(2) Q. III (apud S. Th. 111).

permanens nobis divinitus inditum, quo formaliter sanctificamur. Gratia prout est *motio transiens* quae datur ad actum salutarem producendum dicitur *actualis;* prout vero est *dispositio stabilis,* seu donum permanens vocatur *habitualis* (1). Ex hac divisione communiter desumitur generalis tractatus partitio in gratiam *actualem* et in *gratiam habitualem*, quibus additur tertia pars *de merito*, quod a gratia habituali veluti a principio connaturali consequitur.

Nos nullimode hanc divisionem improbantes, ordinem tamen quem S. Thomas exhibet sequimur, qui universam de gratia doctrinam in *tres partes* distribuit, quae apprime respondent omnibus quaestionibus quae circa gratiam fieri possunt, nempe: *an et quid sit gratia; a quo sit; et quid operetur.* Itaque in prima parte agitur de gratia in se considerata; hinc de eius *necessitate* (q. 109); de *eius essentia* (q. 110); de *variis eius speciebus* (q. 111).

In secunda parte inquiritur quae sint *causae gratiae* (q. 112).

In tertia demum parte considerantur gratiae *effectus*, et primo quidem effectus gratiae prout ea est *operans*, qui est iustificatio impii tum dispositive, tum formaliter (q. 113); dein vero effectus eius prout eadem est principium operationis in iusto, seu prout est gratia cooperans, quod est *meritum* (q. 114).

VII. *Errores.* Errores circa gratiam, ii praesertim qui systematice ab haereticis propositi fuerunt, ab erroneis opinamentis circa primi hominis conditionem et circa naturam atque effectus peccati originalis dependent; gratia enim confertur per merita Christi ad instaurationem hominis lapsi in pristinum statum, et ad reparationem ruinae per noxam originis in humanum genus invectae. Igitur ad plenam intelligentiam haeresum contra gratiam, tum Ecclesiae doctrina de statu iustitiae originalis et de lapsu originis, tum errores qui huic doctrinae contrarii sunt revocandi forent. Nos tamen horum

---

(1) Haec denominatio gratiae *habitualis* primum occurrit apud Alex. Halensem Sum. Theol. III. q. 69, membr. 2, art. 1, post ipsum communis et classica effecta est.

omnium ampliori expositione supposita ex speciali tractatu de primigenio hominis statu et de peccato originali, errores tantum qui formaliter doctrinae gratiae adversantur prosequimur; ita tamen ut cum res postulabit, eorum nexum cum erroneo modo concipiendi originalem iustitiam innuamus. Huiusmodi itaque errores ad duas classes generales reduci possunt. Alii nempe ita extollunt naturae, qua talis, originalem perfectionem, eiusque connaturales vires ita evehunt, ut integrum gratiae supernaturalis ordinem destruant vel gratiae efficaciam minuant, vel eius supernaturalitatem deprimant atque omnimodam gratuitatem denegent. Alii ex adverso sic gratiae necessitatem et vim efferunt ut liberum hominis arbitrium exstinguant.

Ad primam classem pertinent (1):

1. *Pelagianismus* sic dictus a Pelagio monacho anglo seu scoto (Brito vocatur a S. Augustino et gente Britannus a Mario Mercatore) qui sub specie oppugnandi manichaeismi doctrinam de essentiali atque originaria pravitate materiae et cuiusvis naturae sensibilis, docuit (Romae initio saec. v) naturam nostram e contra esse omnino puram et a quavis originis noxa immunem (2).

---

(1) Huic classi merito accenseri possunt: *a*) Lucifer, cuius peccatum in eo fuit iuxta communem sententiam, ut propriis viribus beatitudinem supernaturalem consequi praesumserit. (Cf. S. Thom., p. I. q. 63. a. 3): *b*) Iudaei, praesertim rigidiores, scilicet Pharisaei et Esseni, qui sola opera legis mosaicae ad salutem necessaria omnibus gentibus putabant absque ullo gratiae supernaturalis auxilio. Hos Paulus Ap. praecipue in ep. ad Rom. et Gal. passim carpit.

(2) Inter praecursores Pelagii habentur Origenes et Theodorus Mopsuestenus. Ille a S. Hieronymo vocatur « pelagiani erroris princeps » et Pelagii doctrina dicitur Origenis *ramusculus* (ep. ad Ctesiph. P.L. XXII, 1152); iste ut verus Pelagii antecessor, utpote qui peccatum originale negaverit, habetur a Mario Mercatore (Cf. Praef. in lib. *Subnotationum* in Iul., P. L. XLVIII, 109). Citatur etiam quidam Rufinus, quem S. Augustinus appellat *Coelestii magistrum*, P. L. XXIV, 681. Hunc fuisse natione Syrum, et hinc alium a Rufino Aquileiense contra quem rem habuit S. Hieronymus plures affirmant (Cf. Natal. Alex., *Hist. eccl.* Dec. 4, c. 5, a. 32).

In haeresi pelagiana distingui possunt quatuor erroris capita, tres periodi seu phases et quintuplex fundamentum etiam erroneum. Erroris capita sunt: *a)* Non dari elevationem hominis ad ordinem supernaturalem; *b)* nullum esse peccatum originis; *c)* gratiam seu divinum auxilium supernaturale non esse necessarium ad recte perfecteque vivendum, et ad salutem adquirendam, sed sufficere liberum arbitrium; *d)* gratiam, si qua exsistat, nunquam esse *gratuitam*, sed semper dari ob merita praecedentia.

Phases, quas Pelagianismus percurrit sunt: *a)* Periodus *Deismi-rationalistici*, in qua vel nulla gratiae mentio occurrit, vel haec vox adhibetur ad significandam naturam, et liberum arbitrium, aliaque naturalia Dei beneficia, quae ex eo tantum gratiae nomen merentur, quia nullum ad ea meritum in creatura nondum exsistente, praecedit. *b)* Periodus *Pharisaismi* in qua gratia tantum *externa* admittitur, seu gratiae nomen assumitur ad designanda beneficia Dei *externa* praeter naturalia homini oblata, ut sunt *lex, doctrina et exempla* Christi; insuper conceditur *redemptio moralis* Christi ad actualium peccatorum remissionem. *c)* Demum periodus *semi-rationalismi christiani,* in qua etiam gratiae *internae* supernaturalis exsistentia quidem admittitur, sed tamen negatur tum eius *gratuitas,* eo quod pro meritis anterioribus semper conferatur, tum eius *necessitas,* cum ea datur tantum ad *actus salutares facilius* adimplendos.

Fundamenta quibus pelagianum systema innitebatur sunt: *a)* Lumen intellectuale rationali creaturae concessum esse potentiam de se aptam ad omne verum cognoscendum, et evolutione graduali ad ipsam essentiam Dei ut in se est attingendam. *b)* Peccati originalis transfusionem cum Dei iustitia minime componi posse. *c)* Necessitatem gratiae officere libero arbitrio. *d)* Providentiae divinae repugnare quin talia homini dentur praecepta, quae suis ipsis viribus adimplere non possit. *e)* Iustitiae Dei distributivae repugnare dari gratiam sine meritis praecedentibus, alioquin Deus foret personarum acceptor.

Pelagius sui systematis propugnatores praecipuos habuit

Coelestium patria incertum (1) qui a Mario Mercatore *auditorialis scholasticus*, idest forensis, seu advocatus vocatur: Iulianum Eclani (seu Eculani in Campania) Episcopum: (2) et Anianum Ecclesiae Celedensis diaconum.

Haeresis pelaganiana a pluribus Conciliis damnata fuit praesertim a Conc. Milevitano II (416) ab Innocentio I probato, et a Carthaginensi plenario (418) a Zosimo confirmato et solemniter promulgato per epistolam ad omnes Ecclesiae Episcopos, quae *tractoria*, seu tractatoria appellatur (3). Hac occasione Augustinus celebre dictum protulit: « *Rescripta ab Apostolica Sede venerunt. Causa finita est, utinam finiatur et error!* (4).

2. *Semipelagianismus.* Occasione, vel praetextu quorumdam verborum S. Augustini, quibus imminui videbatur liberi arbitrii robur, orta esse videtur Semipelagianismi doctrina qua proponebatur quasi dimidiatus pelagianismus. S. Prosper circa annum 429 ita ad Augustinum scribit: « *Multi servorum Christi,*

---

(1) Hunc tamen *campanum* fuisse coniicit GARNIER, *Diss.*, 1, c. 5.

(2) Cf. Norisium Hist. pelag. l. I. c. 18, ubi ab fragmento antiqui Codicis Vaticani ex opere Marii Mercatoris et ex Chronicon Prosperi ad consulatum Theodosii Aug. XVII omne fere dubium eximitur circa sedem episcopalem Juliani. Eclanum autem fuit urbs Hirpinorum, quae saec. XV ineunte civibus simul orbata fuit et sede episcopali, cuius iurisdictio ad sedem Abellinensem (Avellino) transiit. Cf. Diction. geogr. Baudrand. Parisiis, 1682.

(3) Cf. Canones horum Conciliorum apud DENZ. Ench. n. 64 sqq. Etiam Conc. Oecum. Ephesinum (431) can. 1 et 4 eos qui cum Coelestio (Pelagianismi per Orientem propagatore) sentiebant damnat.

(4) Contra Pelagii doctrinam strenue decertarunt: PAULINUS, Ecclesiae Mediolanensis diaconus in libello *adversus Coelestium*. P.L., XX, 711-732: OROSIUS. Presbyter hispanus in libro apologetico *contra Pelagium* P.L., XXXI, 1173-1212, et praesertim HIERONYMUS, AUGUSTINUS et MARIUS MERCATOR. Ad historiam Pelagii et Pelagianismi AUGUSTINI et MERCATORIS scripta, quae infra enumeramus, maxime conferunt. (Cf. PETAV. *De haer. pelag.*, c. 1 sqq.; MONTAGNE, *De Gratia*, in cursu compl. apud MIGNE, t. 10, pag. 164 sqq.; HERGENRÖTHER, *Hist. Eccl.*, vol. II, n. 107 sqq.: SCHEEBEN, *Dogm.*, vol. III, § 161; SCHWANE, *Dogmengesichte*, vol. II, § 67 et praesertim GARNIER in editione Marii Mercatoris, disp. I et sqq.).

qui in urbe Massiliensi consistunt in sanctitatis tuae scriptis, quae adversus Pelagianos haereticos condidisti contrarium putant Patrum opinioni, et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum, secundum Dei propositum disputasti » (1). Ceterum ipse Augustinus de se testatur aliquando errori pelagiano inhaesisse (2).

Auctores huius haeresis fuerunt praecipue Cassianus S. Victoris prope Massiliam abbas (3); Gennadius massiliensis (4); unde semipelagiani etiam massilienses dicuntur; Vincentius Lerinensis (5) et Faustus Rejensis Episcopus (6).

Hi ceteroquin pii viri, nequeunt haberi ut haeretici formales, cum ante doctrinae suae damnationem ab Ecclesia sancitam decesserint; quin imo Vincentius Lerin. sanctorum catalogo adnumeratur (7).

---

(1) Ep. 225 PL. XXXIII, 1002.

(2) De se dum adhuc presbyter erat declarat: « Nondum diligentius quaesiveram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiae, etc. ». II Retract. I, 1. PL. XXXII, 629. Et in libr. *De Praedest.*, c. 3. 7 (PL. XLIV, 964) scribit: « Quo praecipue testimonio (I Cor., 4, 7) etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia praeveniri ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non praecederet praeconium veritatis; ut autem praedicato nobis evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante episcopatum meum scripta ».

(3) Cassianus edidit librum XXIV *Collationum* SS. Patrum (PL. XLIX, 477, 1329) unde *Collator* vocatur. Doctrina semipelagiana apparet praecipue in Coll. XIII.

(4) Cf. Bardenhewer, *Patrologie*, ed. II, § 96.

(5) Quidam putant Vincentium qui semipelagianismo adhaesit esse alium a Lerinensi (Cf. Katschtheler, *De Gratia*, n. 21). Sed tamen vix dubitari potest in ipso celebri *Commonitorio* Lerinensis quaedam occurrere, quae semipelagianam doctrinam sapiunt. (Cf. Alzog, *Patrol.*, § 74, 3; Fessler-Jungmann, *Patrol.*, II, § 198; Bardenhewer, op. c., § 111).

(6) Cf. Bardenhewer l. c.

(7) Cf. *Martyrol. rom.* 24 Maii, et Bened. XIV, *De Beatific.*, etc., II, 29, 7.

Semipelagianismus tribus his doctrinae capitibus constat: *a)* Gratiam dari ob *praecedentes dispositiones.* Vel ipse Cassianus tamen admittit quandoque conferri primam gratiam ex libero Dei beneplacito sine anteriori dispositione (1);

b) Initium fidei et salutis esse posse a nobis. Exemplum afferebant aegrotantis, qui licet per seipsum medelam ad salutem necessariam sibi comparare non potest, hanc tamen ab aliis petere, vel saltem optare valet (2):

c) Perseverantiam finalem obtineri posse meritis propriis (3).

Haec haeresis in pluribus Conciliis proscripta fuit praesertim in Arausicano II (ann. 529) a Bonifacio II approbato (4); ea tamen iam ab anno 431 reprobata fuerat a Coelestino I (5). Augustinus iam senex, S. Prosper, et S. Fulgentius, quorum scripta inferius recensemus, subtile virus semipelagianismi acriter repulerunt (6).

---

(1) « Deus (scribit CASSIANUS. *Coll.* XIII, c. 8) cum in nobis *ortum quendam bonae voluntatis inspexerit,* illuminat eam confestim atque confortat et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei; quam vel *ipse lantavit,* vel *nostro conatu* viderit emersisse ».

(2) « Ut evidentius clareat (ita CASSIANUS, l. c., c. 9) etiam per naturae bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quae tamen nisi a Domino dirigantur ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens (*Rom.*, 7, 18): velle enim adiacet mihi, perficere autem non invenio. - Sin vero a gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui *desiderio suo vim* quandam regnis coelestibus inferentes specialia vocationis monita praevenerunt? ». (Ibid., c. 11).

(3) S. Augustinus ita exponit doctrinam semipel.: « Solum initium fidei, et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide ». *De Dono Pers.,* c. 17, PL. XIV, 1019.

(4) DENZ. 144 sqq.

(5) DENZ. 86 sqq.

(6) Cf. PETAV. *Hist. Pel.*. c. 7 et 9; MONTAGNE, *De Gratia*, apud MIGNE *Curs. Theol. compl.*, t. 10, p. 130 sqq.

3. *Rationalismus biblicus* saeculi elapsi, cuius auctores nedum gratiae exsistentiam impugnant, sed in doctrinam catholicam de gratia veluti in pseudo-mysticismum insurgunt ex quo fatalismus quidam inducitur, et Deus auctor peccati insinuatur. Nulla itaque iuxta hos est elevatio ad ordinem supernaturalem, nullum gratiae interioris donum viribus naturae superadditum. Boni et mali arbiter est homo, qui naturali suae rationis virtute, quae per iugem progressum evolvitur, perfectionis suae apicem attingere potest (1). Rationalismus pluries damnatus est a SS. PP. Gregorio XVI et Pio IX, et praesertim a Conc. Vaticano (2). Hos proxime sequuntur Protestantes liberiores, seu *Unitarii* nostri temporis, qui *gratiam internam* ut princi pium nobis supernaturaliter collatum ad actus salutares eliciendos reiicientes, legem, doctrinam et exempla Christi tamquam specialia Dei beneficia, seu gratiam extrinsecam admittunt (3).

Alteri classi errantium, qui plus aequo gratiae tribuentes liberum arbitrium destruunt, vel illud ad bonum utcumque faciendum sine gratia Christi incapax esse docent adscribuntur:

1. *Praedestinatiani.* Horum antesignanus fuit Lucidus presbyter gallus saec. v (4). Hunc secuti sunt Goteschalcus monachus saec. IX, et saec. XIV. Joann. Huss boëmus, et Wicleffus anglus (5). Hi exaggerantes doctrinam S. Augustini de absoluta *gratuitate gratiae,* atque ut se validius semipelagianismo opponerent, docuerunt: *a)* Non solum *praedestinationem* ad gloriam ab una tantum gratia Dei pendere sine ulla hominis cooperatione, sed etiam *reprobationem* defectui largitionis gratiae

---

(1) Ita WEGSCHEIDER, *Inst. theol.,* III, § 152, cui consonant SEMLER, GRUNEN, STEINBART, etc. Cf. WIEST, *Dem. dogm.,* VI, p. 10 sqq.; Kirchenlexicon, Friburgi, 1901 (*Rationalismus, Semler,* etc.).

(2) *Constitut. de Fide,* cap. 2-3, can. 3, DENZ. 1635 sqq. et 1655.

(3) Cf. PFLEIDERER, *Phil. Relig.* II, p. 196-200.

(4) Cf. NORIS Card., *Hist. Pel.,* II, 15; BARDENHEWER, op. c. § 111, 2.

(5) Wicleffo praelusit THOMAS BRADWARDINUS († 1349), professor oxoniensis, qui putans totum mundum suo tempore post Pelagium abiisse, librum scripsit de *Causa Dei,* in quo quaedam Praedestinatianismi placita occurrunt. Cf. HURTER, *Nomenclator*, vol. IV, n. 196.

unice tribuendam esse. Deus enim vult salutem praedestinatorum tantum, non autem omnium hominum;

b) Nullam post originis peccatum mansisse libertatem in homine, Deumque esse auctorem boni et mali.

c) Praedestinatos nunquam peccare formaliter, praescitos vero ad damnationem in omnibus suis actibus peccare (1). Praedestinatianismus damnatus iam fuit in Conc. Arelatensi (473) et Lugdunensi (474) et in Conc. Trid. (2).

3. Lutherus, saec. XVI, integrum systema circa gratiam doctrinae catholicae oppositum invexit, quem vere dixeris mysticismum-deterministicum, errans tum circa essentiam gratiae et naturam iustificationis, tum circa *modum*, quo gratia actualis in nobis operatur. Fundamentalia doctrinae lutheranae capita sunt: *a)* Gratiam institiae originalis humanae naturae essentialiter necessariam esse, ut lumen oculorum, vel ipsam facultatem rationalem (3);

b) Hinc, amissis per peccatum originalis iustitiae donis, humanam naturam essentialiter corruptam esse (4);

c) Concupiscentiam peccatum esse;

d) Libertatem arbitrii esse *titulum sine re,* cum homo necessario determinetur vel ad bonum a gratia Dei, vel ad malum a concupiscentia (5);

---

(1) CALVINUS, saec. XVI, huic errori adhaesit et partialiter etiam Lutherus ut infra dicetur.

(2) Cf. BARDENHEWER l. c. Infra plura de hoc errore ubi agetur de reprobatione.

(3) « Statuamus (ait LUTHERUS, *In Gen.,* c. 3) institiam non fuisse quoddam donum quod ab extra accederet separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem; ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est quod oculi lumen recipiant ».

(4) Iterum LUTHERUS, l. c.: « Originalis iustitia fuit de natura hominis; *ea autem per peccatum amissa*, non manserunt *integra naturalia,* ut scholastici delirant ». Cf. MÖHLER, *Symb.,* I, cap. 2, § 6.

(5) « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter ». Thesis 13 a LUTHERO propugnata in disputatione Heidelbergensi, cui consonat doctrina

e) Iustificationem impii non quidem in interioris hominis renovatione et elevatione consistere, sed in sola remissione. seu non imputatione peccatorum, scilicet in mero favore Dei extrinseco, quo non *delentur* peccata nostra, sed tantum *teguntur* per imputationem iustitiae Christi. Remanet enim semper etiam in iustis *peccatum formale*, quae est concupiscentia (1);

f) Sufficere ad iustificationem solam fidem, qua credimus a Deo nobis peccata non imputari; hinc bona opera inutilia esse (2). Systema Lutheri et Reformatorum damnatum fuit a

---

quam defendit in libro quem inscripsit : de *servo arbitrio*. Cf. Möhler loc. cit.

(1) Cf. Möhler, *Symb.*, § XVI, eiusque responsionem ad professorem tubingensem Baur cui titulus est: *Neue Untersuchungen der Lehrgegensätze*, § 34.

(2) Inanitatem bonorum operum in ordine ad salutem millies etubique proclamat Lutherus. Sic in libr. *De Libert. christ.*. legitur: « Bona opera non faciunt bonum unum, nec mala malum ». Et in libr. *De Captiv. babylonica* scribit: « Vide quam dives sit homo christianus, etiam volens non potest perdere salutem suam *quantiscumque peccatis, nisi nolit credere*. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Caetera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eamdem fidem ». Notissima quoque est epistola ad Melanchtonem, in qua Lutherus scribit: « Si gratiae praedicator es, gratiam non fictam, sed veram praedica; si vera gratia est, verum non fictum peccatum ferto. Deus non facit salvos ficte peccatores. Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi: peccandum est quamdiu hic sumus. Vita haec non est habitatio iustitiae, sed expectamus, ait Petrus, coelos novos, et terram novam, in quibus iustitia habitet. Sufficit quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum qui tollit peccata mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur... Putas tam parvum esse pretium et redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno? ». Cf. Möhler, *Symb.*, § XVI. Verum est nostro aevo protestantes nec omnino exstinctum liberum arbitrium habere, nec bona opera undequaque reiicere. Attamen verum semper manet ex doctrina fundamentali Lutheri *de sola fide* iustificante et de hominis natura per peccatum essentialiter corrupta, bonum operum vacuitatem logice sequi. Prout verum quoque est, fatente ipso Harnack, a tempore Lutheri usque ad reformationem inductam a Pietismo luctuosum laxismum

Conc. Trid., a quo doctrina catholica de gratia et de iustificatione ample, atque profunde exposita et sancita fuit (1).

4. Calvinus († 1564) praeter Lutheri errores accidentaliter tantum et quoad modum dicendi potius quam quoad substantiam modificatos (2), addidit ex praedestinatianismi doctrina, omnes homines irrevocabili decreto ante et citra praevisa merita vel demerita ad gloriam, vel ad aeterna supplicia a Deo destinari; et semel adeptam iustificationem esse omnino inamissibilem (3).

5.ª Baius, doctor Lovaniensis († 1589), errores Reformatorum circa iustitiam originalem, circa gratiae efficaciam, et naturam iustificationis nova quadam forma proposuit. Docuit enim: *a)* Iustitiam originalem, idest sanctitatem, immortalitatem immunitatem a concupiscentia, etc., fuisse Adamo debita eo sensu quod sine illis humana natura fuisset manca atque imperfecta; est enim propria naturae rationalis perfectio ut ad intuitivam Dei visionem ordinetur. Hinc Deus saltem ex *bonitate* et ex provida sapientia homini innocenti ea dona negare haud potuisset;

b) Lumen intellectuale et liberum arbitrium ita fuisse per peccatum originale (quod formaliter consistit in concupi-

---

moralem in Ecclesiis protestantibus ex illo principio irrepsisse. Cf. HARNACK, *Essenza del Crist. Confer.*, 16, 1.

(1) Sess. VI. *Decr. de Iustificatione*, DENZ. 675 sqq. Cf. etiam *Decr. de pecc. orig.*, Sess. V. DENZ. 669 sqq.

(2) Has differentias diligenter exhibet STAPLETON, *De Iustif.*, l. 8. c. 24 sqq. Cf. etiam MÖHLER, op. c., § XII.

(3) « Praedestinationem (ita CALVINUS, *Inst.*, III, c. 21. n. 5) vocamus aeternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem praedestinatum dicimus ». Et ib., n. 7, concludit: « Dicimus, aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rursum exitu devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus: quos vero damnationi addicit, his iusto quidem et irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius *iudicio vitae aditum praecludi* ».

scentia) debilitata, ut homo lapsus nihil veri cognoscere et nihil boni facere possit sed tantum peccare.

c) Hominem lapsum semper agere sub dominio vel *charitatis, vel cupiditatis terrenae.* Haec theoria *de duplici amore dominanti* principium fundamentale est systematis Baii (1).

Doctrina Baii damnata fuit a Pio V, Greg. XIII et Urbano VIII, 79 propositionibus ex eius operibus excerptis (2).

6. Iansenius. Praecipuum theoriae baianae caput defendendum et evolvendum suscepit Iansenius episcopus Yprensis († 1638) in libro quem inscripsit: « *Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos et Massilienses* (3). Iansenianum etenim systema innititur doctrinae de duplici delectatione *coelesti et terrena relative victrici;* quam deducere conatur ex praepostera intellectione celebris dicti S. Augustini: *secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat* (4). Ex hoc principio et ex errore aeque ex Baio desumpto de absoluta impotentia hominis lapsi ad quodvis bonum volendum et faciendum plurima erronea consectaria a Iansenio inferuntur circa relationem gratiae cum humana voluntate, circa eiusdem gratiae distributionem, et circa rationem meriti. Horum veluti summam exhibent hae quinque propositiones ex libro Iansenii excerptae et damnatae in sensu auctoris a Clem. X, ab Alex. VII et a Clem. XI (5): *a) Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus*

(1) Doctrina Baii ample exponitur a Tournely, *De Gratia,* q. III, et Billuart. *De Gratia,* disp. I, art. 3. Cf. etiam Montagne. *De Gr.,* diss. 9; Kleutgen. *Theol. der Vorzeit,* II, n. 160 sqq., 390 sqq. Kirchenlexicon (Baius).

(2) Cf. Denz., § LXXXVI, n. 881 sqq.

(3) Hoc tamen opus biennio post auctoris mortem editum est. Tribus partibus constat, quarum prima pelagianam haeresim octo libris ad scopum auctoris accomodatam exhibet; in altera agitur praecipue de statu iustitiae originalis, de statu naturae lapsae et de statu naturae purae; tertia pars demum continet decem libros de gratia Redemptoris, et undecimum de Semipelagianismo.

(4) « Conflictus ille delectationum (ita scribit Jans., *De Gratia,* 4, 9) sopiri non potest nisi una alteram delectando superaverit... vigente enim delectatione carnali impossibile est ut virtutis ac honestatis consideratio praevaleat ».

(5) Cf. Montagne, *De Gratia in cursu compl.,* apud Migne, tom. X, pag. 306 sqq.

et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

b) Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

c) Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

d) Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

e) Semipelagianum est dicere Christum pro hominibus mortuum esse, aut sanguinem suum fudisse (1).

Iansenianae haeresis propagator pervicax et subtilis Quesnellus († 1719) cuius 101 propositiones damnatae fuerunt a Clem. XI Constitutione dogmatica « *Unigenitus* » (2). Item iidem errores proponuntur in Synodo Pistoriensi, cuius 81 propositiones damnatae sunt a Pio VI Constitutione « *Auctorem fidei* » (3).

Haec altera errorum classis quoad omnia opposita videtur Pelagianismo aliisque haeresibus quae gratiae exsistentiam, vel necessitatem negant; quia a Reformatoribus et a Iansenianis exsistentia. necessitas et gratuitas gratiae Christi pro homine lapso ultro admittitur. At licet conclusiones sint oppositae, utriusque erroris tamen *radix est* eadem omnino, scilicet negatio ordinis vere et absolute supernaturalis. Si enim iustitia originalis debita fuit essentiae vel integritati naturae rationalis, iam ea in seipsa non est absolute supernaturalis, sed utique saltem *exigitive* naturalis. Dogma igitur commune Pelagianis et Reformatoribus hoc fuit: Lumen intellectuale et libertatem arbitrii. quibus naturaliter protoparentes praediti fuerunt, eos idoneos et *proportionatos* reddidisse ad intimam atque immediatam unionem cum Deo, hoc est ad vitam aeter-

(1) Denz., § XCI, n. 966 sqq.
(2) Denz., § CI, n. 1216 sqq.
(3) Denz., § CXIV.

nam consequendam absque extrinseco dono *gratuito* et praeter naturae exigentiam superaddito. In hoc itaque inter utrumque systema adest discrepantia, quod Pelagius et Rationalistae negant humanum genus amisisse per lapsum Adae hanc capacitatem et proportionem naturalem ad vitam aeternam, eo quod humana natura non fuit per peccatum essentialiter corrupta, neque in suis potentiis intrinsece immutata vel diminuta; Reformatores autem et Ianseniani affirmant lapsum Adae induxisse in ipsum Adam et in posteros amissionem *naturalis iustitiae;* et consequenter ipsius naturae corruptionem. Hinc ex doctrina Reformatorum dona gratiae, quae homini innocenti debita connaturaliter fuerunt, post lapsum omnino gratuito per merita Redemptoris conceduntur.

7. Errori radicali Reformatorum, Baii et Pelagii, qui est negatio ordinis proprio sensu supernaturalis plus minusve accedere visi sunt plures theologi germani saeculi elapsi, praesertim Hermes (1), Günther (2) Hirscher (3) aliique. Licet enim

---

(1) Hermes († 1831) statum iustitiae originalis consistere docet in quadam naturali, eaque perfecta moralitate una cum dominio rationis supra inferiores passiones. Hinc gratia per Christum Redemptorem necessaria est ad primigeniam rectitudinem per peccatum amissam, restituendam, eiusque efficacia eo constat ut nimia vis sensualitatis supra spiritum auferatur. *Dogm.*, I, § 260 et sqq. III. § 201. Cf. Kleutgen, *Theol. der Vorzeit,* II, 382 sqq.; Hergenröther, *Hist. Eccl.*, II, 371 sqq. - Doctrina semirationalistica Hermesii damnata fuit a Greg. XVI. Cf. Denz., 1487.

(2) Günther († 1861) non solum hominis creationem, sed eius per iustitiae originalis dona elevationem necessariam fuisse docet ex parte Dei necessario suam bonitatem omnibus modis communicantis. Haec tamen elevatio in eo consistebat, ut natura physica in homine subderetur spiritui, et homo ipse Deo plene subiiceretur. Cf. Vorschule, II, 114 sqq. et passim. Hoc aequilibrium quod Adam peccans in sua ratione *capitis physici* generi humani perturbavit tum in se, tum in posteris omnibus, Redemptor restituit in seipso perfectum rectitudinis et obedientiae exemplar erga Deum Patrem exhibens. Der Letze, *Symboliker,* 118; Vorschule, I, 393 sqq., etc. Cf. Katschthaler, *Zwei Teses für del algm.* Conc. 1870; Kleutgen, op. cit; n. 102, 388 sqq.; *Kirchenlexicon* (Gunther).

(3) Hirscher († 1865) gratiae actualis exsistentiam admittit, sed affirmat eius munus ante *lapsum* hominis hoc fuisse ut humanam naturam adiuvaret ad *explicandas suas vires naturales;* post *lapsum* autem eam adhuc necessariam esse ad has vires debilitatas sanandas atque corroborandas. Hinc gratia actualis neque est elevans, neque *absolute*

hi exsistentiam ordinis supernaturalis, verbis saltem, admittant, hunc tamen ordinem sic explicant ut naturae primitivae debitus dici debeat. Hi nimirum generatim docent primum hominem vi naturalis luminis intellectualis non solum veritates omnes ordinis naturalis cognoscere potuisse, sed etiam ipsa fidei mysteria a Christo revelata; item per naturalem virtutem liberi arbitrii omnes virtutes christianas exercere valuisse. Revelatio fidei et gratia superaddita et gratuita *homini lapso* tantum necessaria fuit ad debilitatem intellectus et voluntatis per peccatum contractam auferendam. Isti consequenter errant etiam in exponenda iustificatione impii, quam fere concipiunt tamquam meram *rectificationem*, ut dicunt, seu sanationem potentiarum naturalium per extrinsecum adiutorium gratiae *medicinalis* Redemptoris, non autem (prout a doctrina catholica proponitur) tamquam interioris hominis renovationem per donum permanens gratiae sanctificantis, quod animae iusti inhaereat (1).

VIII. *Litteratura.* 1. Doctrina Ecclesiae circa Gratiam Christi licet semper ab initio credita et a priscis Patribus *quoad sua dogmata fundamentalia* (v. gr. quoad eius *necessitatem*, et *supernaturalitatem*) diversis modis asserta fuerit (ut ex tractatus

---

necessaria est homini etiam lapso ad actus salutares eliciendos, sed datur ad *facilius* operandum ea bona quae vires naturae in se consideratas non superant. Cf. *Moral.* I, § 43-44, § 74 et praesertim § 141, etc. Cf. KLEUTGEN, op. cit, II, 210 sqq.; KATSCHTHALER, *Dogm. de gr.*, n. 26. - His addendus est etiam JOA. KUHN († 1887) qui aliquantisper placitis Hermesii et Hirscher indulsit, quorum tamen et Güntherii semirationalismum aggredi videbatur. Cf. SCHEEBEN, *Dogm.*, II. § 161 sqq.: KATSCHTHALER, l. c.

(1) Systemati Reformatorum quoad naturam iustificationis nonnihil concessisse videtur etiam *Rosminius*, dum docuit quaedam saltem peccata in iustificatione impii non deleri, sed tantum tegi, vel non imputari. Inter huius auctoris propositiones damnatas a S. Officio haec exstat: « Quo magis attenditur ordo iustificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis, quod Deus peccata quaedam tegit, aut non imputat. Iuxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates quae remittuntur, et peccata quae teguntur, illae ut videtur sunt culpae actuales et liberae, hae vero sunt peccata non libera eorum qui pertinent ad populum Dei, quibus nullum afferunt nocumentum ». (*Prop.*, 35. Cf. DENZ., 1771). Sed de his amplior erit sermo ubi agemus de iustificatione.

decursu compertum erit), serius tamen, idest occasione haeresis pelagianae systematice et specialibus iisque ponderosioribus scriptis propugnata atque evoluta fuit. Scientifica autem doctrinae de gratia constructio atque evolutio Ecclesiae occidentali debetur et praecise Ecclesiae Africae proconsolaris studio et labore *Marii Mercatoris,* et praesertim *S. Augustini*, qui merito Doctor gratiae salutatur. Hic ab exitiali naturalismi pelagiani diffusione impulsus, cum probe intelligeret negata Christi gratiae necessitate atque absoluta supernaturalitate, *ipsum Incarnationis et Redemptionis fundamentale dogma* corruere, summo ingenio, parique eruditione ac mira prorsus scribendi fecunditate plurima edidit opera in defensionem dogmatis catholici contra Pelagianos et Semipelagianos, in quibus doctrina de gratia, de distinctione inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, de praedestinatione, etc., culmen scientificum attigisse dicenda est. Inter haec, praecipua quorum frequens mentio occurrit in hoc tractatu sunt: *De peccatorum meritis et remissione,* l. l. 3 (1); *De Spiritu et Littera* (idest de Gratia et lege) (2); *De Natura et Gratia* (3); *De Gratia Christi et peccato originali* (4); *Contra duas epistolas* Pelagii ad Bonifacium libr. 4 (5); Contra Iulianum, l. l. 6 (6). Haec omnia doctrinam pelagianam impugnant. Contra Semipelagianos sunt: *De gratia et libero arbitrio* (7); *De Praedestinatione Sanctorum* (8); *De dono perseverantiae* (9); *Opus imperfectum,* cuius sex libri exstant contra Iuliani responsiones (10).

Post Augustinum speciali mentione digni sunt *Marius Mercator* et *S. Hieronymus.* Ille plures libros contra Pelagianos

---

(1) Hic primus est Augustini liber contra Pelagium, ann. 412. PL. XLIV, 109 sqq. Cf. *Retract.*, II, 33.
(2) In fine anni 412 PL., XLIV, 201 sqq.
(3) Ann. 415, PL., XLIV, 247 sqq.
(4) Ann. 418, PL., XLIV. 359 sqq.
(5) Ann. 420, PL., ibid., 549 sqq.
(6) Ann. 421, PL., ibid., 641 sqq.
(7) Ann. 424, PL., ibid., 915 sqq.
(8) Ann. 428, PL., ibid,. 959 sqq.
(9) Ann. 429, PL., XLV, 993.
(10) Ann. 429, PL., XLV, 1049 sqq.

scripserat, quorum tamen duo tantum remanent idest: *Commonitorium super nomine Coelestii* (1); et *Subnotationes in Iulianum* (2). Haec scripta habentur ad instar fontium pro historia pelagianismi (3). Hieronymus *Dialogum contra Pelagianos* tribus libris edidit, in quibus strenue et eleganter necessitatem divinae gratiae ad peccata vitanda et aeternam salutem cosequendam vindicat; frustra tamen profunditas in indaganda distinctione ordinis naturalis a supernaturali, et accurata dicendi ratio, quae Augustino familiaris fuit in hoc opere inquiritur (4).

Inter discipulos Augustini eminet *S. Prosper Aquitanus,* cuius scripta de gratia vere classica, ad perfectam intellectionem doctrinae S. Augustini perutilia sunt (praesertim quoad aliquas severiores expressiones quae in libris doctoris hipponensis occurrunt, quas profundus et sagax discipulus bono sensu exponit), et habentur tanquam praecipuus fons ad dignoscendum errorem Massiliensium. Haec sunt: Epistolae duae, una *ad Augustinum* (5); altera ad *Rufinum de gratia et libero arbitrio* (6); *Carmen de ingratis* (περὶ ἀχαρίστων) mille exametris constans (7); *Epigrammata in obtrectatorem Augustini* (8). Haec omnia scripta sunt Augustino vivente (ann. 429-30).

Post mortem Augustini habentur: *Epitaphium nestorianae et pelagianae haereseos* (9). *Pro Augustino responsiones ad capitula obiectionum Gallorum calumniantium* (10). *Pro Aug. responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum* (11). *Pro Aug. re-*

---

(1) Ann. 429 graece scriptum et ann. 431 latine ab ipso Auctore editum PL., XLVIII. 63 sqq.

(2) PL., ibid. 109 sqq.

(3) Cf. Fessler-Iungmann, *Patrol.*, § 206.

(4) PL., XXIII, 495-590.

(5) PL., LI, 67-74.

(6) Ann. 429-30, PL., ibid. 77-90.

(7) Ann. 430 PL., ibid. 91-148.

(8) P.L., 36, 149-52.

(9) Ann. 431-32 PL. ibid. 153-54.

(10) Ibid. 155-174.

(11) Ibid. 177-186.

sponsiones ad excerpta Genuensium (1); *De gratia et libero arbitrio contra collatorem* (Cassianum) (2).

Subsequitur initio saec. v, *Fulgentius* episcopus Ruspensis, qui S. Augustini doctrinam de gratia contra Semipelagianos ample exposuit et acriter vindicavit. Potiora hac in re eius scripta sunt: *De veritate praedestinationis et gratiae Dei, libri tres ad Ioannem et Venerium* (3). *De duplici praedestinatione Dei, una bonorum ad gloriam altera malorum ad poenam,* libr. I ex tribus quos dedicavit ad Monimum (4).

2. In Ecclesia graeca frustra per totam Patrum et Doctorum classicam periodum opus aliquod de gratia specialiter et systematice tractans, quaesieris. Nec mirum, Patribus enim graecis hinc quidem fuit maxime adlaborandum contra vaferrimos haereticos pro defensione atque evolutione doctrinae *Trinitatis*, *Christologiae* et *Soteriologiae,* inde etiam contra tenaciores Manichaeismi et Gnosticismi sectas, quae in eo conveniebant ut universam naturam essentialiter malam haberent, libertas arbitrii et moralis imputabilitas actionum humanarum vindicanda fuerat. Attamen dum magni Doctores graeci veritatem atque *necessitatem* divinae Redemptionis inculcant, etiam distinctionem ordinis naturalis et supernaturalis clare exhibent et necessitatem atque gratuitatem divini auxilii supernaturalis demonstrant, ut ex eorum explicitis testimoniis in decursu tractatus afferendis constabit.

Specialiter commemorandi sunt: *Cyrillus Hierosolymitanus,* et *Cyrillus Alexandrinus.* Ille in suis catechesibus fere integram doctrinam de gratia, et praesertim de natura et effectibus *gratiae sanctificantis* plene, nitide et exacte exponit (5). Alter, qui fuit Pelagio coaevus, in suis libris contra Nestorium tanquam testis explicitus antiquae doctrinae Ecclesiae orientalis,

(1) Ibid. 187-202.

(2) Ibid. 213-76.

(3) Ann. 523 PL., LXV, 603, 671.

(4) Ibid. 151 sqq. Cf. Iungmann-Fessler, *Patr.*, § 238.

(5) PG., XXXII. Cf. praecipue *Pro catech.*, n. 17 sqq. et *Catecheses,* 16-17. Cf. Touttée, *Prolegom. in Opera Cyr. Hier.*, diss. III, c. 7.

exsistentiam et universalitatem peccati originalis docet, et necessitatem gratiae urget etiam ad fidem amplectendam (1).

3. Media aetate *Petrus Lombardus* († 1164) (2), *Alexander Halensis*, O. M. († 1245) (3), *Albertus Magnus*, O. P. († 1280) (4). *S. Bonaventura* († 1221–1274) (5), *Aegidius Columna* vel *romanus* Erem. S. Aug. († 1316 (6), *Duns Scoto*, O. M. († 1308) (7), *Durandus* a S. Porciano, O. P. († 1334) (8), *Thomas ab Argentina*, Er. S. Aug. († 1357) (9). *Gregorius Ariminensis*, Er. S. Aug. († 1358) (10) aliique summistae et commentatores generatim in doctrina de gratia systematice tradenda S. Augustini vestigia sequuntur. Tractatio tamen gratiae formaliter sanctificantis seu habitualis distinctiori atque ampliori ratione a scholasticis evoluta fuit, et primo quidem ab Alex. Halensi. Item theoria de natura peccati originalis et explicatio modi, quo illud in Adae

---

(1) Cf. v. gr. *Adversus Nest.* III, 3, 6, PG. LXXVI, 144, 164 et *Comm. in Ioan.* I, 12-13 etc.

(2) Sententiarum l. II, dist. 21-29, III, dist. 23-32.

(3) *Summa Theol.*, p. II, q. 90-91; p. III, q. 61-63. De influxu doctrinae Alex. Hal., qui dictus est Doctor *irrefragabilis* in posteriores scholasticos et etiam in Summ. Aquinatis; lege Scheeben *Handbuch der Kathol. Dogm.* I, n. 1051.

(4) Doctor *universalis* dictus, de gratia agit in II Sent. dist. 26-29 et *Summ. Theol.*, p. II, tract. XIV, q. 90, tract. XVI, q. 98-105.

(5) Doctor *Seraphicus*, II Sent., dist. 26-29 in vol. II novissimae edit. Quaracchi, 1885.

(6) Doctor *fundatissimus*, II Sent., dist. 26-29.

(7) Doctor *subtilis*, II Sent., 26-29. Ad pleniorem notitiam locorum in quibus Duns Scotus (quem schola franciscana plerumque secuta est, et nunc, ut videtur, novo studio prosequitur) de gratia, de iustificatione et de merito disserit, perutile est opus quod edidit Hieronymus de Montefortino (1720) O. M. quod inscribitur: *Summa theologica ex universis Scoti operibus concinnata iuxta ordinem Summae S. Thomae*, nov. edit. vol. 4. Romae 1902 (q. 109-114).

(8) Doctor *resolutissimus*, II Sent., dist. 26-28. De huius auctoris ingenio proclivi in singulares opiniones, et non solum a doctrina S. Thomae, sed a communi theologorum sensu alienas confer. Hurter *Nomenclator*, et *Kirchenlexicon* Friburgi.

(9) II Sent., dist. 26-28.

(10) II Sent., ibid.

posteros propagatur a S. Anselmo († 1109) proposita (1), et ab Alex. Hal. aliisque scholasticis adoptata, demum a S. Thoma genialiter in perfectiorem formam redacta et renovata verum in doctrina de gratia progressum afferunt.

Tractatus autem de gratia Angelici Doctoris tum organica structura tum expositionis claritate, tum praesertim doctrinae profunditate ceteros omnes longe antecellit, et classicus remanet (2).

---

(1) In opusculis, *de casu diaboli, et de conceptu virginali et peccato originali.* Specialem considerationem merentur alia duo opuscula: *de libero arbitrio, et de concordia praescientiae et praedestinationis, necnon gratiae Dei, cum libero arbitrio.*

(2) *S. Theol.,* I-II, q. 109-114. Cui addendae sunt tractationes, quas ipse Aquinas habet: *Contra gentiles,* III, c. 144-163, II Sent., dist. 26, a. 1-6, dist. 27, a. 3-6, dist. 28, a. 1-5, dist. 29, a. 1-4; qq. dispp. *De Veritate,* q. 27-29.

Si comparatio instituatur inter doctrinam S. Thomae et Duns Scoti circa gratiam manifeste apparebit discrimen inter utramque in hoc potissimum consistere, quod apud Angelicum Doctorem conceptio ipsa fundamentalis gratiae eiusque causalitatis formalis et distinctio ordinis supernaturalis ab ordine naturali longe profundior est et equidem magis organica, quam penes Doctorem *subtilem,* qui licet a vanitate *Nominalismi* alienus sit, tamen quandoque nominalisticae subtilitati et anfractis opinamentis ansam nonnihil praebet. Et sane quidem: ex doctrina Aquinatis gratia est veluti *novum esse* superadditum creaturae rationali, quod ipsam elevat supra omnem capacitatem cuiusque naturae, eamque intime pervadit et transformat in similitudinem divinae naturae. Ex hoc esse deiformi tanquam a radice omnes virtutes supernaturales pullulant. Quin imo donum ipsum integritatis originalis in primo homine stricte connexum erat cum dono gratiae sanctificantis et ab hoc dependens. In homine lapso *iustificatio* et remissio culpae *formaliter* producuntur ab ipsa gratia, quae est insuper *intrinsecum et vitale fundamentum* et *principium* omnium meritorum hominis iustificati. — E contra iuxta doctrinam Scoti possibilis est creatio naturae rationalis cui aptitudo et proportio ad visionem immediatam Dei, et ad gloriam aeternam *connaturalis* sit; integritatis donum a gratia sanctificante non dependet, sed huic praesupponitur tanquam dispositio, vel ornamentum praevium; gratia sanctificans non immediate afficit *essentiam* animae novum huic esse directe communicans, sed est ipsa *virtus charitatis* quae in voluntate tanquam in proprio subiecto residet; ea-

4. Post Conc. Tridentinum gratiae litteratura insigniter augetur, praesertim quoad partes, quae in controversia versantur. Contra enim erumpentes errores tum Reformatorum circa statum iustitiae originalis et effectus peccati Adae et circa iustificationem, tum Baii et Iansenii circa naturam gratiae actualis eiusque influxum in voluntatem humanam, defendenda fuit Ecclesiae doctrina, quae tanquam *S. Augustini* et ipsius *Apostoli* Pauli magisterio contraria ab adversariis traducebatur. Neque omittendum est inter ipsa orthodoxiae confinia acres sub finem saec. XVI et toto saec. XVII exarsisse contentiones circa modum, quo gratia actualis operatur in nostras potentias, et circa concordiam gratiae efficacis cum libero arbitrio. Quo factum est, ut plerique ex theologis catholicis, hac in re, in duas veluti scholas scinderentur; quarum una, quae dici consuevit *Thomistarum*, efficaciam gratiae ab *intrinseco* et quidem per *praemotionem physicam*, et praedestinationem ante praevisa merita defendit (1): altera vero, quae dicitur *congruistarum* efficaciam gratiae ab extrinseco per *scientiam mediam*, idest per praescientiam *futuribilium* (2).

---

que non ut *causa formalis* peccata remittit, sed causalitate quadam *extrinseca*, quatenus Deus statuit iis peccata dimitti, qui charitate informantur. Hae aliaeque differentiae in tractatus processu manifestiores fient. — Quae sint potiora dissensus capita generatim inter Angelicum et Scotum exhibet JOA. DE RADA: *Controversiae theologicae inter S. Thomam et Scotum super* 4 l.l. Sentent. (Venetiis 1618, v.v. 4). — Quidam tamen ex Scotistis nisi sunt conciliari quo fieri potest, utriusque doctoris sententias. Inter hos eminet Card. *Cansanus* O. M. 1595 cuius est opus: « *Conciliatio dilucida omnium controversiarum inter Thomam et Scotum* ». (Venetiis, 1589). Cf. etiam SCHEEBEN, *Handbuch der Kathol. Dogm.*, I, n. 1062-63.

(1) Dicitur etiam simpliciter *Thomismus*. Ex eo autem quod huius systematis doctrina evoluta primum fuerit et valide propugnata a Dominico Bannez. O. P. († 1604), quandoque systema ipsum vocatur Bannesianismus.

(2) A LUDOVICO MOLINA, S. J. († 1600), qui primus hanc explicationem acriter defendit in libro: « *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, praedestinatione et reprobatione* (Olisipone, 1588-89), haec doctrina appellatur communiter *Molinismus*. Vocatur

Inter plurimos theologos, qui de re gratiae *universim* agunt, nominandi sunt: Suarez, S. J. († 1617), *De divina gratia* (1); Bellarminus, S. J. († 1621), *De gratia et libero arbitrio*, etc.; Gregorius de Valentia († 1603), *De gratia divina* in I–II Summ. S. Thom.; Gabriel Vasquez, S. J. († 1604), *De gratia divina* in I–II S. Thom. (vol. IV); Becanus, S. J. († 1624), Summ. theol. *De auxilio gratiae et de gratia*; Martinez de Ripalda, S. J. († 1648), *De ente supernaturali* (2); Tournellyus († 1729), Prael. theol. *De gratia*; Montagne († 1767), *De gratia* (3) aliique qui Congruismo plus minusve adhaerent.

Ex plurimis item theologis, qui de gratia specialiter tractantibus, Thomismo adstipulantur, praeter Bannez, adferendi sunt: Salmanticenses, *De gratia Dei*; Joannes a S. Thoma, O. P. († 1644), Cursus theol. *De gratia Dei* in I–II S. Thom.; Gonet, O. P. († 1681), Clypeus theol. *De gratia et de iustificatione*; Goudin, O. P. († 1695), *De gratia Dei*; Gotti, O. P. († 1729), Theol. scholastico-dogm. *De gratia*; Billuart, O. P. († 1757), *De gratia*; Gazzaniga, O. P. († 1799), Prael. theol., *De gratia*, aliique plures.

Est insuper commemoranda schola Augustiniana, quae in doctrina de gratia inhaeret litterae S. Augustini et efficaciam gratiae actualis explicat ex victrici delectatione coelesti, quae homini *lapso* confert non solum potestatem volendi et faciendi bonum salutare, sed et ipsum actum, quin tamen perimat liberum arbitrium. In hoc enim iuxta hanc scholam est discri-

---

autem *Congruismus* ex temperamento, seu modificatione, quam originariae doctrinae molinianae afferendam proposuit Suarez, docens gratiam *efficacem*, licet ab intrinseco seu essentia sua non differat a gratia *sufficienti*, ab hac tamen distingui per hoc quod est *gratia congrua*, quae scilicet a Deo confertur accomodata indoli, aliisque recipientis circumstantiis, in quibus efficax praevidetur. Sed de his plura infra.

(1) Amplissimus tractatus 12 libris, tribus v. v. (VI, VII et VIII) quibus additur tractatus theologicus posthumus, *de vera intelligentia auxilii efficacis* etc. (vol. IX).

(2) Opus ponderosum tribus v.v.

(3) Opus istud receptum est in *Cursu theol. complet.*, Migne, t. 10.

men inter gratiam a Deo primo homini collatam, et gratiam quae datur homini lapso per Christum, quod illa det tantum *posse agere*. haec autem suppeditat et *ipsum velle* et *facere*. Inter theologos augustinienses eminent Jos. Berti, O. S. A. († 1764), De theologicis disciplinis, *De gratia Dei,* et Card. Norisius, O. S. A. († 1704), *Vindiciae augustinianae,* et *Hist. pelag.* (Romae 1673) (1).

Ex schola item *scotistica* quae opinamenta doctoris *subtilis* fideliter prosequitur ac defendit, insigniores theologi sunt: Gabriel Boyvin, O. M., *Theologia Scoti*. P. 1. Specul. (Parisiis 1678): Bartolomaeus Durant, O. M. († 1720) *Clypeus theol. Scot.;* Du Pasquier, O. M., *Summa theol. Scot.* (Patavii, 1706–8), et Claudius Frassen, O. M. († 1711) *Scotus accademicus, de gratia Dei.*

His addendi sunt plures theologi, qui speciales monographias de re gratiae ediderunt tum contra Reformatores et Iansenianos, tum circa controversias de *Auxiliis gratiae*. Inter hos recensentur: Andreas de Vega, O. Min. († 1560), cuius opus insigne exstat *De Iustificatione*, ll. 15 et iterum contra Calvinum, *de gratia, fide, operibus et meritis*. ll. 15; Dominicus Soto, O. P. († 1560), *De natura et gratia,* ll. 3; Card. D'Aguirre O. S. B. († 1699) *S. Anselmi Theologia*, t. III, *De natura hominis pura et lapsa contra Jans.:* Dominicus Viva, S. J., *Damnatae theses* ab Alexandro VII, etc. (Neapoli 1708), et *Trutina theologica thesium quesnellianarum* (Beneventi 1717); Ludovicus Lessius, S. J. († 1623), *De gratia efficaci, decretis divinis, et praescientia Dei conditionata; de praedestinatione et reprobatione angelorum;* Valentinus Herice, S. J: († 1626), *De scientia Dei, de Praedestinatione;* Jacobus Platelius († 1681), *Auctoritas contra praedeterminationem physicam pro scientia media; Scientia media ad examen revocata;* Thyrsus Gonzales, S. J. († 1705), *Se-*

(1) Mira quidem eaque critica eruditione huius auctoris opera excellunt, quaedam tamen severiores opiniones et quoad modum saltem loquendi in placita ianseniana nonnihil concedentes, quas Norisius vehementer defendit, theologos sui temporis summopere commoverunt. Cf. Kirchenlexicon, Friburgi.

lectae disputationes, t. I, *de scientia media*, aliique pro Molinismo vel Congruismo decertantes, quibus recentissime addendi sunt: GERARDUS SCHNEEMANN, S. J., *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus;* THEOD. RÉGNON, S. J. († 1893): *Bannez et Molina histoire, doctrine, critique, métaphysique* (1883), *Bannésianisme et Molinisme* (1890); VICTOR FRINS, *S. Thomae doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata praesertim libera* (1893).

Sensu thomistico scripserunt; DIDACUS ALVAREZ, O. P. († 1635), *De auxiliis divinae gratiae et hum. arbitrii viribus et libertate;* PETRUS LEDESMA, O. P. († 1616), *De divinae gratiae auxiliis;* ANT. REGINALDUS, O. P., *De vero sensu composito et diviso* (Parisiis 1638), aliique plures, quibus nostro tempore accensendi sunt: DUMMERMUTH, *S. Thomae Aquin. doctrina de praemotione physica* (Parisiis 1886); GAYRAUD, *Thomisme et molinisme; critique du molinisme*, etc. (Parisiis 1890–92). Specialem autem considerationem meretur opusculum breve quidem, sed profunde excogitatum Card. JOS. PECCI († 1890), *De sententia D. Thomae circa influxum Dei in actiones creaturae rationalis,* etc., in quo probare nititur Thomam nec *praemotionem physicam, neque scientiam mediam* docuisse (1).

Demum praeter plurimos Cursuum theologicorum auctores, quorum praecipui et notiores sunt: PERRONE, KNOLL, SCHEEBEN (2), HEINRICH, PESCH, EGGER et recentissime PAQUET, LOTTINI, O. P., etc., speciales tractatus de re gratiae nostra aetate protulerunt: SCHRADER, *De triplici ordine naturali, praeternaturali et supernaturali* (Windobonae 1864); SCHAETZLER (3),

---

(1) Sententiam in hoc opusculo (italice scripto, Romae 1885) ample exponit atque defendit Card. *Satolli,* atque post ipsum *Paquet* aliique. Eam autem impugnarunt *Guillermin*, O. P. L'opuscule de Son Emin. le Card. Pecci, Parisiis 1886, et FELNER, *Die Lettre des h. Thomas darge legt von J. Pecci.* Kritisch beleuchtet. 1889.

(2) Cf. etiam huius auctoris scriptum: *Natur und Gnade* 1861.

(3) Hic rigido thomismo addictus contra doctrinam semirationalisticam Hermesii et Kuhn plura alia edidit scripta v. gr. *Neue Untersuchungen von der Gnade* 1865.

De gratia et fide (1867); JUNGMANN, *De gratia* (1868); KLEUTGEN, *Theologie der Vorzeit* (vol. II, 1872); MURRAY, *De gratia* (1877); MAZZELLA, *De gratia Christi* (1878); CERCIÀ, *De gratia Chr.* (1879); KATSCHTHALER, *De gratia* (1880); PALMIERI, *De gratia actuali* (1885); SATOLLI, *De gratia Chr.* (1886); SCHIFFINI, *De gratia divina* (1901), etc.

5. Pro historia evolutionis doctrinae de gratia consuli possunt: KLEE (†1840), *Lehrbuch der Dogmengesichte* (1837-38) (1): SCHWANE († 1891), *Dogmen Gesichte* (Friburgi, ed. II, 1892-95) (2); TURMEL, *Histoire de la théol. positive jusqu'au Concile de Trente* (Parisiis, ann. 1904), aliique historiae dogmatum Scriptores (3). Quoad quinque priora Ecclesiae saecula exstat egregium opus SCIPIONIS MAFFEI, *Istoria teologica delle dottrine e delle opinioni corse nei primi cinque secoli della Chiesa in proposito della grazia, del libero arbitrio e della predestinazione* (Tridenti, ann. 1742), in quo summa eruditione doctrina antiquae Ecclesiae de gratia, eiusque per varias phases explicatio exhibetur, et doctrinae Reformatorum et praesertim Iansenianorum opponitur. Controversiarum autem *De Auxiliis* divinae gratiae, in quibus tam acriter et diuturne inter thomistas et molinianos concertatum est circa influxum gratiae efficacis in humanam voluntatem, duae habentur voluminosae historiae: priorem *sensu thomistico* scripsit HYACINTHUS SERRY (sub pseudonymo Le Blanc), O. P., *Historia Congregationum de auxiliis*, ll. 4, cui quintus serius additus fuit (Antuerpiae 1709); alteram edidit pro *molinismo* LIVINUS DE MEYER, S. J., ll. 6, quibus alii tres additi sunt sub titulo *Historiae controversiarum de divinis auxiliis ab obiectionibus Hyac. Serry vindicatae* (Bruxellis 1715).

Interim ex simplici conspectu evolutionis doctrinae de gratia per varia saecula, collatis etiam haereticorum opina-

---

(1) Cf. part. II, c. 5. Prodiit huius operis versio italica cum adnotationibus. Neapolis 1857.

(2) Cf. vol. I, p. III: vol. II, p. III, c. 2; vol. III, p. III, c. 2-5; vol. IV, p. III.

(3) Cf. l. I, p. I. c. 6-7: ib., p. II, c. 3-4; lib. II, p. I, c. 4, p. II, c. 4.

mentis cum Ecclesiae definitionibus, colligere licet: saec v et vi praesertim doctrinam de natura *gratiae actualis* eiusque *necessitate* evolutam fuisse; saec. vero xvi doctrinam *iustificationis* suum apicem attigisse; saec. xvii et xviii libertatem humanae voluntatis sub gratiae efficacis influxu explicitius affirmatam fuisse, nostra autem aetate characterem transcendentalem seu supernaturalitatem gratiae magis explicatam esse (1). Demum quovis tempore disputatum fuisse et adhuc disputari circa modum conciliandi gratiae efficaciam aeternamque praedestinationem cum libero arbitrio.

---

(1) Praestat enumerare praecipua magisterii ecclesiastici documenta circa doctrinam gratiae quorum frequens mentio in hoc tractatu occurrit: - 1. Canones Conc. Milevitani II (ann. 416) et Conc. Cartaginensis (ann. 418) contra Pelagianos (Cf. Denz., 64-72).

2. Coelestini I, Epistola dogmatica ad Episcopos Galliae (ann. 431) contra Semipelagianos (Ibid., 86-97).

3. Canones Conc. Arausicani II (ann. 529) contra Semipelagianos (Ibid., 144-171).

4. Conc. Valentinum (ann. 855) canones de praedestinatione. (Ibid., 283-288).

5. Conc. Tridentinum, Sess. VI, capita dogmatica 16, canones 33. (Ibid. 675-725).

6. Propositiones 79 *Baii* damnatae a S. Pio V (ann. 1567), a Greg. XIII (ann. 1579), demum ab Urbano VIII (ann. 1641) (Ibid., n. 881-959).

7. Propositiones 5 *Iansenii* damnatae ab Innocentio X (ann. 1653), ab Alexandro VII (ann. 1656) et a Clemente XI (ann. 1705). (Ibid., n. 966-970).

8. Propositiones 101 *Quesnelli* damnatae a Clem. XI, Constitutione *Unigenitus* (ann. 1713). (Ibid., 1216-1316).

9. Propositiones quaedam (pp. 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25) Synodi Pistoriensis a Pio VI damnatae, Constitutione dogmatica *Auctorem fidei* (ann. 1794). (Ibid., n. 1379-1389).

10. *Conc. Vaticanum*, (a. 1870) Sess. III, c. 3, Const. de Fide. (Ibid., n. 1638 sqq.).

TRACTATUS

Haec tractatio inscribitur a S. Thoma (I-II, q. 109-114) de *exteriori principio actuum humanorum, vel de Deo prout ab ipso per gratiam adiuvamur.* Gratia autem dicitur principium exterius non *inhaesive,* sed *egressive,* seu ratione originis, quia licet a creatura rationali ita ea recipiatur ut ipsi intime insit vel per *modum motionis transeuntis* (gratia actualis), vel per *modum habitus* (gratia formaliter sanctificans) non tamen fluit ab aliqua intrinseca virtute seu activitate naturae, sed a principio extrinseco, qui Deus est, tota procedit.

Tractatus de gratia in tres partes dividitur. Prima de gratia in se absolute considerata; altera de causis gratiae; tertia agit de gratiae effectibus.

PARS I.

De gratia in se absolute considerata.

Tria sunt inquirenda: 1° An gratia sit admittenda, seu de necessitate gratiae (q. 109); 2° quid sit gratia, seu de ipsa gratia quantum ad eius exsistentiam (q. 110); 3° qualis sit, seu de eius divisione (q. 111).

QUAESTIO I.

De gratiae necessitate.

Praenotanda. a) Haec disputatio respondet etiam quaestioni, *an sit gratia*. Si enim ea necessaria probatur, vere exsistit, nam Deus in necessariis deesse nequit (1);

b) Quaestio decem articulis constat, quibus sub omni respectu inquiritur an et quousque gratia Christi necessaria sit homini, praesertim lapso, tum impio, tum iusto ad verum cognoscendum et ad recte honesteque vivendum tam intra sphaeram et finem legis naturalis, quam in ordine ad salutem aeternam consequendam. Agitur itaque de gratiae *necessitate:* 1° quoad cognitionem veri in genere; 2° quoad electionem boni in genere; 3° respectu ad summum moralitatis actum, qualis est dilectio Dei super omnia; 4° quoad adimplenda legis praecepta; 5° quoad actus meritorios vitae aeternae; 6° quoad praeparationem ad primam gratiam et ad initium fidei salutaris; 7° quoad malum mo-

(1) Quum in praesenti saltem providentia, gratiae divinae auxilia referantur ad vitam aeternam, hoc est ad visionem Dei immediatam, ad quam sunt media positive proportionata, manifestum est exsistentiam, et ipsam possibilitatem intrinsecam *ordinis gratiae* non posse naturali ratione demonstrari, sed revelatione cognoscibilem esse. Etsi enim possibilis rationaliter appareat elevatio facultatum naturalium per virtutem divinitus inditam ad attingendum obiectum *ipsi proportionatum* cognitione quadam altiori ac perfectiori, ea quae vi naturae ipsis inest, non tamen inde arguere licet eas etiam ita elevari posse ut directe attingant rem, quae est extra sphaeram obiecti proportionati. Iam vero Deus *ut in se est,* seu in sua propria ratione *actus puri et infiniti* cuiuslibet creatae facultatis proportionem excedit. Hinc ordo gratiae, seu exsistentia mediorum, quae creaturam rationalem quasi connaturaliter ordinent ad visionem Dei, est mysterium stricte dictum. (Cf. S. Thom., hic q. 114, a. 2, *De Verit.*, q. 14, a. 2; Suarez, *Metaph.*, disp. 30, sect. 11, n. 50. Cf. etiam Bullam *Auctorem fidei*, prop. 18; Denz., 1381).

rale *reparandum;* vel 8° *vitandum;* 9° etiam quoad iustos; 10° demum in ordine ad perseverantiam finalem;

c) Haec quaestio vere fundamentalis est et in ea S. Doctor tum nefarias exaggerationes pessimismi, vel pseudomysticismi Reformatorum, Baii et Iansenii excludit, tum erroneam carpit iactantiam naturalismi pelagiani, et semipelagianismi Massiliensium.

Articulus I.

Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit.

Praenotanda. 1° Homo hic sumitur in concreto uti est in propria specie et naturalibus instructus facultatibus etiam post peccatum originale.

2° Verum vel est *naturale*, vel *supernaturale*. Naturale dicitur quod intra ordinem naturae continetur, et cuius cognitio mentis nostrae captui est proportionata. Supernaturale quod vires naturales humani intellectus transcendit. Nos heic loquimur de veritatibus naturalibus; evidens enim est vera supernaturalia ab humana mente cognosci non posse nisi ipsa *fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei vel prophetiae, quod dicitur lumen gratiae in quantum est naturae superadditum* (1). Item vera, alia sunt *speculativa*, quae cognoscuntur ut cognoscantur, idest in quorum contemplatione intellectus quiescit, quin ordinentur ad opus, ut sunt v. gr. veritates metaphysicae, quae non exhibent proximas regulas alicuius operis faciendi: alia autem sunt *practica* quae cognoscuntur ut secundum ea dirigantur actiones nostrae, quae proinde non appetuntur ratione sui, sed ratione operis faciendi ad quod ab intrinseco ordinantur; ut sunt veritates, quae ad prudentiam, vel ad artes spectant.

---

(1) S. Th. hic.

3° Triplici autem modo veritates dici possunt naturales: scilicet, vel ratione *medii* seu *luminis* et non ratione *obiecti;* vel ratione *obiecti,* et non *luminis;* vel simul ratione *obiecti* et *luminis.* Ratione luminis tantum veritates naturales sunt, quando earum obiectum in se consideratum excedit quidem ordinem naturae, sed tamen huic logice et necessario coniungitur per effectus saltem analogicos obiective et naturali lumine cognoscibiles. Sic v. g. *Deum esse,* et esse *unum, et intellectivum,* etc., naturaliter cognoscimus, quia licet Deus ut *in se est* omnem naturam excedat, tamen ratione connexionis, quam ipse habet ut causa prima cum suis effectibus, idest creaturis per lumen naturale cognosci potest. Ratione *obiecti* et non *luminis* naturales sunt eae veritates, quarum notitia per sensuum ministerium haberi nequit, licet earum *obiectum* intra naturae ordinem contineatur; ut sunt v. g. *secreta cordium, futura libere contingentia,* etc. Sunt denique naturales ratione *obiecti et medii* eae veritates, quarum obiectum est naturale et a nobis attingi potest vel *mediate,* vel *immediate* ministerio sensuum, vel testimonio conscientiae. Loquimur hic de veritatibus quae naturales sunt, vel ratione *obiecti* et *luminis,* vel saltem ratione *luminis.*

4° Veritates naturales vel *divisim,* vel *collective* sumi possunt, prout unaquaeque veritas seorsim accipitur, vel omnium veritatum saltem ordinis religiosi et moralis *collectio* ita attenditur ut nulla alia supersit veritas cognoscenda.

5° Circa relationem seu capacitatem intellectus humani in ordine ad cognitionem veritatum naturalium duplex error e diametro oppositus excludendus est: scilicet tum eorum qui *nullius* auxilii seu motionis divinae necessitatem agnoscunt ut intellectus creatus in actum cognitionis deveniat; tum aliorum qui nullam veritatem ab homine co-

gnosci posse asserunt, saltem ordinis religiosi atque ethici sine aliquo *auxilio vel lumine* naturae superaddito.

CONCLUSIO

Homo ad cognitionem cuiuscumque veri indiget quidem auxilio Dei generali, quo intellectus moveatur ad actum suum, non autem eget speciali auxilio, vel gratia utcumque supernaturali; sed veritates naturales tum ordinis speculativi, tum practici per suum naturale lumen cognoscere potest, licet non omnes collective sumptas.

Status quaestionis. — Tria statuimus: 1° Intellectum creatum ad veri cognitionem indigere auxilio, seu *concursu generali* Dei, quo moveatur ad actum suum (1). Hoc adstruitur contra *Durandum*, qui contendit Deum *mediate* tantum et *remote* in operationes creaturarum influere, quatenus nempe *earum naturam et virtutem agendi conservat* (2). Haec opinio, licet forte ex defectu explicitae definitionis oppositae doctrinae non sit haeretica, est tamen tanquam erronea reiicienda ex communi theologorum sententia (3).

---

(1) Hanc doctrinam directe tradit S. Thomas in hoc art. Quoad necessitatem concursus Dei immediati in *omnes* actiones agentium secundorum, etiam earum que procedunt a libera voluntate Cf. I, q. 105, a. 5; C. G. III, c. 66, 67, 70 et *De Potentia,* q. III, art. 7, etc. Cf. etiam *Catechis. rom.,* p. II.

(2) II dist. I, q. 5. In hunc errorem trahitur Durandus ex confusione ordinis et modi causalitatis qui proprius est causae primae, cum modo et ordine causalitatis causae secundae. Putat enim utramque causalitatem ad eumdem ordinem pertinere. Hinc censet omnem activitatem causae secundae auferri, si actiones eius sub influxu *primi motoris* procedere dicantur.

(3) Sic Bartolomaeus Medina censet sententiam Durandi « *continere intollerabilem errorem et esse contra veritatem divinam* ». P. I. II, q. 79, a. 2. Idem sentiunt Gregor. Arim., II, dist. 34, a. 3; Thomas

2° Hominis, etiam lapsi, intellectum generali concursu *primi Motoris* adiutum posse *quasdam* veritates naturalis ordinis religiosi et moralis per suum lumen naturale cognoscere, quin indigeat alio *speciali auxilio,* vel lumine ab extrinseco indito. Hoc defenditur tum contra *Traditionalistas* qui ad cuiuslibet veri religiosi cognitionem exigunt pro homine lapso lumen extrinsecum divinae revelationis; et praesertim contra Lutherum, Calvinum et Baium, qui insuper necessarium putant auxilium gratiae internae, quae omnino sit supra vires naturae lapsae (1).

3° Necessarium tamen esse homini lapso aliquod *auxilium speciale* ut possit omnes *collective* veritates theoreticas et practicas religionis et legis naturalis, sine erroris mixtione cognoscere. Hoc asseritur ex unanimi fere theologorum sententia (2).

I. Probatur prima pars: — 1° *Ex S. Scriptura*, quae generatim indicat nos non solum in exsistendo, sed etiam in

---

Argentin. II dist. 37, a. 3; Capreolus IV, dist. 12, q. 1, aliique vetustiores scolastici. Gregor. de Valentia putat eam opponi *doctrinae certae ex fide*, II disp. 3 q. 1 puncto I; Suarez eam *esse errorem in fide* docet. De Conc. Dei, c. 4; Bellarminus hoc iudicium profert: « *Sententia Durandi merito passim ab omnibus refutatur, utpote quae Scripturae et SS. Patribus sit contraria* ». De statu peccati II, c. 18.

(1) Cf. Bellar., *De Gratia et lib. arb.*, IV, c. 2; Döllinger, *Reform.* I, p. 437 sqq.

(2) Citari solent tanquam huic doctrinae contrarii Durandus II, dist. 28, q. 1; Medina I, II. q. 109, a. 1, et Caietanus, ibid. - Verum hi generatim spectant quaestionem *de iure;* seu considerant *ipsam virtutem intellectualem in se* praescindendo *a circumstantiis* extrinsecis: et affirmant esse in homine etiam lapso *potentiam physicam* et de se proportionatam ad omne verum naturale; non tamen negant *impotentiam moralem*, seu summam difficultatem attentis omnibus conditionibus humanae naturae lapsae. Et aliunde eorum assertio intelligi potest de omnibus veris distributive sumptis, non autem collective - Caietanus autem docet hic, ignorantiae vulnus ex peccato contractum affecisse tantum intellectum *practicum*, non autem *speculativum*.

agendo a Dei influxu pendere: *In ipso enim,* ait Apostolus *vivimus, movemur et sumus* (1). Sicut itaque Deus est ultima causa nostri *esse,* sic est ultima ratio nostrae vitae, nostraeque operationis. Est autem Deus nostri esse causa non solum eo quod illud primo produxerit, sed per hoc etiam quod ipsum immediate conservat. Ergo etiam nostrarum operationum ita est causa Deus, ut non modo in eas *mediate* influat conservando potentias, sed ut in ipsas operationes *immediate* agat. - Sed explicite etiam tribuuntur Deo *effective* omnes actiones etiam vitales creaturae: *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis compegisti me* (2). Ipse Deus *operit coelum nubibus et parat terrae pluviam* (3). Ipse *foenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur vestit,* etc. (4). Iamvero improprie omnino et extrinseca tantum denominatione Deus diceretur efficere has operationes, si remote tantum in eas concurreret conservando potentias, quibus ipse creaturas instruxit. Hac enim ratione *mediata* agit ipse Deus in creaturas, etiam dum ipsae quiescunt. Igitur etiam quaelibet potentia intellectiva creata ad hoc ut actum suum ponat, indiget Dei moventis auxilio.

2° *Ex Patribus.* — *S. Augustinus* ex allatis S. Script. testimoniis, pluribus in locis hanc doctrinam explicite defendit. « Quomodo, ait, negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta quae creantur, cum Dominus dicat: *Pater meus usque nunc operatur?...* Quomodo etiam accipi potest: *quod si foenum agri... Deus sic vestit?* Cum enim dixit: *vestit* non de praeterita ordinatione, sed de praesenti operatione

(1) *Act.* XVII, 28.
(2) Iob., X. 10.
(3) *Psalm.* CXLVI, 8.
(4) Matth. VI, 30. Cf. Isai. XXVI, 12; Ioa. V, 17.

satis indicat (1). Et iterum: « Sunt qui arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: *Pater meus usque nunc operatur*... Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus et diversis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur varioque appetitu proprias vires agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat secula, quae illi quum primum condita est, tanquam implicita indiderat, quae tamen in suos cursus non explicarentur si ea ille, qui condidit, *provido motu* administrare cessaret » (2). *Hieronymus* hanc ipsam tradit generalem atque naturalem motionem Dei (non autem gratiae propriae dictae auxilium) cum adversus Pelagium in omnibus etiam naturalibus actionibus *Dei adiutorio* nos indigere affirmat: « Si in singulis rebus (inquit quasi Pelagii obiectionem praeveniens) quas gerimus Dei utendum est adiutorio, ergo et calamum temperare ad scribendum et temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere et cetera huiusmodi nisi Deus iuverit non poterimus? Iuxta meum sensum non posse perspicuum est » (3). Idem docent *Origenes* (4), *Chrysostomus* (5), *Cyrillus Alex.* (6) aliique (7).

---

(1) *Ep.* 205 *ad Consent.*, c. 3, n. 17, PL., XXXIII, 948.
(2) *Gen. ad litt.*, V, c. 20 PL., XXXIV, 335-6.
(3) *Dial. c. Pelagium* I, 2, PL., XXIII, 490.
(4) *In Num. hom.* XXIII PG., XII, 750.
(5) *In Ioan.* V. 17 *hom.* 37 PG., LIX, 214.
(6) II *in Ioan.* V, 17 PG, LXXIII, 346-7.
(7) Plurimorum Patrum testimonia congerit Theophilus Raynaudus, *nova libertatis explic.*, p. II, c. 4.

3º *Ex ratione.* — Necessitatem absolutam divinae motionis in omnes actus creaturae, et hinc etiam in cognitiones intellectus humani ex duplici praesertim capite ratio ostendit; — *a) ex naturali exigentia cuiuslibet potentiae creatae,* cuius motus dum a potestate agendi ad *actum* transit, nequeunt explicari, quin admittatur *motio applicata a primo motore immobili,* qui est Deus. Et sane quidem: agens quod in operando *patitur,* id est intrinsece mutatur, atque perficitur, nequit esse *causa totalis et adaequata* suae mutationis et perfectionis. Ens enim *potentiale,* qua tale, *actum* perfectionis suae continere nequit. Ad hunc igitur actum moveri ultimatim debet a motore, qui *actu sit,* et ita *moveat quin moveatur.* Neque dici potest agens *potentiale* secundum aliquam partem sui esse posse causam mutationis, quam secundum aliam sui partem patitur. Nam nisi prima pars sit ipsa motor immobilis, seu talis causa, quae in causando sit *mere activa* et *nullimode passiva;* semper extra et supra ipsam alia causa movens inquiri debet, quae simpliciter agat, quin patiatur et perficiatur: Iam vero nullum ens, vel agens creatum est semper *actu,* et dum agit immobile manet; sed omnis causa creata *agendo* perficitur et mutatur. Hinc suae perfectionis *actum* ab supremae causae influxu recipere debet, quae sola movet quin moveatur, seu agit quin patiatur (1).

---

(1) Hac ratione quoad substantiam utitur S. Thom. in hoc art. Cf. etiam C. Gent. III. c. 67 ubi sic arguit: « Quidquid applicat virtutem activam ad agendum dicitur causa actionis illius. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter et primo a Deo. Applicantur enim virtutes operativae ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis, vel animae. Primum autem principium utriusque motus est Deus, est enim primum movens immobile. Similiter et omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquae virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile, et primum volentem ».

b) Ex absoluta dependentia cuiuslibet entis contingentis et per *participationem* ab Ente a se. Quaelibet namque cognitio et quaelibet actio creaturae est ens contingens, quod nec *esse,* nec *fieri* concipi potest absque intrinseca atque immediata dependentia et influxu *entis absoluti,* seu Dei. Si enim *consisteret*, et a *fortiori* si *fieret* independenter a Deo, eo ipso esset sibi *ratio essendi*, seu ens a se (1).

Scholion. — Duo tamen circa hoc auxilium divinum ex doctrina S. Thomae diligenter notare praestat, quae sunt maximi momenti ad praecavendas difficultates et ut vitetur *occasionalismus* et *determinismus.*

1° *Per hunc concursum generalem neque auferri, neque extenuari causalitatem creaturarum.* Deus enim concurrit ad actiones agentium secundorum ut *causa prima et universalis*, in quantum sub qualibet actione invenitur communis *ratio entis,* quae attingi nequit a causis particularibus. Creaturae vero auxilio divino roboratae propria virtute actiones suas producunt, prout hae sunt determinatae et particulares modificationes entis. « *Secundum ordinem causarum* (ait profunde Angelicus) *est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse; nam omnia alia sunt*

(1) Cf. S. Thom., *De pot.*, q. III, a. 7. ubi ample et profunde ostenditur quatuor modis Deum esse causam operationis creaturarum; *remote* quidem quatenus *dat* eis atque *conservat* virtutem agendi; *immediate* vero quatenus *applicat* virtutem ad agendum, et tanquam agens principale utitur *instrumentaliter* causis secundis ad attingendum ipsum *esse* effectus, quod a solo Deo propria virtute attingi potest. « Sic ergo (ita concludit S. Doctor) Deus est causa actionis cuiuslibet, inquantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat eam, et inquantum applicat actioni, et inquantum eius virtute omnis alia virtus agit. Et cum coniunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae ».

in causa determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia quae sunt quasi particulares et determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones quae determinant esse » (1).

2º Divinam motionem non officere *libertati voluntatis humanae*. Ea enim non est secundum *necessitatem naturae*, sed secundum *providentiae divinae* ordinem. Hinc Deus causis secundis quas voluit agere *necessario* aptavit formam, seu potentiam determinatam ad unum, iis autem, quas *libere* voluit agere, ut est humana voluntas, formam seu potentiam *indifferentem* dedit.

Itaque voluntas hominis *necessario* quidem sub motione Dei motoris universalis et universalis boni fertur ad obiectum sub *ratione communi* boni; *libere* tamen se determinat ad particulares specificationes boni. « Dicendum (ait egregie S. Thomas) quod Deus movet voluntatem hominis sicut *universalis motor* ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: *sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum, vel apparens bonum* (2) ». Ubi advertas, ideo dici *hominem per rationem se determinare*, quia voluntas actuata primitus a motione Dei ad *actum exercitii*, seu ad *primum consilium*, movet rationem ad iudicandum quale hic et nunc sit eligendum ex diversis bonis particularibus, quae ab ipsa ratione plus minusve sub diverso respectu eligibilia exhibentur. Tunc quidem voluntas *active se determinat* ad hoc vel illud eligendum (3). Neque dicas etiam ad determina-

(1) *De pot.*, l. c.
(2) I, II, q. 9, a. 6 ad 3.
(3) Ibid., a. 4.

tionem voluntatis humanae ad hoc vel illud bonum particulare quod a ratione proponitur eligendum, requiri *specialem et distinctam* motionem Dei; cum voluntas sid indifferens potentia respectu ad bona particularia quae necessarium nexum non habent cum bono universali. Nam responderi potest; ex ipsa hac naturali *indifferentia* voluntatis, consequi determinationem particularem ipsius voluntatis, et *praecise prout est particularis,* pendere *a vi naturaliter ei indita libertatis* quoad electionem bonorum particularium. Voluntas enim vero ab *influxu Dei eam actu moventis per appetitum* boni universalis sufficienter actuatur ad hoc ut *sub influxu* huius motionis seipsam determinet ad obiectum quod ab intellectu ipsi proponitur sub aliqua ratione partialis boni eligendum. « Dicendum (ait iterum Angelicus) quod voluntas non secundum idem movet et movetur: unde nec secundum idem est in actu et in potentia; *sed in quantum actu vult finem reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem* » (1).

Quatuor igitur sufficere videntur ad explicandam liberam voluntatis determinationem: — *a*) *Motio Dei,* prout est movens universale, actuans voluntatem per *appetitum* actualem boni universalis, ita ut quidquid ipsa velit, sub ratione boni velit;

b) Motio ipsius voluntatis ad *exercitium actus,* seu ad *primum consilium* circa diversa bona particularia, qua motione excitata movet ipsa active *rationem* ad iudicandum inter diversa eligibilia;

c) Obiectum *actu* voluntati a ratione propositum sub aliqua ratione boni, et tanquam hic et nunc appetibile;

d) Voluntatis sic actuatae *libera* determinatio ad tale bonum particulare (2).

---

(1) Ibid., a. 3 ad 1.

(2) Cf. opusculum Card. Ios. Pecci, *Della sentenza di S. Tommaso circa l'influsso di Dio nelle azioni della creatura razionale*, ecc.

II. Probatur secunda pars: — Posse hominem lapsum per sua naturalia quasdam veritates cognoscere etiam ordinis religiosi et moralis est doctrina fidei a Conc. Vat. sancita, saltem quoad cognitionem Dei. *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt naturali rationis lumine certo cognosci non posse a. s.* (1). Iamvero suprema tum ordinis religiosi tum moralis veritas est utique Dei exsistentia. Hoc ipsum evincitur:

1° *Ex S. Scriptura*, quae cognitionem Dei eiusque attributorum rationali vi tribuit, nullo interiecto lumine revelationis, vel auxilio gratiae superadditae. Sic Apostolus exprobrans impietatem gentilium, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, hanc rationem assignat, qua inexcusabiles fiunt, quia licet revelationem vel *legem* scriptam non habuerint, tamen ex creaturis Deum cognoscere potuerunt, et de facto cognoverunt, sed non sicut Deum glorificaverunt. *Quia quod notum est Dei* (τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ) *manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi* (ἀπὸ κτίσεως κόσμου - *a creatione mundi) per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* (2). Apostolus hic loquitur de cognitione cuius *obiectum* est Deus verus, cuius principium motivum (obiectum formale) est mundus *per ea quae facta sunt;* cuius principium subiectivum est solum lumen rationis; nam in tantum invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspici possunt, in quantum *necessarius nexus* inter mundum et Deum exsistit et manifeste apparet, ita ut ab exsistentia mundi legitime inferri possit ac debeat exsistentia Dei. Idem docet *Auctor Sapientiae,* qui fatuos et natura ipsa insipientes

(1) *Const. de fide,* cap. II; *De Revel. can.* 1, Denz., 1653.
(2) *Rom.* I, 19-20.

vocat omnes homines qui ex creaturis supremum earum Artificem non agnoscunt: *Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei:* (μάταιοι πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ αγνωσία) *et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere Eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex... A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri* (1).

Etiam veritates ordinis moralis naturaliter ab homine cognosci posse diserte tradit Apostolus dum docet, gentes ostendere *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente conscientia ipsorum* (2). Et equidem cum conscientia sit vis naturae rationali indita, si eius testimonium opus legis vel ipsis gentibus ostendit, cognitio legis moralis naturalis est.

2° *Ex ratione.* — *a)* Intellectus est facultas homini indita, quae natura sua ordinatur ad veri cognitionem. Huius autem facultatis vis seu lumen *intellectuale* per peccatum non fuit extinctum, sed quoad suam perfectionem naturalem idem remanet etiam in homine lapso. Ergo nisi di-

(1) Sap. XIII, 1-5. Textus graecus (v. 5) iuxta Cod. Vat. sic se habet: ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων (a magnitudine pulcritudinis creaturarum) ἀναλόγως (proportionaliter) ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται (conspicitur). Plures Patres graeci, versio armena, arabica, et aliqui codices legunt: « A magnitudine et specie creaturae ». Cf. CORLUY, *Spicil. dogm. bibl.*, I, p. 82. - Solet passim afferri ad hanc doctrinam probandam testimonium ex Psal. IV, v. 7: *Multi dicunt: quis ostendit nobis bona?* Cui respondetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Sed licet haec verba *signatum est lumen*, etc., prout in vulgata exstant, significare possent *lumen intellectuale* homini inditum ad bonum cognoscendum, iuxta tamen textum hebr. alium omnino sensum habent. Sic enim vertuntur: *Ostende te nobis Domine propitium et defensorem.* Versio S. Hieronym. legit: *Leva super nos lumen vultus tui Domine.* Cf. Maldonatum et Estium in hunc v.

(2) *Rom.* II, 14. Hoc testimonium in art. seq. expendemus.

catur intellectus frustra a Deo productus, concedendum erit hominem propria vi quasdam veritates ordinis naturalis cognoscere posse; eas scilicet in quorum notitiam ex sensibus possumus devenire. Iamvero Deum esse, seu exsistere Ens necessarium, et supremum omnium rerum auctorem ex consideratione mundi sensibilis deducimus per applicationem principii causalitatis. Ergo (1).

Hoc ipsum confirmatur ex eo quod si homo non posset aliquas saltem veritates ordinis naturalis per solum lumen intellectuale cognoscere « natura humana (ut iterum arguit S. Doctor) aliis imperfectior esset, quae sibi non sufficeret in naturalibus operationibus » (2).

b) Hae ipsae rationes probant etiam hominem lapsum quasdam veritates ordinis *moralis* naturaliter cognoscere posse. Sicut enim lumen intellectus speculativi per peccatum non est extinctum, sic remansit in homine lapso lumen synderesis, seu intellectus practicus, qui est veluti connaturalis illius extensio. Adde certum esse ex doctrina fidei (ut in art. sequenti probabitur), hominem lapsum aliquod bonum naturale *suis viribus* perficere posse. Ergo a fortiori potest ipse aliquod verum practicum, seu sub ratione boni moralis percipere.

Scholion. — Aliqui theologi concedunt quidem hominem lapsum *sine gratia entitative supernaturali* quasdam veritates etiam morales cognoscere; attamen affirmant *concursum generalem,* qui a Deo intellectui humano datur ad cuiuslibet veri cognitionem, esse *auxilium speciale et gratuitum.* Sic Billuart (quem alii sequuntur) statuit hanc conclusionem: « Homo lapsus sine gratia speciali naturae superaddita, sed solum cum concursu generali *praevio, qui tamen aliquo sensu dici debet specialis et gratuitus, potest*

(1) S. Thom. hic et II Sent. dist. 28, a. 5.
(2) II Sent. l. c.

cognoscere quasdam veritates naturales » (1). Veruntamen haec opinio, vel potius iste dicendi modus, admitti nequit. Praescindendo enim a controversia *num* et *quo sensu* concursus generalis sit praevius, certe talis concursus nec est *specialis*, nec gratuitus, sed *communis et debitus*, quia datur ex naturali exigentia facultatis intellectivae.

III. Probatur tertia pars: — Non omnes tamen veritates naturales *collective* ab homine lapso suis viribus cognosci possunt, non quidem ex defectu intrinsecae virtutis proportionatae ad effectum, seu ex *impotentia physica*, sed ex impotentia morali in qua ipsa facultas constituitur quoad plenam sui evolutionem, seu ab impedimentis quae ipsi *morali certitudine* extrinsece obveniunt. Et sane quidem: licet facultas intellectualis eiusque virtus naturalis eadem post peccatum remanserit, eius tamen *exercitium* quam maxime impeditur a plurimis, iisque gravibus difficultatibus, quae a peccato proveniunt. Hominis *vita brevis, veritatum multitudo, ad alias vitae physicae exigentias distractio et praesertim lucta* ex inferioris partis passionibus exsurgens, quae quandoque intellectus lumen offuscant et imminuunt; veritatem quam statuimus evincunt. « *Inter spirituales* (poenas peccati originalis) *est potissima* (ait Angelicus) *debilitas rationis ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis* » (2).

Obiectiones contra II partem: — 1° Cognitio veri absque cogitatione fieri nequit. Atqui teste Apostolo: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (3). Ergo.

---

(1) *De Gratia*, diss. III, a. 2.
(2) C. G. IV, c. 52.
(3) II Cor., III, 5.

Resp. dist. Mai.: In ordine ad vitam aeternam nihil cogitare et cognoscere possumus sine *gratia proprie dicta Conc.:* in *ordine naturali Subd.;* sine auxilio generali Dei *Conc.;* sine gratia supernaturali *Nego.* — Paulus loquitur de sufficientia in ordine supernaturali in quo Deus Apostolos idoneos ministros fecerat Evangelii sui (1).

2° Atqui etiam cognitio veri naturalis saltem quoad veritates morales est nobis impervia. Homo enim ex peccato originali, iuxta Patres, vulnus ignorantiae accepit, et veluti coecus factus est. - Sic Greg. M., hom. II in Ev. Lucae, c. 18, genus humanum comparat *coeco* cui Christus visum restituit. - Atqui coecus nihil videt. Ergo.

Resp. dist. Mai.: Ex eo quod amiserit lumen *fidei* et *scientiae* infusae *Conc.:* ex eo quod amiserit lumen naturale intellectus *Nego.* — Patres loquuntur de coecitate in ordine ad salutem aeternam.

3° Atqui etiam in ordine ad vera naturalia per peccatum lumen intellectus est obtenebratum. Ergo.

Resp. Dist. min. subs. — Fuit obtenebratum eo quod homo per peccatum privatus fuerit illustratione et robore quae consequebantur iustitiam originalem *Conc.;* fuit extinctum, *Nego.* — De fide est per peccatum non fuisse extinctum lumen intellectuale, sed tantum debilitatum (2). Haec autem debilitatio non tam provenit ex deficientia *intrinsecae virtutis*, quam ex impedimentis externis, ut iam innuimus (3).

4° Atqui adeo attenuatum est, ut non possit saltem *omne verum* neque *divisim* cognoscere. Ergo. Sane, eadem

---

(1) Ibid., v. 7 sqq.

(2) Cf. *Conc. Trid.*, Sess. VI, c. 1.

(3) Huius debilitationis per peccatum contractae naturam sic declarat S. Thomas: « Per iustitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animae vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subiecta. Haec autem originalis iustitia subtracta est per peccatum primi parentis; et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae

est relatio intellectus ad suum obiectum, idest *verum*, ac est relatio voluntatis ad *bonum*. Atqui voluntas nostra nequit omne bonum naturale neque *seorsim* suis viribus prosequi. Ergo neque intellectus, etc.

Resp. Nego paritatem habitudinis utriusque potentiae ad suum obiectum. *Disparitas* est praecipue in hoc, quod intellectus est facultas mere *speculativa*, voluntas vero est potentia *operativa*, quae alias potentias movet ut rectae rationi subdantur. Iam vero difficultas prosequendi omne bonum potissime ex lucta vel repugnantia inferiorum potentiarum cum voluntatis dictamine provenit.

Articulus II.

Utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia.

Praenotanda. — 1° Homo considerari potest quoad praesentem quaestionem vel prout nunc est in statu *naturae lapsae*, vel prout fuit in statu *naturae integrae* et innocentis: diversa enim est pro diverso statu *activa* hominis potentia ad bonum.

2° Bonum esse potest ordinis naturalis, idest secundum legem scriptam in cordibus nostris, vel supernaturalis prout refertur ad salutem aeternam. Licet de gratiae necessitate quoad utrumque heic compendiose agat S. Doctor nos tamen ob maiorem doctrinae tanti momenti distinctionem, - remissa ad art. V tractatione de gratiae necessitate ad bonum salutare, - de necessitate gratiae ad bonum naturalis ordinis hic fere agimus.

3° Gratia tripliciter intelligi potest: *Gratia habitualis* seu *formaliter sanctificans; gratia fidei; et gratia actualis,*

---

proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et *ipsa destitutio dicitur vulneratio naturae*... In quantum ratio destituitur suo ordine ad verum, vulnus est ignorantiae ». I-II, q. 85, a. 3. Cf. Bellarminum, *De Gr. primi hom.*, c. 5; Suarez, *De Gr. Proleg.*, IV, c. 8.

quae iterum esse potest vel *entitative supernaturalis*, seu *elevans*, vel supernaturalis tantum *quoad modum*, seu *gratia sanans* potentias naturales a vulneribus per peccatum contractis easque corroborans quoad bonum ipsis connaturale perficiendum. Errores Reformatorum, Baii, Iansenii aliorumque, et etiam quorundam theologorum diversa opinamenta distinctam tractationem de triplicis gratiae necessitate ad opus moraliter bonum exigunt, ut doctrinam Ecclesiae a Conc. Trid. et a SS. PP. distinctim propositam tueamur.

4° Insuper inquiri potest de naturali hominis lapsi capacitate ad adimplendum *aliquod* tantum, vel *omne bonum* sibi connaturale.

5° Hinc quinque conclusiones statuimus, ostendentes hominem in statu naturae lapsae perficere posse per sua naturalia *aliquod* bonum legis naturalis: 1° *Sine gratia habituali;* 2° *sine gratia fidei;* 3° *sine auxilio gratiae actualis. Omne* vero bonum rationalis honestatis perficere quidem potuisse 4° *hominem integrum;* 5° non autem id posse *hominem lapsum sine gratia sanante* Redemptoris.

CONCLUSIO I.

Potest homo lapsus sine gratia habituali, seu ante adeptam iustificationem aliqua opera bona perficere; hinc non omnia peccatorum opera sunt peccata.

Status quaestionis. — 1° Heic homo lapsus intelligitur *peccator* sive infidelis sit, sive fidelis, et asseritur capacitas peccatoris ad aliquod opus bonum faciendum vel in ordine ethico tantum si sit infidelis, vel etiam in ordine supernaturali, si sit fidelis.

2° Conclusio est contra Lutherum et Calvinum, qui ex falso atque haereticali principio de natura hominis per

peccatum originale *essentialiter corrupta* deduxerunt nullum opus moraliter bonum fieri posse ab homine peccatore, seu nondum per fidem iustificato; quin imo ipsius iustificati opera esse de se formaliter mala, licet ipsi non imputentur.

Iterum contra Baium et Iansenianos qui in eamdem erroneam conclusionem pervenerunt ex principio *duplicis amoris*, coelestis et terreni dominantis in omnes actus hominis, ex quo fit ut quaelibet actio humana vel fiat sub influxu *charitatis divinae* et *sit bona*, vel sub imperio cupiditatis terrenae, et *sit mala.* — Ponitur etiam contra Hermes qui docuit solummodo *fidem* et *charitatem operosam*, quae totam hominis vitam regat et determinet ad salutem *aliquid* prodesse. Hinc opera quae a fideli fiunt citra influxum charitatis divinae nihil valere (1).

3° Nostra conclusio, saltem in eo quod negat omnia peccatorum hominum opera esse peccata, exhibet *doctrinam fidei*. Concilium enim Trid. definit: « Si quis dixerit opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata et odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam tanto eum gravius peccare », a. s. (2). Ergo de fide est saltem non omnia peccatoris opera esse peccata. Idem error iam damnatus fuerat in Conc. Constantiensi contra Ioan. Huss qui docebat mortale peccatum inficere universaliter actus hominis etiam virtuosi (3). Praeterea damnatae sunt hae p.p. Baii: « Omne quod agit peccator, vel

(1) *Dogm.*, p. III, § 285. - Inter antiquos theologos Gregorius Arimin. negavit actum aliquem cuiusvis virtutis moralis esse bonum nisi fiat ex imperio actuali amoris Dei. Est tamen discrimen inter errorem Baii et sententiam Ariminensis in eo quod ille exigit charitatem Dei *supernaturalem*, iste autem sufficere docet amorem Dei *naturalem*. Cf. Becanum, *De Auxilio gr.*, disp. IV, q. 2, a. 2.

(2) *Sess.* VI, c. 7, Denz., 699.

(3) *Sess.* V, Denz., 537.

servus peccati, peccatum est » (1): « In omnibus suis actibus peccator servit cupiditati dominanti » (2). Similiter proscribitur haec prop. Quesnelli: « Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat » (3). Demum Pius VI in Const. *Auctorem Fidei* eumdem errorem qui fuerat denuo in Conc. Pistoriensi excitatus damnavit: « Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis et charitatis dominantis) enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati: falsa, perniciosa, inducens in errorem a Trid. damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40 » (4).

« Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum, *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei* (ex S. Aug., *De sp. et litt.*, c. 28); *perinde ac si inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum*, *et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur*, non daretur *dilectio*

(1) *Prop.* 35, Denz., 915.
(2) *Prop.* 40, Denz., 920.
(3) *Prop.* 45, Denz., 1260.
(4) *Prop.* 23, Denz., 1386.

humana licita, quae non reprehenditur (ex S. Aug., *Serm.* 349 de char., edit. maurin.): falsa, alias damnata» (1).

Probatur: — 1° *Ex S. Scriptura* quae saepe quaedam peccatorum opera laudat, et ad ea facienda peccatores excitat. Iam vero nequit Spiritus S. ad malum homines hortari. Sic Ecclesiasticus monet: *Fili peccasti? Non adiicias iterum: sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur* (2). Et iterum Deus impios invitat: *Convertimini ad me... et convertar ad vos* (3). Daniel sic hortatur Nabuchodonosor regem: *Peccata tua eleemosinis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (4). Sic proponuntur exempla Zachaei (5) et praesertim publicani qui humilitate sua et oratione, qua Deo placuit, certe non peccavit, sed opus bonum perfecit (6).

2° *Ex Patribus.* — Afferre sufficiat Origenem et Augustinum qui non solum doctrinam quam defendimus explicite inculcant, sed difficultatem etiam solvunt quae contra ipsam oriri videtur ex verbis coeci nati: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit* (7). « Etiamsi peccatores estis (scribit Orig.) orate Dominum. Peccatores exaudit Deus. Quod si timetis illud, quod in Evangelio dicitur: *Scimus quia peccatores non exaudiat Deus;* nolite pertimescere, nolite credere. Coecus erat qui hoc dixit. Magis autem credite ei qui dicit et non mentitur: *Et si fuerint peccata vestra ut coccinum, ut lanam dealbabo* » (8). Et Augustinus eadem verba coeci nati enarrans ait: « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim pecca-

(1) *Prop.* 24, Denz., 1387.
(2) Eccli., XXI, 1.
(3) Zachar., I, 3.
(4) IV, 24.
(5) Luc., XIX.
(6) Luc., XVIII, 13-14.
(7) Ioa., IX, 31.
(8) *Hom.* 5 *in Isai.*, n. 2, PG. XIII, 236.

tores non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens et pectus suum percutiens, diceret: Domine propitius mihi esto peccatori. Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste coecus illuminationem » (1).

3° *Ex ratione.* — *a) Ex universalitate obligationis legis naturalis.* Quedam enim opera iure naturali praecipiutur etiam peccatoribus ut opera iustitiae, temperantiae, misericordiae, etc. Atqui non possent praecipi si bona non essent etiamsi a peccatoribus fiant. Ergo quaedam peccatorum opera non sunt peccata.

b) Ex erroneo et *absurdo fundamento* super quo Reformatores et Ianseniani suam sententiam adstruunt. — Non enim est minus falsum quam absurdum quod primi asserunt, nempe naturam humanam per peccatum originale adeo fuisse corruptam, ut quidquid homo agat non sit nisi manifestatio huius peccati in se exsistentis.

Item falsum est principium iansenianum, quo supponitur hominem in omni opere suo aut Dei charitate, aut mala duci cupiditate; nullus enim habitus sive bonus sive malus in *omnem actionem* particularem *necessario* influit. Hinc sicut iustus cui inest habitus charitatis peccare potest venialiter, sic habitualiter a Deo aversus aliquod opus bonum perficere potest.

Falsum denique est ad *honestatem* operis requiri eius ordinationem ad charitatem. Haec utique ordinatio sive relatio saltem implicita, exigitur ad hoc ut opus sit *meritorium* vitae aeternae, non autem ut sit *ethice* honestum. Neque enim adest obligatio ad *omne opus ponendum* ex praecepto charitatis, quia hoc praeceptum utpote *positivum* obligat quidem semper, ita ut quidquid fiat contra illud, peccatum sit, non autem obligat *pro semper* ita scilicet ut quidquid fiat, debeat ex charitate fieri. Egregie S. Thomas:

---

(1) *In Ioa.*, tract. XXXXIV, n. 13, PL. XXXV, 1718.

« Simpliciter falsum est, quod omnis actus qui non est a voluntate informata charitate sit demeritorius; alioquin illi qui sunt in peccato mortali in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum quod interim quidquid boni possent, facerent, nec opera ab eis facta, quae sunt de genere bonorum disponerent eos ad gratiam; quae omnia sunt falsa. Tenetur autem quilibet ad conformandum voluntatem suam voluntati divinae, quantum ad hoc quod velit quidquid vult Deus eum velle, secundum quod voluntas Dei innotescit per prohibitiones et praecepta; non autem quantum ad hoc *quod ex charitate velit*, nisi secundum illos qui dicunt quod modus charitatis est in praecepto. Quae quidem opinio *aliqualiter vera* est, alioquin sine charitate posset aliquis legem implere, quod est pelagianae impietatis: *nec* tamen est *vera omnino;* quia sic aliquis charitatem non habens honorans parentes peccaret mortaliter ex omissione modi, quod est falsum. Unde modus sub necessitate praecepti includitur, secundum quod praeceptum ordinatur ad consecutionem beatitudinis, non autem secundum quod ordinatur ad vitandum reatum poenae; unde qui honorat parentes non habens charitatem non meretur vitam aeternam, sed tamen neque demeretur. Ex quo patet quod non omnis humanus actus, etiam in singulari consideratus est meritorius, vel demeritorius, licet omnis sit bonus, vel malus » (1).

Obiectiones. — 1° *Non potest arbor mala bonos fructus facere* (2). Atqui arbor mala est peccator. Ergo. - Hinc etiam a S. Scriptura opera obiective bona, quae ab impiis fiunt, abominabilia Deo dicuntur: *Victimae impiorum abominabiles Domino; vota iustorum placabilia* (3).

---

(1) Qq. dd. *De Malo,* q. II, a. 5, ad 7. Cf. etiam *Sum. Theol.,* q. 65, a. 2-4.

(2) Matth., VII, 18.

(3) *Prov.,* XV, 8. Cf. Isai., I, 13, etc.

Resp. Dist. Mai: Non potest arbor mala bonos fructus facere si sit *totaliter* mala, vel si *formaliter prout mala est* fructus producat, *Conc.;* si *ex parte* tantum sit mala, et *ex parte* bona et prout talis fructificet, *Nego. Contradist. min.* etc. Sane peccator lumen rationis et synderesis et liberum arbitrium conservat, ideoque ex hac parte aliquod *naturale* bonum efficere potest. « Non itaque (ait S. Aug.) in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est, et bonos fructus facere non potest » (1). Ceterum ex contextu apparet *arborem malam* de qua Salvator loquitur non esse quemlibet peccatorem, sed falsos prophetas, de quibus dicitur: *Attendite a falsis prophetis... a fructibus eorum cognoscetis eos* (2). Idem dicendum de aliis testimoniis, quibus peccatorum actiones etiam ex obiecto bonae vituperantur. Haec enim impiorum opera mala nominantur ob *pravum affectum* et *finem peccatoris* a quo fiunt; non autem ex eo quod in se mala sint si a peccatore citra pravam intentionem fiant. Sic in adducto testimonio sermo est de Iudaeis, qui existimabant omnia sibi crimina licere, si sacrificia Deo offerrent reliquasque legis coeremonias observarent.

2° Atqui peccator est *totaliter* malus; quia est totaliter a Deo aversus. Ergo.

Resp. Nego ant.: Dist. rat. allatam: Est totaliter a Deo aversus in *ordine supernaturali, Conc.;* in ordine naturali, *Nego.* — Itaque peccator dum in peccato manet, est quidem aversus a Deo prout est *finis supernaturalis;* non autem eo ipso est aversus a Deo prout est Auctor legis naturae et finis naturalis.

---

(1) *Cont. Iulian.*, IV. n. 30, PL, XXXXIV, 754.
(2) Matth. VII, 14-15.

CONCLUSIO II.

Potest homo lapsus absque gratia fidei aliquod bonum ordinis naturalis perficere, ideoque non omnia infidelium opera sunt peccata.

Status Quaestionis. — 1° Dicimus hominem infidelem, idest cui nondum inest vera *fides supernaturalis, seu theologica, aliquod opus* bonum ordinis naturalis, quod nempe *legi naturae* quoad *substantiam* et quoad *finem* consentaneum sit, efficere posse; quin ex solo huius fidei defectu haec opera fiant formaliter mala, seu peccata ad poenam imputabilia.

2° Conclusio sic intellecta quamvis non sit *de fide*, pertinet tamen ad *doctrinam catholicam* et arguitur ex damnatione contrariae sententiae Baii et Iansenianorum quorum hae propositiones proscriptae sunt: *Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia* (1). *Necesse est infidelem in omni opere peccare* (2). *Omne quod non est ex fide supernaturali christiana, quae per dilectionem operatur, peccatum est* (3).

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura,* quae tum *factis*, tum *dictis* ostendit infideles aliquas actiones bonas efficere posse quae sint *laude* et *quadam mercede temporali dignae.*

a) Factis: — Sic Deus obstetrices aegyptias, eo quod crudeli Pharaonis decreto occidendi mares Hebraeorum non obtemperaverint, praemio amplioris prolis retribuit (4).

---

(1) *Prop. Baii*, 25, Denz., 905.

(2) *Prop.* 8 ex damnatis ab Alex. VIII (7 dec. 1690), Denz. 1165.

(3) *Prop.* 11, ibid., Denz. 1168.

(4) *Exod.* I, 20. Quidam interpretes cum Malvenda putant has obstetrices fuisse hebraeas, cum earum nomina Sephora et Phua sint hebraica. Verum plerique tenent eas fuisse aegyptias; et iure quidem ut vel evidens est ex v. 19 ubi regi respondent: *Non sunt Hebraeae sicut Aegyptiae mulieres: ipsae enim... priusquam veniamus ad eas pariunt.*

Et Nabuchodonosor confertur terra Aegypti tanquam merces eo quod urbem Tyriorum Deo infensam magno labore expugnaverit (1). Sic Cyrus laudatur quod templum Hierosolymae instauraverit, etc. (2).

b) Dictis: — Praesertim vero nostra conclusio probatur ex doctrina Pauli, qui ethnicos reprehendit eo quod *cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt... et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori* (3). Atqui *glorificare et colere Deum, gratias agere Deo* opera sunt bona atque honesta. Haec itaque fieri poterant ab ethnicis, secus hi haud essent reprehendendi.

Item manifeste Apostolus supponit *infideles* opera legis naturalis efficere posse dum ait: *Quum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus* (4).

Hoc celebre testimonium veteres Patres, ut Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus aliique plures de gentibus *infidelibus* intelligunt (5). Sed cum Pelagiani eo abuterentur eousque ut inde arguerent gentes *absque fide et gratia* Redemptoris *iustificari posse* per legis naturalis perfectam adimpletionem, Augustinus censuit Apostolum loqui de *ethnico-christianis,* seu

---

(1) Ezech., XXIX, 18-20. In hunc locum S. Hieronym. ait: « Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint non absque mercede, Dei iudicio praeteriri ».

(2) Isai., XXXXIV, 28.

(3) *Rom.*, I, 21-25.

(4) *Rom.*, II, 14-15.

(5) Cf. Suarez, *De Gr.*, l. I, c. 8, et Ripalda, *De Ente sup.*, tom. III, disp. 20, sect. 3, ubi horum aliorumque Patrum testimonia adferuntur.

de conversis ad fidem Christi ex gentilitate. Ipse tamen quandoque permittit aliam interpretationem de infidelibus (1). Augustinianam expositionem sequuntur S. Fulgentius (2) et S. Prosper (3), eamque post Estium amplectuntur quidam interpretes ut Salmeron, Toleto, etc. (4). Plerique tamen ex theologis cum Caietano, Soto, Catherino testimonium paulinum obvio sensu gentibus nondum conversis ad fidem applicant (5). Et equidem ipse contextus hanc restrictionem ad gentem infidelem exigere videtur. Scopus enim Apostoli est, ut evincat *omnes homines indigere* gratia Christi. Hinc in cap. I ostendit gentes fuisse peccatores; et cap. II Iudaeos in simili conditione versari. Atqui non poterat Paulus hac in re opponere Iudaeos genti *christianae*. — Item vel nullum, vel satis incongruum sensum haberent haec verba: Gentes eiusmodi legem (iudaicam) non habentes *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum;* si applicanda forent *christianis,* quibus lex moralis in Decalogo mosaico publicata et a Christo explicite confirmata ex ipsa praedicatione christiana notissima erat. — Demum vel ipsa Pauli phraseologia hunc sensum confirmat; notum enim est nunquam ethnico-christianos a Paulo appellari *gentes absolute* et sine aliqua ulteriori determinatione; sed ea voce *infideles* tantum designare. Sic v. g. Corinthiis scribens ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes* (6); et iterum: *Scitis quoniam quum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes* (7). Ceterum huius paulini textus interpre-

(1) Cf. *De sp. et litt.*, c. 27, n. 48 PL, XXXXIV, 229.

(2) *De Incar. et Gr.*, c. 25.

(3) Contra Collatorem, c. 22. Cf. Ripalda, I, disp. VIII, sect. 14.

(4) Cf. Ripalda, III, disp. 20, sect. 3.

(5) Cf. Stapleton, *De Iustific.*, l. II, c. 14, ubi horum aliorumque sententiae expenduntur.

(6) I *Cor.*, V, 1.

(7) I *Cor.*, XII, 2.

tatio de gentibus infidelibus est, saltem theologice *tuta;* prout evincitur ex damnatione prop. 22 Baii, quae ita se habet: « Cum Pelagio sentit, qui testimonium Apostoli ad Rom. II, gentes quae legem non habent, etc., intelligit de gentibus fidei gratiam non habentibus » (1). Neque huic interpretationi obstat quod legitur in vers. antecedente: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Nam haec verba non tam directe connectuntur cum v. proxime sequenti: *Cum enim gentes,* etc.; quam cum anteriori contextu, cuius sunt veluti conclusio. Est itaque sensus: Iudaeos inaniter et falso se iactare iustos ex eo quod legem *scriptam* possideant, eiusque lectionem singulis sabbatis audiant; nam non *auditores,* sed *factores* legis iustificabuntur. Si enim *moralitas,* quae ex lege fluit, adnexa necessario esset *circumstantiae materiali possessionis et auditionis legis scriptae,* tum gentes quae legem scriptam et extrinsece promulgatam non habent, nullam *actionem moralem* perficere possent, dum tamen legem moralitatis scriptam habeant in cordibus suis. Id quod excluditur ipsa experientia, quae ostendit etiam ethnicos conscientiam habere rectae vel pravae actionis.

2° *Ex Patribus.* — Potestatem alicuius actionis moraliter bonae faciendae infidelibus concedunt explicitissime Clemens Alex., Origenes, Irenaeus, Tertullianus, Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Ioa. Damascenus aliique praesertim Augustino anteriores (2). Ut unum vel alium afferamus, Gregorius Nazianzenus scribit: « Ut enim multi ex nostris (christianis) nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet: sic contra multi exterorum (gentilium) ad nos spectant, quicumque nimirum fidem

---

(1) Denz., 902.

(2) Horum aliorumque testimonia lege apud Ripalda, *De Ente supern.,* t. III, disp. 8, sect. 15-17; disp. 19, sect. 3; disp. 20, sect. 4.

moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant (idest quasdam virtutes christianis commendatas exerceant) » (1). Et Hieronymus: « Ex quo perspicuum fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci et non habere semina in se sapientiae et iustitiae reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant » (2). Et vel ipsum Augustinum hanc doctrinam fundamentaliter admisisse, etiam fervente lucta pelagiana, nemo inficiari potest. Scribit enim: « Si hi, qui naturaliter quae legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia (idest, si verba Pauli Rom. II, 14, intelligenda sunt de infidelibus) sed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter iusteque colentium, quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus, quanquam si discutiantur, quo fine fiant, *vix* inveniuntur (ergo saltem quandoque) quae iustitiae debitam laudem defensionemve mereantur » (3). Cuius doctrinae rationem afferens subiungit: « Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere...; nam remanserat utique id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest, ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per iniustitiam... nam et ipsi (gentiles) homines erant et vis illa naturae inerat iis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit.

---

(1) *Orat.* 18, n. 6, PG, XXXV, 991.
(2) *In Epist. ad Gal.*, c. I PL, XXVI, 326.
(3) *De Spir. et litt.*, c. 27, n. 48.

Sicut non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus vita difficillime cuiuslibet pessimi hominis invenitur » (1). Ex his testimoniis manifeste apparet Augustinum concedere homini infideli capacitatem perficiendi aliquod opus, quod bonum sit naturaliter non solum ex parte obiecti, sed etiam *ex parte finis*; ait enim: *Si discutiantur quo fine fiant vix inveniuntur*, etc. Ergo censet aliqua infidelium opera, licet rarissimo, ex fine quoque esse bona (2).

---

(1) *De Sp. et litt.*, c. 28. PL. XXXXIV, 230. Iste liber scriptus est, anno 412.

(2) Praestat paullulum immorari in exponenda doctrina S. Augustini de operibus infidelium. Ianseniani pro certo habent Augustinum auctorem esse sententiae quae negat infideli capacitatem faciendi quodlibet opus moraliter bonum: « Nugae (scribit Iansenius), delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis et fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato iuxta Augustinum (*De statu naturae lapsae*, l. 4, c. 17). Ut hoc ostendant plurima congerunt dicta in quibus S. Doctor omnia opera citra fidem facta damnare videtur tamquam *peccaminosa*, ut dum ait: « Sine ipsa vero (fide) etiam, quae videntur bona, in peccata vertuntur; omne enim quod non est ex fide, peccatum est ». Ad Bonifac. III, 14 PL. 44, 598; et dum passim philosophorum virtutes vocat « *falsas virtutes et vitia* » et generatim *omnia infidelium opera peccata*. Cf. *De gestis Pelagii*, n. 34 PL, 44, 341; *De Civit. Dei*. XIX, 25 PL, 656; *De nupt. et concup.*. I, 4 PL, 44, 415, etc.

Haec quidem testimonia aliaque similia si seorsim a contextu. prout materialiter sonant sumantur, ianseniano errori favere dicenda sunt. Verum, si eadem expendantur, ut omnino aequum est, iuxta *exigentiam* contextus et relate ad *scopum* Auctoris, et ad generalem oeconomiam controversiae pelagianae cuique manifeste apparebit *falsam* esse explicationem, quam de his exhibent *ianseniani*, veramque e contra haberi oportere quae defenditur a theologis catholicis; qui docent per haec testimonia non negari ab Augustino *bonitatem naturalem* inesse posse quibusdam actionibus infidelium (quod alibi ipse S. Doctor aperte fatetur), sed ideo omnes infidelium actiones *peccaminosas* dici, quod *nihil* eae prosunt *ad salutem*, sed *steriles* sunt, etiamsi *pravo fine* non inficiantur, quod raro contingit. Et sane quidem: fundamentalis quaestio in causa pelagiana non circa hoc versabatur, utrum

3° *Ex ratione.* — Fundamentalis ratio a S. Thoma inde deducitur, quod per peccatum etiam infidelitatis non omne bonum naturae auferetur. « Cum infidelitas (ait

---

omnia infidelium opera sint *formaliter* peccata; sed erat de *absoluta impotentia* humanae naturae relate ad ordinem supernaturalem absque gratiae auxiliis. Iulianus eclan. ex principio pelagiano de aequalitate status praesentis cum statu Adae inferebat: *a)* posse hominem etiam nunc (licet difficulter) *totam* legem naturalem observare: *b)* per virtutes *naturales* adquiri *ius* ad gratiam Redemptoris, qua *facilius* lex impleri possit; *c)* per plenam legis naturalis observantiam obtineri *ius* ad vitam aeternam. Ut hoc suum systema, quod totam gratiae et ipsius redemptionis oeconomiam evertit, fulciretur Iulianus, arguebat potissimum ex bonis virtutibus infidelium, quibus a Deo aliqua debebatur supernaturalis remuneratio, idest saltem *validius gratiae adiutorium* ad recte honesteque vivendum. — Itaque Augustinus contra Iulianum vindicans absolutam necessitatem gratiae Redemptoris ad salutem consequendam, negat posse hominem suis viribus totam legem implere, et ulterius progressus, negat opera infidelium esse bona, tum quia ut *plurimum pravo fine* foedantur, tum praecipue, quia *nunquam* sunt *bona sensu* Iuliani, idest *meritoria* vitae aeternae, vel *gratiae Christi*. Igitur tum Iulianus, tum Augustinus opus *bonum* illud vocant, quod est *remuneratione dignum in ordine supernaturali,* seu quod est meritorium vitae aeternae, vel gratiae *coadiuvantis*. Hoc solum sensu asserit Augustinus, quod quidquid ex fide non est, peccatum est; quia omne opus, quod citra fidem fit est *defectuosum et informe*, seu *non est sicut oportet ut placeat* Deo supernaturali remuneratori. Hoc autem probat praesertim ex eo, quod *ordo supernaturalis* est homini *obligatorius,* ut ipse aeternam damnationem aufugiat et coelestem vitam consequatur. *Inde* concludit, omne opus quod ex fide non fit, *peccatum esse, quia operantem ab aeterna poena non liberat.* Per hoc tamen non excludit aliqua ab infideli fieri posse opera, *quae in se sint naturaliter laudabilia;* imo affirmat ratione harum actionum, quae sunt naturaliter honestae infidelem in sua infidelitate decedentem *tolerabilius puniri.*

Hanc fuisse genuinam magni Hypponensis mentem etiam in postrema phasi haeresis pelagianae et semipelagianae evidenter apparet ex ipsis locis, ex quibus adversarii sua arma depromunt. Sic anno 420 scribit: « *Nostra fides, hoc est catholica fides, iustos ab iniustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit quia iustus ex fide vivit. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius; parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omnino concubitu etiam coniugali, eleemosynarum largissimus, iniuriarum patientissimus, qui non solum*

S. Thomas) sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in iis aliquod bonum naturae. Unde manifestum est quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen opera ad quae sufficit bonum naturae aliqualiter operari possunt » (1).

---

non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis erogatisque in pauperes, nihil suum propriumque possideat: cum suis tamen veluti istis laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam et catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat ». Ad Bonif. III, 14 PL, 598. — Et anno 421 contra Iulianum suam sententiam ultimo concludit his verbis: « *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quae datur per unum Mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci* ». Contr. Iulianum IV, 33 PL, 44, 755. Scripserat autem paulo supra ibidem de honestis infidelibus: « Si fidem non habent Christi, profecto nec iusti sunt, nec Deo placent, cui sine fide placere impossibile est. Sed ad hoc eos in die iudicii cogitationes suae defendent, ut *tolerabilius* puniantur, *quia naturaliter quae legis sunt utcumque fecerunt,* scriptum habentes in cordibus suis opus legis hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent: *hoc tamen peccantes,* quod homines *sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur, non quia ille bonus,* sed quia iste magis malus: et minus impius Fabricius quam Catilina *non veras virtutes habendo*, sed a *veris virtutibus* non plurimum deviando. Non erat, inquam, in eis vera iustitia, quia non *actibus*, sed *finibus* pensantur officia ». Ib. IV, 25 PL, 44, 751. Demum obiicienti Iuliano, voluntates infidelium, quae honestorum morum fructus producent non posse haberi tanquam *arbores malas*, respondet: « Dicantur secundum te, huiusmodi voluntates arbores bonae, *sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonae* ». Ib., IV, 33, PL, 43, 755. Hoc obiectivo criterio, et ex generali oeconomia defensionis necessitatis gratiae contra Pelagium, aliae etiam Augustini expressiones exaggeratae reduci possunt et ex aequo debent ad doctrinam a SS. Pontificibus sancitam contra Iansenianos, et ab ipso S. Doctore non semel nitidius expositam. « Hoc (ait S. Bonaventura) credendum est sensisse beatum Augustinum licet verba eius *exterius* propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sonare videantur. Ut enim eos reduceret ad medium *abundantius* declinavit ad extremum ». Brevil. p. III, c. 5. *plus dicens et minus volens intelligi.*

(1) II, II, q. 10, a. 4, expresse de hac quaestione agitur.

Hoc ipsum arguitur *ex analysi moralitatis actus humani*. Actus enim ethice bonus censendus est: *a)* cuius obiectum materiale est honestum idest iuxta legis naturae praescriptum; *b)* cui nulla apponitur prava circumstantia: *c)* et nulla deest ex debitis. Atqui infidelis talem actum elicere potest. Ergo. — *Prob. min.* Potest infidelis opus ponere: *a)* quod sit *obiective* honestum: ut honorare parentes. reddere debitum, eleemosynam pauperi porrigere, etc.; *b)* quod nulla prava circumstantia inficiatur; haec enim foret vel ipsa infidelitas *formaliter* in actum influens, vel *pravus finis*. Atqui homo etiam fide destitutus potest agere quandoque non formaliter ut *infidelis*, sed ut *rationalis:* « Sicut enim (pergit Angelicus) habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu quem non refert ad fidei finem vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis » (1). Addi potest insuper. non repugnare honestum actum ab infideli poni posse praecise ob *honestatem actus*. *c)* Demum potest infidelis opus facere, cui nulla desit ex circumstantiis debitis. Si qua enim circumstantia est, quae deesse concipi potest, haec sane foret *defectus* actualis vel virtualis relationis suae actionis in Deum. Atqui, primo quidem, non repugnat infidelem quandoque actionem suam actualiter etiam referre in Deum auctorem naturae, quem naturaliter cognoscere potest ut summum Bonum et ultimum finem. — Ceterum vero ad *honestatem* actus non requiritur ut is *explicite* referatur in Deum tanquam ultimum finem, sed sufficit *relatio* ad Deum bonum universale, quae cuilibet actioni implicita est ex *obiecto materiali* et *fine proximo bono*. Dummodo enim relatio in ultimum finem *positive* ab operante non excludatur, eo ipso quod aliquis vult opus in se honestum et

---

(1) Ibid.

ex fine proximo bono, censendus est habere voluntatem conformem voluntati Dei, qui hoc opus praecipit, vel approbat (1).

Obiectiones. — 1° Ex Scriptura, quae sine fide fiunt opera sunt tenebrae: *Si oculus tuus* (ait Christus) *fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (2). Oculus autem noster quoad bonum agendum est fides. Ergo.

Resp. In testimonio allato non agi de *fide theologica,* sed de *recta intentione.* Est enim sermo contra Pharisaeos, qui opera sua faciebant ob vanam gloriam ita ut ieiunantes faciem suam exterminarent quo viderentur ab hominibus: *Tu autem cum ieiunas* (ait Dominus) *unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito* (3).

2° Atqui iuxta Apostolum *quod non est ex fide peccatum est.* Ergo.

Resp. Dist. testimonium allatum: quod non est ex fide, idest *iuxta dictamen bonae conscientiae* peccatum est, *Conc.; ex fide theologica, Nego.* Apostolus loquitur ibi de *idolothytis,* seu de cibis qui idolis oblati fuerant, docetque peccare eum, qui contra conscientiae dictamen de illis comedit, licet in se eorum usus licitus sit. Si autem fides theologica ibi intelligatur cum S. Augustino, licet contra communem aliorum Patrum interpretationem, et contra contextus exigentiam, respondemus cum S. Thoma: *Dist.*, quod non est ex fide, scilicet quod *fit contra fidem vel ex motivo infidelitatis* peccatum est, *Conc.;* quod non fit formaliter ex infidelitate, *Nego* (4).

---

(1) Cf. Gonet, q. I, a. 3, § 5.

(2) Matth., VI, 22-23.

(3) Ibid., v. 17.

(4) II, II, q. 10, a. 4 ad 1. Cf. Lect., 3, in C. XIV *ad Rom.* Ceterum vel ipse Augustinus hoc Ap. testimonium *per se de solis cibis*

8° Atqui id omne quod non est ex *fide theologica* peccatum est. Qui enim opus facit, quod Deo displicet, peccat. Atqui opus sine fide theologica factum displicet Deo: *sine fide enim impossibile est placere Deo.* Ergo.

Resp. Dist. Min., displicet Deo, hoc est non placet relate ad ordinem supernaturalem et ad retributionem vitae aeternae, *Conc.;* in *ordine naturalis honestatis, Nego.* — Iam vero in testimonio adducto sermo est de operibus quae sint vitae aeternae meritoria, adeoque Deo placeant prout ipse est remunerator supernaturalis.

CONCLUSIO III.

Potest homo lapsus cum solo generali concursu Dei sine gratia actuali, aliquod opus ethice bonum perficere.

Status Quaestionis. — 1° Conclusio statuitur primo quidem contra Baium et Iansenianos, qui homini lapso quamlibet potentiam bonum aliquod unquam faciendi sine determinante gratia Dei negaret, asserentes liberum arbitrium ad peccandum solummodo valere. — Dein autem contra theologos Augustinienses, qui licet concedant hominem lapsum aliqua opera bona *quoad substantiam*, seu quoad obiectum materiale, suis viribus adimplere posse, negant tamen posse unquam perfici naturaliter opus bonum *quoad modum* seu obiectum formale, hoc est *ex intentione finis ultimi*, quae intentio seu relatio saltem *virtualis* in summum Bonum, est iuxta ipsos constitutivum formale bonitatis operis. Hinc et ipsi affirmant liberum arbitrium sine gratia, nonnisi ad peccandum valere, quamvis et hoc addant (quod est pariter erroneum) Deum ex decentia et rectae provi-

---

explicari permitteret, nisi esset illud Hebr. XI, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*, ad Bonif. III, 14, l. c.

dentiae debito non posse naturam hominis sine hac gratia actuali relinquere (1).

2° Animadvertendum est hic non agi solum de potentia physica, sed etiam *morali*, quae possit vere aliquando in actum erumpere.

3° Doctrina quam defendimus asseritur a *Magisterio* ecclesiastico contra Baium et Iansenianos. Inter propositiones damnatas Baii sunt hae: « Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio, nonnisi ad peccandum valet » (2). « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit agnoscit » (3). Item damnatae fuerunt hae p.p. Quesnelli: « Iesu Christi gratia principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit sed nec fieri potest » (4). « Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali et incapax ad omne bonum » (5). Ergo liberum arbitrium sine gratia, seu naturaliter, est *capax* alicuius boni. Haec doctrina adhuc magis directe proponitur in « Bulla Auctorem Fidei » in qua vindicantur homini *affectus medii inter dominantem cupiditatem*

(1) Cf. Norisium, *Vind. August.*, c. 3, § 4, et c. 4, § 5; Berti, *Theol. discipl.*, l. 12, c. 3 et praesertim, l. 18, c. 3, ubi adnotat: « *non uno* tamen, sed titulis pluribus sententiam theologorum Ordinis Augustiniani discriminari ab errore sectariorum; nempe in eo quod Augustinienses fatentur in unoquoque homine quantumvis improbo *appetitum beatitudinis* conservari; deinde in eo quod ipsi negant motus indeliberatos ad damnationem imputari; et insuper concedunt a paganis ac scelestissimis aliquid boni interdum fieri *per gratiae adiutorium* ».

(2) *Propos.* 27, Denz., 907.

(3) *Propos.* 37, Denz., 917.

(4) *Propos.* 2, Denz., 1217.

(5) *Propos.* 39, Denz., 1254.

et charitatem dominantem a natura ipsa iusti suapteque natura laudabiles et dilectio humana licita (1).

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura.* — Huc faciunt testimonia superius allata praesertim ex Rom. II, 14: Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν Si haec verba obvio sensu intelligantur significant gentes quandoque, ipsa natura duce, atque naturalibus viribus aliqua ex iis facere, quae lex scripta Iudaeis praecipit. Dicuntur enim gentes *esse sibi legem* ἑαυτοῖς εἰσὶν νόμος - *et opus legis ostendere in cordibus suis* - ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν - *testimonium reddente conscientia ipsorum* - συνμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. — Defendi itaque nequit huius testimonii interpretatio, quam *Augustinienses* exhibent, qui tenent *naturam* heic opponi solum *legi* scriptae, non autem *gratiae actuali*; ex contextu enim *natura* non solum legi revelatae, sed et gratiae auxiliis opponi diserte apparet. Revera: *a)* opera legis, de quibus hic est sermo, nil prosunt, iuxta Apostolum, ad salutem: *Ex operibus enim legis* (tum scriptae, cum naturalis) *non iustificabitur omnis caro* (2). Atqui, si ista opera sub influxu auxilii supernaturalis fierent, ad salutem conferrent. Ceterum, *b)* expositio Augustiniensium nimis laboriosa et distorta videtur: id enim quod fit, et quidem primario, per gratiae adiutorium, valde improprie ab Apostolo diceretur fieri *naturaliter* (φύσει).

2° *Ex Patribus.* — Testimonia in anteriori conclusione allata, quibus Patres docent etiam infideles aliquod honestum opus perficere posse, hic quoque valent. Patres enim in homine lapso hanc potestatem arguunt *ex principio*, quod ordini gratiae omnino *extrinsecum* est, scilicet a *natura* animae rationalis, quae per peccatum non est totaliter cor-

---

(1) *Propos.* 24, Denz.. 1387.
(2) *Rom.* III, 20.

rupta (1). Sic vel ipse S. Prosper vestigiis S. Augustini insistens explicite declarat: « Natura humana, cuius creator est Deus, etiam post praevaricationem manet substantia, manet forma, manet vita et sensus et ratio, ceteraque corporis et animi dona, quae etiam malis vitiosisque non desunt; sed non in his habet veri boni perceptionem, quae *moralem vitam honestare possunt,* aeternam autem conferre non possunt (2).

3° *Ex Ratione.* — Potissima ratio est haec ipsa, quam Patres attingunt, scilicet *permanentia* etiam in homine lapso *imaginis Dei, luminis rationis, et liberi arbitrii.* « Quia enim (ait S. Thomas) natura humana per peccatum non fuit totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem (homo) etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere » (3).

Hoc ipsum ostenditur ex analysi iam superius instituta actus moraliter honesti, et ex huius *proportione* ad potentiam moralem hominis lapsi, saltem cum agitur de facilioribus legis naturalis praeceptis adimplendis. Neque enim semper magna adest difficultas in actu honesto ponendo, imo, cum nulla, ut saepe evenit, tentatio obstat, quandoque aliqua opera honesta faciliora sunt, quam contraria inhonesta v. g. verum dicere, reddere depositum, etc.

Scholia. — 1° *Vasquezii singularis doctrina circa facultatem naturalem edendi actus moraliter honestos.* — Sententiae mox refutatae affinis videtur opinio Vasquezii, qui docet: « non posse hominem ullum opus morale secundum virtutem ex omni parte bonum operari sine aliquo auxilio gratiae per Christum quod suapte natura ordinis naturalis

---

(1) S. Aug., *De Spir. et litt.*, l. c. Cf. Ripalda, III, disp. 8, sect. 15 sqq.; disp. 9, sect. 3.

(2) Contra Collat., n. 26, PL, LI, 246.

(3) Hic a. 2.

sit et per suas causas naturales aeterna Dei misericordia praeparetur » (1). Hoc autem ipse probare nititur ex eo quod homo ad bonum operandum indiget praevia cogitatione *congrua,* qua veluti sollicitetur. Haec autem boni cogitatio *congrua,* idest quae datur tempore opportuno, quando et subiectum non est male dispositum, neque extrinsecus graves difficultates adstant, est *gratia Dei* distincta a dono creationis et a generali concursu; et est etiam gratia *per Christum,* quia Christus non solum mortuus est ut homines iustificarentur, sed etiam ut recte viverent (2). Haec Vasquezii theoria differt equidem ab errore Baii. Iste enim ex ipsa naturae humanae corruptione per peccatum inducta arguit in homine lapso *absolutam* impotentiam *ex defectu sufficientis virtutis operativae* ad quodlibet opus honestum. sine gratia *supernaturali* faciendum: dum e contra theologus hispanus non negat homini lapso quamlibet potestatem operativam quoad bonum morale; sed asserit hanc potentiam in *actum* non explicari nisi fiat congrua boni obiecti propositio, et in hac boni propositione ipsam rationem gratiae collocat, quae tamen sit *ordinis naturalis.*

Attamen theologi generatim Vasquezii sententiam tanquam singularem et nullo solido fundamento innixam merito reiiciunt (3). Licet enim *congrua* boni propositio sit extrinsecum beneficium, quod ad efficaciam potentiae in actum plurimum confert, attamen eius *absoluta* necessitas ad *quemlibet* honestum actum admitti nequit. Adeo namque naturali rationi obviae sunt quaedam veritates ordinis practici, et adeo exercitio faciles quaedam actiones morales (v. gr. honorare parentes, verum dicere, cum nulla men-

---

(1) In I-II, disp. 190, c. 12.

(2) Ibid., c. 13-16 et disp. 217.

(3) Cf. Suarez, *De grat.*, l. I, c. 8 sqq.; Gonet, *Clyp. theol. De grat.*, disp. I, a. 1.

tiendi occurrat gravis tentatio, etc.) ut praeter communem concursum, nullum speciale auxilium naturae superadditum exigant. Si enim in anima humana *imago Dei* per peccatum *detrita* non est; si etiam in homine lapso *vis illa naturae* remansit, *qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit,* intelligi nequit cur insuper speciali auxilio gratiae, etsi ordinis naturalis, indigeat homo ad aliqua faciliora opera legitime et honeste perficienda.

2° *Sententia Martinez de Ripalda circa eandem quaestionem.* — Vasquezii theoriam geniali ratione emendatam iterum proposuit Ripalda (1). Is facta distinctione inter *ius* et *factum*, concedit quidem ex doctrina catholica circa ordinem supernaturalem consequi, etiam in homine lapso admittendam esse *virtutem* naturalem opera legis implendi sine auxilio gratiae; non autem sequi haec opera moralia sine gratia *entitative supernaturali de facto* effici. Quin imo necessariam esse gratiam supernaturalem ad omne opus bonum *actu* ponendum evinci posse censet *ex destinatione* hominis ad ordinem supernaturalem et *ex lege positiva,* qua Deus statuit hominem hunc finem assequi non posse, sine recto suae libertatis exercitio. Ex hac destinatione sponte consequitur Deum decrevisse conferre gratiam, sine qua opus humanum nullam relationem habet ad ordinem supernaturalem, omnibus actionibus hominis, quae sunt moralitatis capaces, idest quae conscie et libere fiunt. Posita hac lege Dei ordinantis omnia opera moralia ad finem supernaturalem per collationem gratiae sufficientis, omnes humanae actiones vel sunt *salutares* idest supernaturaliter *bonae,* vel sunt moraliter *malae.* Hinc optime intelligi potest doctrina Conc. Arausicani, qua asseritur hominem *nihil de suo habere nisi mendacium et peccatum;* et id omne *quod*

(1) *De Ente supern.*, disp. 20.

homo habet veritatis et iustitiae esse ex gratia Dei (1). Scilicet gratiae Dei concursus ad *omne opus morale* homini necessarius est, non eo quod homo sine gratia aliqua opera naturaliter honesta ex se facere non possit, sed quia nullo operi naturali utcumque bono atque perfecto inest sine gratia *relatio positiva* ad ordinem supernaturalem, quae ex lege Dei inesse debet, et cuius defectu opus non tantum remanet sterile sed evadit positive malum (2).

Non est negandum hac insignis theologi hispani sententia satis felicem exhiberi explicationem canonis Arausicani, et quorundam S. Augustini testimoniorum. At vero praecipuum cui doctrina haec superxstruitur fundamentum arbitrarium apparet, neque aliunde aliis certissimis fidei documentis plene satisfacere videtur; hinc a plerisque theologis secluditur (3). Et sane quidem: — *a)* Etsi credendum sit omnibus adultis a Deo, *qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (4) intuitu meritorum Redemptoris *qui pro omnibus mortuus est* (5) gratiam sufficientem *identidem* conferri; illa tamen lex ordinandi positive omnia opera honesta hominis ad finem supernaturalem, et dandi gratiam ad *omnes* et *singulas* eius actiones morales, neque a *voluntate Dei salvifica exigitur*, nec aliunde probari potest;

---

(1) « Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum... si quid autem homo habet veritatis atque iustitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via ». *Araus.* II, can. 22, DENZ., 166.

(2) Cf. ibid., disp. 105-106.

(3) Cf. KLEUTGEN, *Theol. der Vorzeit*, v. II, n. 155; MAZZELLA, *De gratia*, disp. II, a. 9. — In hanc inclinant PESCH, *De gr.*, n. 127; PALMIERI autem eam coarctat ad bona iustorum opera, *De gr. Parergon* ante thes. 30. A quavis autem *censura* eam defendit amplo SCHIFFINI, *De gr.* n. 104 sqq. Alii Auctores generatim severiores sunt.

(4) I Tim., IV, 10.

(5) II Cor., V, 14.

b) Pluros Baii et iansenianorum propositiones damnatae non solum affirmant nullam *potentiam* naturalem esse in homine ad bonum ethicum, sed negant etiam aliquod opus bonum *de facto* fieri sine gratia. Sic p. 65 Baii excludit praecise *usum bonum* liberi arbitrii (1); et p. 24 Syn. Pistor. damnatur, eo quod non admittat inter *dilectionem divinam quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam dari dilectionem humanam licitam, quae non reprehenditur* (2);

c) Quin imo, *exsistentiam* quarundam actionum, quae sunt ethice bonae, licet non sint *salutares,* supponi videtur ab ipso Conc. Trid. dum docet *hominem non iustificari suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant absque divina per Iesum Christum gratia* (3). Haec enim opera, quibus negatur influxus iustificativus, nequeunt esse opera *mala,* sed sunt utique opera naturaliter *bona*, quae tamen ex defectu gratiae non sunt salutaria.

Obiectiones. — 1° S. Script. hominem *de se* sua natura ad malitiam tendere generatim docet. Sic Gen. VIII, 21: *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et Ierem. XVII, 9: *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud?* Ergo nullum bonum ab homine naturaliter fieri potest.

Resp. dist. antec.: Scriptura docet hominem pronum esse ad malum ob concupiscentiam quae ut *plurimum* in sua opera influit, *Conc.;* ita esse pravum ut *natura sua* nihil boni facere possit, sed tantum peccare, *Nego.* — Testimonia quae obiiciuntur id quod communiter de facto evenit spectant, non autem excludunt quamlibet boni potestatem. Sic v. g. ex eo quod Apostolus afferens dictum

(1) Denz., 945, cf. pp. 36, 37, 38.
(2) Denz., 1387.
(3) Sess. VI, can. 1.

antiquissimi poëtae Epimenidis asserat: *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri* (1) nequit legitime deduci ex Cretensibus neminem unquam veritatem effari.

2° Atqui ex Apostolo homo quamdiu caret gratia peccat operando. Ergo. Sic Rom. III, 9 sqq.: *Causati enim sumus Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum... Omnes peccaverunt et egent gloria Dei.* Quod idem docetur ad Gal. III, 22: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

Resp. dist. antec.: Peccat homo abque gratia de facto ut *plurimum, Trans.; semper* in omni sua actione et ex *impotentia* recte agendi, *Nego.* — Sane, scopus Apostoli est ostendere gentiles et Iudaeos non fuisse a peccato immunes. Ut hoc autem verum sit, non est necesse ut omnes actus eorum peccaminosi fuerint, multoque minus ut ex necessitate morali semper hi peccaverint. Quin imo, eo ipso quod Apostolus utrosque reprehendit et inexcusabiles dicit, potestatem moralem recte quidquam agendi in eis supponit. Verba autem Psalmistae (ex psal. III paucis mutatis) quae Paulus contra superbiam Iudaeorum allegat, de generali gentis iudaicae corruptione intelligenda sunt; non autem de exclusione cuiuslibet boni operis ex parte quorundam, saltem ex Iudaeis: erant enim tempore Psalmistae plures viri iusti, qui Deum timebant et colebant. Nefas est autem (id quod in hac controversia saepe occurrit) magis magisque quasdam S. Scripturae expressiones exaggerare, quae iam ut sonant, more orientalium emphaticae apparent.

---

(1) Tit. I, 12.

CONCLUSIO IV.

In statu naturae integrae, quantum ad sufficientem virtutem operativam, poterat homo per sua naturalia velle et operari bonum suae naturae proportionatum, scilicet omne bonum morale ordinis naturalis.

Haec conclusio ipsis fere Angelici verbis expressa, asserit homini *integro* potentiam quoad bonum naturale, seu quoad virtutes adquisitas, non solum physicam, sed etiam *moralem;* eaque multiplici ratione.

Probatur. — 1° *Ex naturali rectitudine et ordinatione ad Deum hominis integri.* — Homo enim in statu naturae integrae rectus fuit et vi doni integritatis, absque ullo alio dono superaddito, ordinatus ad Deum, ultimum finem naturae. Atqui ordinatio ad finem includit et affert ordinationem ad media in eodem ordine. Ergo. Hoc ipsum legitime eruitur ex doctrina Conciliorum et Patrum circa impotentiam moralem hominis lapsi ad omne bonum implendum. Ideo enim Concilia et Patres (ut inferius demonstrabitur) capacitatem proximam faciendi omne bonum naturae homini lapso denegant absque gratia *sanante*, quia humana natura per peccatum sauciata fuit; hinc supponunt hominem *integrum* hanc potestatem proximam habuisse.

2° *Ex analogia proportionalitatis inter statum integrum ad bonum naturae et statum iustitiae ad bonum supernaturale.* — Eadem namque est proportio hominis integri, vi doni integritatis ad bonum naturae, ac fuit vi doni iustitiae originalis ad bonum supernaturale. Atqui homo per iustitiam originalem et virtutes infusas ordinabatur *in actu primo* ad omne bonum supernaturale, quin opus fuerit alio dono informante et elevante. Ergo etiam homo integer vi doni integritatis ordinabatur in actu primo ad omne bonum

naturae, quin ad hoc aliud auxilium exigeretur praeter generalem motionem Dei.

3° *Ex proportione potentiae ab omni impedimento expeditae ad suum finem.* — Potentia etenim libera, neque utcumque impedita, in suum obiectum ferri potest sub simplici et generali motione primi motoris. Atqui in statu naturae integrae *voluntas* hominis liberrima fuit et nulla tum intrinseca, tum extrinseca tentatione impedita *relate ad bonum naturae.* Ergo (1).

Obiectio. — Potentia, quae gravi tentationi, saltem extrinsecae, obnoxia est indiget gratia superaddita ne succumbat. Atqui de facto voluntas primi hominis integri subiacuit tentationi qua serpens ad fructum vetitum comedendum alliciebat. Ergo.

Resp. dist. Min.: Obnoxia fuit tentationi contra *praeceptum positivum extra legem naturae innatam*, *Conc.;* contra praecepta *legis naturalis, Nego.* — Ad vincendum serpentis et uxoris tentationem indigebat Adam *speciali auxilio Dei,* quod ipsi defuit, eo quod ipsum a Deo non impetravit orando, ut explicite docet S. Thomas (2). Quoad autem praecepta naturalia nullum impedimentum homini integro obstabat neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis: quia nulla interna lucta erat superanda.

CONCLUSIO V.

In statu naturae lapsae nequit homo per sua naturalia omne bonum sibi connaturale implere.

Praenotandum. — Omne bonum intelligitur hic *generice* et *in confuso* praescindendo ab hoc vel illo. De facultate

(1) Cf. SUAREZ, *De necess. gr.*, I, c. 25; GONET, *De gr.*, disp. I, art. 5, § 1; GOTTI, *De gr.*, q. I, dub. 7, § 4; VASQUEZ tamen exigit *auxilium congruae cogitationis* I-II, disp. 189, c. 2 et 193, c. 3.

(2) *Sum. Theol.*, I, q. 94, a. 4; *De verit.*, q. 18, a 6, ad 13.

hominis lapsi in ordine ad quaedam bona particularia e ad impletionem totius legis naturalis agit S. Doctor sequentibus articulis. — Conclusio generaliter intellecta de impotentia *morali* ad omne bonum naturae exhibet doctrinam omnibus theologis communem, quae diserte traditur a S. Thoma in hoc art. his verbis: « In statu naturae corruptae etiam deficit homo ab hoc quod secundum suam naturam potest; ut non possit totum huiusmodi bonum implere per sua naturalia » (1).

Probatur. — *Ex debilitate naturae lapsae, non quidem totaliter corruptae sed graviter infirmae.* — Haec debilitas ex amissione doni integritatis praecipue provenit et potissimum afficit voluntatem, cuius libera virtus moralis maxime impeditur a lucta inferioris partis seu appetitus sensibilis, contra partem superiorem animae, seu contra potentiam appetitus intellectualis. Hanc impotentiam moralem Apostolus respicit cum clamat: « *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. — Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per I. C. Dominum nostrum* » (2). Hinc legitime arguitur non posse naturam lapsam ex se sola sine auxilio gratiae superaddito id omne bonum facere quod natura integra, prout nequit *aegrotans* ea omnia operari, quae homo sanus perficit. Sed de hoc argumento et de natura gratiae, quae ad hominem lapsum sanandum requiritur, infra agemus in expositione art. IV qui versatur circa observantiam legis naturae.

---

(1) A S. Thoma non dissentit Scotus... Cf. II, dist. 29, n. 4; Montefortino, I-II. q. 109, a. 2.

(2) Rom. III, 23.

Articulus III.

Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia.

Praenotanda. — 1° Primum atque supremum legis praeceptum simul et excellentissimus naturalis moralitatis actus est *amor Dei* ut auctoris naturae eiusque ultimi finis. — Amor autem iste vel est *benevolentiae,* quo Deus diligitur ut *bonus in se,* scilicet ob suam intrinsecam bonitatem; vel est *concupiscentiae* prout diligitur ut *bonus nobis,* ut *bonorum omnium largitor,* ut *obiectum beatitudinis.* Uterque amor esse potest *perfectus,* vel *imperfectus. Perfectus est* amor quo Deus diligitur *super omnia; imperfectus* vel *inchoatus* quo Deus non *super omnia,* sed ita diligitur ut affectus ad creaturas non excludatur.

Demum amor *perfectus,* talis esse potest vel *affective* tantum, vel etiam *effective.* Amor *effective* perfectus coniunctam habet omnium praeceptorum Dei observantiam et infert *firmam adhaesionem* voluntati Dei, quae ex lege naturae manifestatur.

Amor autem *affectivus* est *motus transitorius animi,* quo homo *hic* et *nunc* elicit actum amoris Dei, cum desiderio ei in omnibus placendi, licet hoc desiderium maneat *merum propositum,* quin exsecutioni mandetur.

2° Itaque omnes fere theologi docent: *a)* Hominem *integrum* potuisse absque gratia superaddita amare Deum ut auctorem naturae amore naturali perfecto, et quidem *effectivo;*

b) Hunc perfectum amorem *effectivum* excedere potentiam *moralem* hominis *lapsi,* cui omnium praeceptorum legis naturalis observantia est moraliter impossibilis sine auxilio gratiae sanantis;

c) Posse tamen hominem lapsum aliquali *amore imperfecto* seu *inchoativo* Deum diligere per aliquorum Dei praeceptorum observantiam.

3° Num autem homo lapsus actum amoris Dei *transitorium affective* tantum *summum* elicere possit absque gratia, disputatur etiam inter theologos thomistas.

4° Prae oculis vero semper habendum est, quaestionem hanc versari circa amorem Dei *mere naturalem,* prout Deus est ultimus naturae finis; et hinc huiusmodi amorem, licet in se optimus sit, ad hominis iustificationem non valere, eo quod ex defectu gratiae elevantis, et *motivi supernaturalis* nullam habeat proportionem ad gratiam sanctificantem, per quam homo iustificatur. Haec autem distinctio duplicis amoris Dei, naturalis et supernaturalis ab iis tantum negari potest, qui utriusque ordinis naturalis et supernaturalis discrimen auferunt cum Baio, cuius haec propositio damnata fuit: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » (1). His positis sit haec

CONCLUSIO.

Homo in statu naturae integrae Deum ex solis naturalibus amare potuisset amore naturali etiam effective perfecto: in statu autem naturae lapsae potest quidem homo amore imperfecto suis viribus Deum diligere; non autem amore effective perfecto absque auxilio Dei sanante. Non videtur autem improbanda eorum sententia, qui homini lapso naturalem facultatem concedunt eliciendi actum « transitorium » amoris Dei super omnia affective.

I. Probatur prima pars: — *Ex connaturalitate amoris Dei.* — Homo enim (ut arguit S. Thomas) in statu naturae

(1) Prop. 34, Denz., 914.

integrae poterat operari virtute suae naturae bonum, quod est sibi connaturale, absque superadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei moventis. Atqui diligere Deum super omnia est quiddam connaturale homini. Ergo. — *Prob. Min.*: Poterat homo integer naturaliter Deum cognoscere ut summum Bonum, et naturae universae ultimum finem, hinc ut obiectum *summe* et *perfecte amandum* iuxta ordinem, quo ab intellectu practico ei exhibebatur. Iam vero « unicuique (ut iterum arguit Angelicus) naturale est quod appetat et amet aliquid *secundum quod aptum est esse* ». Cum igitur homo integer Deum ut unicum obiectum summe diligendum agnovisset, nec aliunde ullam internam luctam in adimplenda voluntate Dei per legem naturae manifestata expertus esset, naturaliter eum super omnia diligere potuisset.

II. Probatur secunda pars: — *Homo lapsus Deum aliquali amore imperfecto diligere potest*, hoc sensu, quod etsi Deum non super omnia diligat, attamen per quandam affectivam propensionem eum diligere *incipiat*, aliqua eius praecepta adimplendo. De hoc amore non agit S. Doctor in hoc art.; videtur tamen admittendus: quod arguimus:

1° *Ex damnatione huius prop. Baii*: « Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae, cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus » (1). Ergo saltem amor inchoatus ex solis viribus naturae in homine lapso admitti potest.

2° *Ex doctrina Pauli.* — Homo, teste Apostolo, solis viribus naturae Deum glorificare, colere, eique gratias agere potest (2). Atqui in glorificatione et servitute Deo exhibita aliquis amor *inchoatus* et *imperfectus* saltem inclu-

(1) P. 36, Denz., 916.
(2) *Rom.*, I, 21-29.

ditur. Ergo. Ad rem S. Ambrosius: « Sicut in illo qui credit iustitia Dei revelatur, ex ipsa enim coeli fabrica iratus illis Deus videtur; idcirco enim tam pulcra astra condidit, ut ex iis quantus et quam admirabilis creator eorum est possit agnosci et solus adorari; ita et in eo qui non credit impietas et iniustitia revelatur. Per *naturalem* ergo *legem* reum facit (Apostolus) genus humanum; potuerunt enim id per legem naturae apprehendere *fabrica mundi testificante auctorem Deum solum diligendum,* quod Moyses litteris tradidit (Deut. VI, 5): sed impii facti sunt, non colendo creatorem et iniustitia in eis apparet, dum videntes dissimulant a veritate non fatentes unum Deum » (1).

3° *Ex modo loquendi Conciliorum.* — Semper enim Concilia ubi gratiam necessariam esse docent ad Deum diligendum, addunt: *sicut oportet; sicut expedit ad salutem* (2). Ergo supponunt hominem *aliqualiter et inchoative* sine auxilio gratiae Deum *naturali* amore diligere posse.

4° *Ex ratione.* — Hic etiam valet, *proportione servata,* ratio desumpta ex connaturalitate amoris Dei, qua S. Thomas arguit in homine *integro* capacitatem naturalem amandi Deum. Voluntas enim, etsi infirma, potest *imperfecte* saltem amare quod *naturaliter* ut summum Bonum intellectus cognoscit. Atqui intellectus Deum cognoscere potest tanquam summum Bonum. Ergo licet voluntas infirma, et multis intrinsecis atque extrinsecis difficultatibus impedita nequeat Deum *super omnia* amare, aliqua tamen *imperfecta* ratione eum diligere poterit (3).

III. Probatur tertia pars: — *Non potest homo lapsus perfecto amore effectivo Deum diligere absque gratia sa-*

---

(1) *In Ep. ad Rom.,* I, 18, PL, XVII, 56-7.
(2) Sess. VI, can. 3, Araus., II, can. 25, etc.
(3) Huic doctrinae non opponitur sententia S. THOMAE; ipse enim in hoc art. loquitur de amore Dei perfecto, seu super omnia.

nante (1). — Hoc expresse docet Angelicus: « Homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed *in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc, auxilio gratiae naturam sanantis* (2).

Ex naturali impotentia adimplendi legem Dei. — Amor enim Dei ut sit *effective* super omnia coniungi debet cum *actuali* omnium praeceptorum Dei observantia. Atqui homo lapsus nequit sine gratia sanante totam legem naturae saltem *diu* adimplere, ut in art. seq. probabitur. Ergo (3).

IV. **Probatur quarta pars**: — Remanet nunc tantum quaestio de amore *affective* summo, quo hic et nunc homo desiderium elicit *transitorium* amandi Deum super omnia cum *mero proposito* servandi omnia praecepta. Plures theologi hanc possibilitatem homini lapso negant (4); idque arguunt:

a) Ex auctoritate Conc. Arausicani decernentis esse « *prorsus Dei donum diligere Deum* »;

b) *Ex difficultate huiusmodi actus amoris Dei.* — Amor enim Dei ut sit perfectus hinc quidem totalem legis naturae observantiam includere debet, inde autem excludat oportet quemlibet graviter inordinatum affectum, ad creaturas. Iam vero utrumque est homini lapso impossibile absque gratia sanante;

---

(1) Est contra Scotum, qui contrariam sententiam ample defendit III, dist. 27, n. 13; Montefortino, I-II, q. 109, a. 3, et Durandum, II, dist. 28, q. 4.

(2) Hic art. 3.

(3) Cf. *Salmanticenses tract.*, XIV, q. 109, disp. II, dub. 4, § 2; Valentia, disp. VIII, q. I, punct. 4.

(4) Estius, II, dist. 26, § 37; Bellarminus, *De gr. et lib. arb.*, l. VI, c. 7; Suarez, *De necess. gr.*, l. I, c. 31-33; Vasquez, I-II, disp. 194, c. 1-2; Gonet, *De gr.*, disp. I, art. 4, § 1; Gotti, *De gr.*, q. I, dub. 6, § 3.

c) Ex differentia inter voluntatem sanam et infirmam. — Si enim voluntas infirma par esset ad hunc actum eliciendum, nulla foret differentia virtutis, quoad *legis moralis perfectissimum actum,* inter voluntatem *integram* et voluntatem *infirmam* multisque gravibus obnoxiam impedimentis; quod nemo asserit (1).

Nos tamen subscribimus sententiae affirmanti, quae etiam plurium theologorum auctoritate fruitur (2). Hanc autem probamus:

1° *Ex eo quod actus transitorius amoris Dei super omnia tum in se spectatus, tum attenta etiam conditione hominis lapsi, non videtur excedere facultatem naturae rationalis.* — Ad hunc enim actum *duo* requiruntur et sufficiunt: *a)* Inclinatio voluntatis, qua ipsa *hic* et *nunc* in Deum tendit ut in ultimum finem et summum naturae bonum;

b) Propositum servandi omnia Dei mandata, quae tanquam graviter obligantia cognoscantur, seu desiderium nunquam graviter peccandi. Atqui utrumque *per breve tempus* ab homine lapso fieri non repugnat. Ergo. — *Prob. min.: a)* Actus inclinationis voluntatis in summum bonum naturae, *in se consideratus*, possibilis naturaliter apparet. Nam, potest homo naturali rationis lumine Deum praecise ut summum naturae Bonum cognoscere; potest item honestatem actus amoris Dei apprehendere, ita ut ab ea voluntas alliciatur; dictamen enim hoc: *Deus est super omnia diligendus*, naturale est et naturalem inducit obligationem. — Neque aliunde lucta seu difficultas specialis ex concupiscentia, vel ex

(1) Cf. SUAREZ et GOTTI. l. c.

(2) Praeter SCOTUM, l. c., hanc sequuntur CAIETANUS. II-II, q. 171, a. 2; BANNEZ, II-II, q. 24, a. 2; DOMINICUS SOTO, *De nat. et gr.* l. 1, c. 21; MOLINA, *Concord.*, q. 14, a. 13. Cf. Card. D'AGUIRRE, tom. III, tr. 7. disp. 130, sect. 3, ubi plurimi alii theologi pro hac sententia adferuntur.

externis circumstantiis exsurgens, quae hominem ab huiusmodi amore avertit, *necessario quovis tempore et momento* urget, sed quandoque nulla adest tentatio neque subiectiva, neque obiectiva;

b) Neque etiam sincerum propositum non graviter peccandi in futurum impossibile videtur; tum quia propositum etiam serium, non tam est difficile, quam eius executio; tum quia ad actum transitorium amoris non requiritur ut quis *reflexe* cogitet de difficultatibus futurae exsecutionis, sed sufficit ut hanc *in confuso* introspiciat. Itaque nulla moralis impossibilitas inveniri potest in eo quod homo lapsus summi Boni amabilitate illectus, hoc super omnia amet, non advertens *actu* summam difficultatem sequendi in omnibus saltem *diu* voluntatem Dei.

2° *Idipsum brevius.* — Omnes catholici theologi concedunt adesse in homine lapso potentiam *physicam* eliciendi actum amoris Dei naturalis tum concupiscentiae, tum benevolentiae *appretiative summi.* Iam vero licet huius potentiae *diuturnum* exercitium ob impedimenta subiectiva et obiectiva moraliter impossibile sit, non tamen inde sequitur nec ullum *actum transitorium* elici posse. Quin imo valde naturale est ut homo bonam sortitus indolem, nec ulla gravi pressus tentatione, erga Deum creatorem et bonorum omnium largitorem affectum amoris super omnia concipiat, iis praesertim momentis, quibus aliquo singulari afficitur beneficio.

3° Ex damnatione prop. 34 Baii mox citatae, arguitur legitima distinctio inter dilectionem Dei supernaturalem et amorem naturalem. Porro haec distinctio frustranea foret, si amor Dei naturalis *nunquam* homini lapso sine gratia possibilis foret.

4° Argumentis autem contra hanc sententiam allatis respondemus:

a) Concilia contra Pelagianos et Semipelagianos excludere a naturae potestate amorem Dei utcumque *salutarem*

seu *supernaturalem.* Sic Conc. Araus. in can. cit. pergit: « ...praedicare debemus et credere quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut *diligere Deum sicut oportuit*, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia divina praevenerit » (1);

b) Utique concedimus amorem Dei super omnia non posse *diu* servari ex solis naturae viribus in homine lapso, cum nequeat ipse per aliquod diuturnum tempus omnem legem moralem adimplere et graves superare tentationes. Sed negamus omni vitae momento hominem lapsum gravi premi tentatione, ita ut praeceptis legis nunquam obtemperare possit;

c) Affectus inordinatus ad creaturas a proposito non peccandi excludi equidem debet; verum si deordinatio *aliqua* in hoc affectu ad creaturas homini lapso inevitabilis est, non tamen ulla ratio urget ut semper in homine lapso haec inclinatio ad seipsum et ad creaturas *graviter* inordinata esse debeat;

d) Demum differentia inter hominem integrum et lapsum optime salvatur in eo quod primus *diu* et *toto vitae* tempore Deum naturaliter amare possit, cum nullum contra hunc amorem impedimentum a lucta interna ipsi proveniat; homo autem lapsus nequeat ob infirmitatem naturae diuturne in hoc amore persistere (2).

Scholion. — *De natura gratiae, qua homo lapsus indiget ad amorem Dei.* — Quidquid sit de hac controversia, quae ceteroquin non est magni momenti, omnes concedant oportet actum amoris Dei perfectum in quo includatur recessio ab affectu graviter deordinato in creaturas, adeo esse humanis

---

(1) Denz., 168.

(2) Cf. Valentia, l. c.

viribus difficilem ut vix possibilis absque auxilio Dei concipiatur. Alia ex parte evidens apparet non requiri *elevationem* naturae ad ordinem supernaturalem, neque auxilia *entitative supernaturalia*, ut homo lapsus hoc affectu in Deum feratur; quia actus huiusmodi Deum attingit ut ultimum finem naturalem: sed sufficere auxilium *entitative* quidem naturale, sed *quoad modum* supernaturale: idest gratiam sanantem naturam ab infirmitate per peccatum contracta. Potest itaque tale auxilium concipi, ut concursus *generalis Dei moventis*, superaddita *maiori efficacia*, vel ut specialis providentia Dei, qua et *concupiscentiae motus* compescuntur et extrinsecae peccandi occasiones removentur. Haec igitur gratia *entitative* est naturalis, quia meliorem facit naturam, qua natura est; *quoad modum* autem est supernaturalis quia superadditur naturae infirmae ut ea sanetur (1).

Articulus IV.

Utrum homo sine gratia per sua naturalia legis praecepta adimplere possit.

Praenotanda. — 1° Quaestio est de lege naturali. cuius praecepta impleri possunt vel *quoad substantiam* tantum, idest opera legis obiective faciendo ob intrinsecam eorum honestatem, vel etiam *quoad modum* seu ex motivo *charitatis divinae* et hinc *salutariter* (2). Hic agimus de

---

(1) Cf. Satolli, *De gratia*, q. I, a. 3, § 4.

(2) Haec distinctio perperam improbatur a Baio, cuius damnatae sunt hae pp. « Illa doctorum distinctio divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum - hoc est admodum meritorium - commentitia est et explodenda: Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto

observantia legis *quoad substantiam* tantum: evidens enim est absque gratia entitative sapernaturali, praecepta Dei observari non posse ex motivo salutari charitatis Dei.

2° Praecepta legis sumi possunt vel *distributive*, vel *collective*. Concedimus unum vel aliud legis naturalis praeceptum per vires naturae ab homine lapso *seorsim* adimpleri posse, sed homini adulto negamus potentiam, non quidem *physicam*, sed *moralem* observandi omnia praecepta *collective*, saltem per *diuturnum* tempus (1).

3° Duplex error vitandus: *Pelagianorum* asserentium nobis perfectam capacitatem implendi omnem legem etiam diuturne et per totam vitam, et *Iansenianorum* negantium homini lapso potestatem vel unum praeceptum observandi. Primis non sunt accensendi quidam theologi veteres ut Scotus (2) et Durandus (3), qui de potentia physica loquuntur; nec alii qui cum Molina (4) putant hominem lapsum posse, nulla gravi tentatione urgente, legem implere *ad breve tempus*. Nos hic directe excludimus errorem pelagianum (5).

---

et omnibus circumstantiis rectum est et bonum - quod moraliter bonum appellare consueverunt - vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda est », pp. 61, 62. Denz., 941-42.

(1) Quale tempus habendum sit *diuturnum* praecise determinari nequit; communiter dicimus diuturnum tempus quod annum vel etiam aliquot menses amplectatur.

(2) II, dist. 28, q. unica Montefortino, I-II, q. 109, a. 4. Mens tamen doctoris subtilis haud nitide apparet.

(3) Ibid., q. 4.

(4) *Concord.*, quaest. 14, a. 13, disp. 20.

(5) Cf. Suarez, *De gr.*, I, c. 26; Valentia, l. c., punct. V, assert. 1.

CONCLUSIO.

Homo in statu naturae integrae omnia praecepta legis quoad substantiam operum potuisset adimplere per sua naturalia, solo auxilio communi Dei moventis: in statu autem naturae lapsae ut ea observet indiget insuper gratia Redemptoris.

I. Probatur prima pars: — *Est corollarium antecedentium.* — Sane: *a)* Potuisset homo integer, ut iam probavimus, omne bonum naturae suis viribus efficere. Atqui bonum hoc praecipue consistit in observantia legis naturae. Ergo. — *b)* Item potuisset *non peccare;* atqui ne quis peccet Dei praeceptis obtemperare debet. Ergo (1). — *c) Directe:* Ut tota lex naturae observari possit, *duo* requiruntur et sufficiunt; nempe hinc *virtus proportionata* ex parte subiecti subditi legi, inde autem absentia impedimentorum tam ab intrinseco, quam ab extrinseco contra hanc observantiam. Atqui haec duo in homine integro, ut iam vidimus, adeerant. Ergo.

II. Probatur secunda pars: — 1° *Ex magisterio Ecclesiae.* — Concilia damnant Pelagii doctrinam, qua asserebat: hominem per propriam voluntatem legem Dei posse adimplere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam (2). Item asserunt ad legem naturae adimplendam hominem lapsum indigere gratia Redemptoris (3). Verum

---

(1) S. Thom. hoc art.

(2) Ep. syn. Conc. Carth. II ad Innocentium I, PL, LI, 227.

(3) Sic syn. Milev., II, can. 5: « Item placuit, ut quicumque dixerit: ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, *facilius* possimus implere per gratiam; tanquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, a. s. Denz., 69. Et Innocentius I, in ep. ad Conc. Milev. « Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt (Pelagiani) hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina; qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia

quidem est haec documenta *directe* respicere observantiam legis *salutarem*, seu quae sit ex divina charitate, pro qua etiam gratia *entitative* supernaturalis semper exigitur; attamen per ea negari insuper capacitatem naturalem observandi legem quoad *substantiam operum*, legitime arguitur ex eo quod explicite *necessitas* gratiae *sanantis* derivetur ex naturae infirmitate et ex concupiscentiae impedimentis. Iam vero difficultas ex concupiscentia orta eadem est quoad actum naturaliter honestum, ac quoad actum salutarem (1).

2° *Ex S. Scriptura*, quae directe docet legis adimpletionem per concupiscentiae victoriam esse donum Dei. Sic auctor Sapientiae: *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum; adii Dominum et deprecatus sum illum* (2). Sed praesertim Apostolus in ep. ad Rom. disertissime docet et multis probat sine gratia Christi impossibilem esse legis observantiam. Nam postquam ostenderit et gentes et Iudaeos omnes peccatores fuisse (3), causam huius generalis defectionis a lege inquirens, eam invenit in *concupiscentia*, qua fit ut omnes ad peccatum inclinemur: *Nam velle adiacet mihi: perficere* (κατεργάζεσθαι – operari) *autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum* (idest prava concupiscentia, quae ad peccatum inclinat). *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quo-*

---

vitae perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat ». PL, XX, 591.

(1) Hoc expresse innuit etiam Conc. Trid.: « Formidare enim debent... de pugna quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores esse non possunt nisi, cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*. Sess. 6, c. 13, DENZ., 689.

(2) Sap. VIII, 21.

(3) *Rom.* I, 20-32, c. II, sqq.

niam mihi malum adiacet (idest invenio in me legem qua ad malum inclinor dum volo facere bonum); *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (1). Cum autem iam ostendisset neque legem iudaicam ad praeceptorum naturalium impletionem valuisse, quia quamvis lex in se bona et spiritualis sit, tamen concupiscentiam non removet: *Scimus enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato* (2). concludit unicum remedium contra concupiscentiam esse gratiam Christi: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* (3). Eandem doctrinam statim post repetit proxime loquens de insufficientia legis iudaicae: *Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo* (hoc est *quia*) *infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (4).

---

(1) *Rom.*, VII, 18-23.

(2) Ibid., 14.

(3) Ibid., 24. Gemebunda haec exclamatio: ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται (rapiet) ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου (idest de corpore quod hanc mihi mortem infert); satis indicat Apostolum loqui non in persona *iusti* (qui nunquam in S. Script. *infelix* dicitur) sed in persona peccatoris malae concupiscentiae adhuc mancipati. — Cf. Corluy, *Spicil. dogm. bibl.*, II, p. 287-300.

(4) *Rom.*, VIII, 2 sqq. Illud *de peccato damnavit peccatum* - περὶ ἁμαρτίας κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν - alii explicant: *per peccatum* idest per Christum, qui pro nobis factus est peccatum, seu hostia pro peccato, Deus destruxit peccatum. (Cf. Mariana-Menocchi). Alii coniungunt περὶ ἁμαρτίας cum phrasi praecedenti ita ut sensus sit: Deus *mittens* Filium suum in similitudinem carnis peccati et *propter* peccatum (delendum) destruxit, abolevit peccatum nostrum (Cf. Sa).

3° *Ex auctoritate S. Augustini.* — Una ex praecipuis thesibus, quam Augustinus contra Pelagium ex doctrina Ecclesiae vindicavit haec fuit; gratiam Redemptoris esse necessariam ad legem implendam (1). Integer liber « *de Sp. et litt.* » doctrinam Pauli in ep. ad Rom. de inanitate legis sive naturalis sive mosaicae exponit, atque ostendit legem sine gratia Christi esse *litteram* quae *occidit,* seu quae mortem animae producere tantum valet: « Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteque vivendi littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus » (2). « Ubi sanctus non adiuvet spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam... illa lex quamvis bona auget prohibendo desiderium malum; sicut aquae impetus vehementior fit obice opposito » (3).

4° *Ex ratione.* — Ratio potissima indicatur ab Apostolo in *prava concupiscentia,* qua trahimur ad vetitum a lege, cuius praecepta quandoque adeo sunt gravia ut *vires ordinariis promptiores* et *robustiores* exigantur ut impleri possint. Hoc et experientia intima nobis compertum est. Si autem vel ipsi christiani tot gratiarum auxiliis adiuti magnam quandoque in lege perfecte adimplenda difficultatem sentiunt, quid dicendum erit de homine suis tantum viribus relictum? Itaque ex *duplici* causa impossibilis nobis est legis observantia: *ex difficultate obiectiva praeceptorum, et ex debilitate virium naturalium* ab aestu concupiscentiae praecipue inducta. Hanc ipsam difficultatem, seu moralem impossibilitatem exprimit Ovidius notissimis versibus:

Sed trahit invitum nova vis aliudque cupido
Mens aliud suadet: video meliora proboque
Deteriora sequor.

---

(1) Cf. Lib., *de Peccat. Merit. et Remiss.*, de *Natura et Gratia*, *de Perfectione iustitiae* ubi ample et explicite haec doctrina defenditur.

(2) C. 4, n. 6, PL, XXXXIV, 203.

(3) L. c., PL, XXXXIV, 204.

Scholion. — Gratia Christi sanans naturam est necessaria etiam *iustis*, quia etiam post iustificationem adeptam manet concupiscentia. Ut autem *diu*, et perfecte lex adimpleatur requiri etiam, saltem iuxta ordinariam Dei providentiam, *gratiam sanctificantem*, seu ut loquitur S. Augustinus « *charitatem* a Spiritu S. diffusam in cordibus nostris » (1) probabimus infra art. 8.

Obiectiones. — 1° Gentes ex Apostolo *naturaliter* ea *quae legis sunt* facere potuerunt (2). Atqui gratiae auxilium non requiritur ad id quod natura fieri potest. Ergo.

Resp. dist. mai.: — Aliqua praecepta et quandoque (Ὅταν γὰρ ἔθνη... τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν - idest: *si quando gentes*, etc.) *Conc.;* omnia et diu, *subd.: naturaliter* hoc est absque gratia *entitative* supernaturali, *Trans.:* absque gratia *sanante*, *Nego.* — Ad omnia legis praecepta *diu* saltem adimplenda, requiritur gratia sanans mentem et carnis concupiscentiam. Cum autem perfecta mentis *sanitas*, seu *spiritualis instauratio fiat tantum per gratiam santificantem*, hinc concedimus quidem infideles ad aliquod tempus legem potuisse implere *cum sola gratia sanante concupiscentiam*, non autem *diu* et *perfecte*.

2° Atqui sine gratia sanante potest homo legem observare. — Nam, repugnat imponi homini praecepta quae ab ipso impleri nequeant. Atqui lex naturalis omnes homines obligat. Ergo.

Resp. dist. mai.: quae impleri nequeant neque *collective*. neque *seorsim*, *Conc.; collective* tantum, *subd.*: si gratia sanans et sufficiens non detur omnibus et praesertim eam a Deo expostulantibus, *Conc.;* si datur unicuique eam humiliter petenti, *Nego.* — Deus utique nihil homini praecipit, quod impossibile sit. Sed ex hoc non sequitur hominem

---

(2) Ibid.

(3) *Rom.*, II, 14.

per suas *vires naturales* id omne efficere posse quod ei imponitur; sed hoc tantum legitime deducitur, Deum vires sufficientes naturae *superaddere* ad praecepta adimplenda quae vires naturae quomodocumque excedunt (1).

3° Atqui potest homo legem adimplere etiamsi auxilium sanans non expetat. Ergo. — Sane: qui primum atque supremum actum legis per sua naturalia adimplere potest eo ipso alia inferiora praecepta observare valet. Atqui homo naturaliter potest actum dilectionis Dei elicere, qui est supremus moralitatis actus. Ergo.

Resp. dist. mai.: qui potest Deum diu diligere actu *affective* et *effective* summo, *Conc.;* secus, *Nego.* — Explicatio ex art. praec. (2).

4° Repugnat hominem fingi oportere seipso inferiorem. Atqui talis foret si finem suum naturalem constanter diligere et suis viribus, sine extrinseco auxilio, assequi non valeret. Ergo.

Resp. dist. mai.: Repugnat hominem dependere ab extrinseco auxilio quod *ab ipsa sua naturali conditione* non exigatur, *Conc.;* si exigatur, *Nego.* — Revera: sicut non censetur contrarium perfectioni hominis ipsum indigere extrinsecis adiumentis quoad vitam *physicam* et *physiologicam,* ita non est contra suam perfectionem moralem, quod ipse a Deo suae naturae auctore auxilia moralia repetat.

Articulus V.

Utrum homo possit mereri vitam aeternam sine gratia.

Praenotanda. — 1° *Notio actus salutaris.* — Iam agimus de necessitate gratiae ad actus non solum *ethice* bonos,

---

(1) Hic a. 4 ad 2.

(2) Hic ad 3. Cf. etiam *De verit.*, q. 24, a. 14. - Gotti, q. I, dub. 7.

sed *salutares.* Actus *salutares* dicuntur eae bonae hominis cogitationes, volitiones et operationes quae *habent entitativam proportionem* ad salutem aeternam, ad quam veluti *media intrinsece proportionata* vel proxime in *genere meriti*, vel remote in *genere positivae dispositionis* referuntur. Hinc actuum salutarium duplex est genus: alii sunt *perfecte* salutares seu *meritorii* vitae aeternae eiusque augmenti, ut sunt omnia iustorum opera ex gratia facta; alii sunt veluti *inchoative* seu *simpliciter* salutares, quatenus hominem disponunt proxime ad vitam supernaturalem per gratiam sanctificantem recipiendam, qua ipse capax fit eliciendi opera meritoria; tales sunt actus fidei, spei, charitatis inchoatae et poenitentiae, quibus peccator incipit se ad Deum convertere. Nos hic agimus de utrisque, et inquirimus num naturales hominis facultates - intellectus et voluntas - esse possint causa *physica* actus salutaris saltem *initialis* seu simpliciter *dispositivi* ad vitam aeternam.

2° *Errores.* — Duplex error est excludendus: *a) Pelagianorum*, quorum haeresis praecipuum caput in eo erat, quod homini etiam lapso facultatem naturalem eliciendi omnes actus salutares etiam *meritorios* vitae aeternae concederent; asserentes naturam humanam per vires liberi arbitrii citra gratiae *interioris* adiutorium fidem amplecti, iuste vivere et aeternam gloriam consequi posse (1). His adhaerent Sociniani et moderniores *Deistae* ac *Rationalistae,* qui contendunt hominem neque auxiliis gratiae, neque sacramentis indigere, sed perfectam beatitudinem assequi posse per naturalem morum honestatem (2).

b) Semi-pelagianorum, qui gratiae quidem necessitatem ad opera perfecte salutaria idest vitae aeternae meritoria concedentes, eam tamen negabant quoad *initium*

(1) Cf. quae scripsimus in Prol., p. 9.

(2) Cf. ibid., p. 13.

fidei et *pium credulitatis affectum*. Cum enim fidei initium et salutis desiderium non sint actus vitae aeternae meritorii, eos a serie actuum salutarium excludebant (1). Horum errorem renovarunt *semi-naturalistae* moderniores, qui cum Hermes (2) et Hirscher (3) prima salutaris conversionis initia ab homine suis viribus fieri posse ac debere contendunt.

3° *Doctrina Ecclesiae*. — Requiri gratiam supernaturalem ad omnes actus salutares, etiam ad initium fidei est *dogma* fundamentale religionis christianae ab Ecclesia non semel definitum. Sic Conc. Trid. revocans definitiones veterum conciliorum contra Pelagianos haec sancit: « Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut *facilius* homo iuste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, a. s. » « Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus S. inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, a. s. » (4). Hoc ipsum sanciverant plura Concilia saec. V et VI contra Pelagianos et Semipelagianos habita, praesertim Milev. II, a. 416 (5), Carthag. III. a. 418 (6) et Araus. II. a. 529 (7).

---

(1) Cf. ibid., p. 12.

(2) *Dogm.*, part. III, § 283-85. Cf. Kleutgen, *Theol. der Vorzeit*, vol. II, n. 123 sqq. - Roskovany, *Rom. Pont.*, IV, n. 643 sqq.

(3) *Moral.* vol. I, § 73 sqq. Cf. Kleutgen, op. c., n. 223-36.

(4) Sess. VI, cc. 2-3; Denz., 695-96,

(5) Hoc Conc. confirmatum est ab Innocentio I, Denz., 64 sqq.

(6) Denz., ibid., adprobatum fuit a Papa Zosimo per *Tractatoriam*.

(7) Huius canones probati fuerunt a Bonifacio II, Denz., 144 sqq. Horum aliorumque plusquam viginta Conciliorum contra Pelagianos synopsim lege apud Montagne, Migne, *Curs. compl., theol.*, t. 10, p. 85 sqq., ubi referuntur etiam documenta SS. PP. Innocentii I, Zosimi, Bonif. I Coelestini I, Sixti III et Leonis M. circa causam pelagianam et semipelagianam.

Specialiter definitum est etiam ad *initium* fidei auxilium gratiae divinae necessarium esse. Syn. Araus. II docet: *gratiam Dei* esse *invocationem* gratiae: *voluntatem,* qua purgari *incipimus; initium fidei* et pium credulitatis affectum, et omne *desiderium*, omnemque *conatum* vel quidquid aliud *positive* ad salutem refertur (1). Gratia autem in his documentis semper exigitur *entitative supernaturalis*, quae est ex *illuminatione et inspiratione* Spiritus S.

CONCLUSIO

Ad omnes et singulos actus salutares, etiam ad initium fidei, absolute necessarium est auxilium Dei entitative supernaturale.

Status quaestionis. — *a)* Ad quemlibet actum salutarem tum vitae aeternae meritorium, tum etiam simpliciter dispositivum ad gratiam sanctificantem necessariam dicimus gratiam Dei *proprie dictam*, idest *internam*, et *quoad substantiam supernaturalem:* non autem sufficere *externam*, ut est Evangelii praedicatio, vel *quoad modum* tantum supernaturalem, ut est gratia sanans:

---

(1) Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant (can. 3): Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deus exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per S. Spiritus infusionem et inspirationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui S. (c. 4): Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium et ad regenerationem sacri Baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur (c. 5). Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, deside-

b) Necessitas huius gratiae supernaturalis non *moralis* tantum, sed *physica* et *absoluta* defenditur, quippe quae provenit ex defectu intrinsecae virtutis facultatum naturalium;

c) Praescindimus autem a quaestione, num etiam pro *iustis* ad *quemlibet* actum meritorium requiritur auxilium Dei *actuale*, vel sufficiat gratiae *habitualis* influxus. De hoc agetur infra art. IX.

I. Probatur prima pars: — *Ad omnes actus salutares requiritur auxilium Dei supernaturale.*

1° *Ex S. Scriptura,* cuius testimonia in quatuor classes distingui possunt; scilicet, vel *a)* in ea quae ordinem salutarem tanquam *novam creaturam* natura omnino superiorem exhibent; vel *b)* quae *negative* impotentiam nostram absolutam ad ea quae salutaria sunt docent; vel *c)* quae *positive* sufficientiam nostram in re salutis ab *uno Deo* repetunt, *generatim;* vel *d)* demum, quae omnes cuiuslibet speciei salutares actus *singillatim* gratiae adscribunt.

a) Ex conceptu biblico elevationis creaturae rationalis ad ordinem vitae aeternae. — Ordo salutaris exhibetur a S. Scriptura ut vera *quaedam regeneratio*, imo et nova quaedam *creatio*, ita ut ad hoc ut homo capax sit vitae aeternae effici debeat initium novae creaturae, et *consors*

---

rantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem et inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? et: gratia Dei sum id quod sum (c. 6). Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, idest evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Sp. S..., haeretico fallitur spiritu (c. 7). Denz., XXII, 146-50.

divinae naturae per gratiam Christi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus Sancto non potest introire in regnum Dei* (1). Sic fideles in Deo sunt: *Renati* (ἀναγεγεννημένοι) *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum* (2). *Voluntarie* (βουληθεὶς) *enim* (hoc est ex sua gratuita benevolentia) *genuit* (πεκύησεν) *nos (Pater luminum) verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius* (τῶν αὐτοῦ κτισμάτων) (3). Graphice autem hanc *novam creaturam* per gratiam describit Apostolus: *Gratia enim estis salvati per fidem et hoc non ex vobis - Dei enim donum est - non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura* (ποίημα), *creati*, (κτισθέντες) *in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus* (οἷς προητοίμασεν ὁ θεὸς) *ut in illis ambulemus* (4). Non igitur ut *natus* homo est Deo *salutariter* acceptus, sed ut *renatus* et *initium creaturae novae.*

b) Ex absoluta impotentia in ordine salutari, quam S. Scriptura in concreto per respectum ad hominem lapsum praesertim inculcat. Homo enim per peccatum ab Adam contractum, est *filius irae;* et veluti *mortuus* et *tenebrae,* nec aliter quam ex Dei misericordia per Christi *gratiam* ad *vitam, lucem* et *salutem* perduci potest: *Eramus natura filii irae* (τέκνα φύσει ὀργῆς). *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo cuius gratia salvati estis... Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est* (5). *Eratis*

---

(1) Ioa., III, 3, 5: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν... ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος, καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

(2) I Petr., I, 23.

(3) Iacob., I, 18.

(4) *Eph.*, II, 8-10.

(5) *Eph.*, II, 3-8. Cf. *Rom.*, V, 10 sqq.

aliquando tenebrae nunc autem lux in Domino (1). Et sicut animal, quae rationalis vitae sunt percipere nequit, ita homo ex sua natura ea quae Dei sunt et ad vitam salutarem spectant intelligere non potest: *Animalis homo non percipit ea quae sunt Dei, imo nec potest intelligere* (2).

c) Universim potentia nostra quoad actus salutares a gratia Dei absolute dependet: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego* (Christus) *sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (3) Hoc testimonium licet intelligatur etiam de unione cum Christo per gratiam sanctificantem, debet tamen iuxta traditionalem Patrum expositionem, et ob absolutam dependentiam quae in eo asseritur nostrae activitatis, vitaeque *salutaris* a Christo, extendi ad gratiam *actualem* (4). Hinc Augustinus ex eo sic arguit: « Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: *hic fert fructum multum;* non ait, sine me *parum* potestis facere: sed *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » (5). Hoc ipsum Redemptor iterum docet: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (6). Itaque in re salutis omnia a miserente Deo pro-

---

(1) *Eph.*, V, 8.

(2) I *Cor.*, II, 14.

(3) Ioa., XV, 4-5.

(4) Cf. Corluy, vol. II, p. 305 sqq.

(5) *In Ioa.*, tract. 81. 3, PL, 35, 1841. Ante iam explicat quid in vite non esse sit: » Sed quid vos (Pelagianos) sequatur videte, et si est in vobis ullus sensus horrete. Qui enim a semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est, qui in Christo non est, christianus non est ». Ibid., n. 2.

(6) Ioa., VI, 44.

veniunt: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (1).

d) Speciatim gratia necessaria docetur ad omnes classes actuum salutarium : — In ordine intellectivo nil cogitare possumus aut cognoscere salutariter sine gratia : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (2). — In ordine volitivo : *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας - iuxta suum beneplacitum) (3). — In ordine impetrativo : *Similiter et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (4). — In ordine fidei : *Vobis, donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (5). — Praesertim in ordine practico : *Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu* (6).

2° *Ex Traditione. — a) Praescriptio.* Statim ac pelagiana doctrina de sufficientia liberi àrbitrii ad actus salutares, exorta est Ecclesia universa eam ut haereticam novitatem damnans, pluribus etiam initis Conciliis : « Profanas (ait Augustinus) vocum novitates Ecclesia Christi et occidentalis et orientalis abhorruit » (7) ;

b) Doctrina Patrum. — Initio quidem Pelagiani non ex documentis ecclesiasticae traditionis, sed ex placitis Platonis, Aristotelis et praesertim Zenonis doctrinam suam proponebant. Dein vero ut aliqualiter responderent docto-

(1) *Rom.*, IX, 16.
(2) II *Cor.*, III, 5.
(3) *Philipp.*, II, 13.
(4) *Rom.*, VIII, 26.
(5) *Philipp.*, I, 29.
(6) *Philipp.*, I, 6.
(7) *Contra duas epistolas Pelagii*, IV, c. 8, PL, 44, 623.

ribus catholicis ex Patrum praedicatione arguentibus, quorundam veterum testimonia proferebant, adserentes aliquos tantum episcopos simpliciores esse sibi adversarios (1). S. Augustinus iam anno 415, thesim patristicam Pelagii refutavit, opponens textibus a Pelagio ex libris Lactantii, Ambrosii, Hieronymi et Chrysostomi allegatis, alios quamplurimos et clariores, qui gratiae favent. Dein autem uberiore et vivaciore sermone testimonia Patrum Pelagio obiecit: « Ad curam nostram (ait) existimo pertinere non solum Scripturas sacras adversos eos testes adhibere, quod iam satis fecimus; verum etiam de Sanctorum litteris, qui eas ante nos fama celeberrima et ingenti gloria tractaverunt, aliqua documenta proferre... ut admoneantur, qui putant istos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova istorum vaniloquia, catholici antistites eloquia divina secuti sint, et sciant a nobis rectam et antiquitus fundatam catholicam fidem adversus recedentem Pelagianorum haereticorum praesumptionem perniciemque defendi ». Allatis subinde testimoniis Cypriani (ex libb. *De Patientia, De Mortalitate, De Opere et eleemosynis, De Oratione dominica*) et Ambrosii (ex *Comm. in Luc.* et *in Isaiam: De Fuga saeculi)* subiungit: « Quid est ergo quod dicunt: simplicibus episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid beatissimis et in fide catholica excellentissimis viris Cypriano et Ambrosio, ante istos, adversus istos extorta subscriptio est, qua eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quae contra eos manifestiora dicamus, vix nos inve-

(1) « Dicunt (scribit de Pelagianis Augustinus *c. duas epp. Pel.*, IV, 8) inimicos suos dicta nostra in veritatis odium suscepisse et toto penitus Occidente non minus stultum, quam impium dogma esse susceptum et *simplicibus* episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus ad hoc confirmandum subscriptionem queruntur extortam ». Ibid., PL, 44, 623.

nire possimus? Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? » (1).

Demum ann. 421 allegat in favorem gratiae testimonia Irenaei, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambrosii, Gregorii Nazian., Innocentii, Ioann. Chrysost. Basilii et Hieronymi » (2).

Ut unum vel aliud ex priscis Patribus testimonium afferamus, Irenaeus scribit: « Sicut arida terra, si non percipit humorem non fructificat, sic et nos lignum aridum exsistentes nunquam fructificaremus sine superna voluntaria (gratuita) gratia » (3). Et Cyprianus, adductis testimoniis ex Ioa., III, 27: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo:* et ex I *Cor.*, IV, 7: *Quid enim habes quod non accepisti*, etc., probat: « In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est » (4). Et S. Ambrosius: « Non est in potestate nostra cor nostrum et nostrae cogitationes, quae improviso effusae mentem animumque confundunt atque alio trahunt, quam tu proposueris ad saecularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt » (5). Et iterum: « Vides utique, quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quisquam incipere sine Domino » (6).

c) Praxis Ecclesiae. — S. Augustinus saepe saepius revocat Pelagianos ad praxim Ecclesiae iuxta quam fidelibus orandum est ut gratiam ad actus salutares necessariam impetrent, quod vel ex ipsa oratione dominica

---

(1) *Contra duas epp. Pel. ad Ponif.*, IV, 12. PL. 44, 637 sqq.
(2) *Contra Iulian.*, II, 32, PL. 44, 719 sqq.
(3) *Adv. haer.*, III, c. 17, n. 2, PG. 7, 930.
(4) *Test.*, III, c. 4. PL. 4, 734.
(5) *De fuga saec.*, c. I. PL. 14, 569.
(6) *In Luc.*, II, n. 84. PL. 15, 1583. Alia testimonia infra in secunda parte.

probat: « Si ergo (scribit) alia documenta non essent, haec dominica oratio nobis ad causam gratiae, quam defendimus, sola sufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam nostrum gloriemur (1).

3° *Ex ratione.* — *Ex absoluta supernaturalitate vitae aeternae ad quam actus salutaris intrinsecam relationem habet.* — Ii namque dicuntur actus salutares, qui *positive, intrinsece et de se* disponunt vel conducunt ad vitam aeternam, et eo ipso habent rationem *medii proportionati ad illam tanquam ad finem connaturalem.* Docemur enim a S. Scriptura nos quibusdam operibus bonis vere *mereri* vitam aeternam, ita ut haec illis operibus *tanquam merces et corona iustitiae* debeatur. Ratio autem meriti includit connaturalem aliquam *proportionem* saltem moralem inter opus meritorium et mercedem respondentem. Illi igitur actus humani qui hanc proportionem vel *proximam*, vel saltem *remotam* habent ad vitam aeternam dicuntur actus salutares. Atqui vita aeterna est finis excedens proportionem naturae seu est absolute supernaturalis. Ergo etiam actus qui ad hunc finem sunt media intrinseca et proportionata supernaturales esse debent. Iamvero actus qui procedunt a principio, vel potentia mere *naturali* non excedunt proportionem naturae. Ergo ut operatio creaturae rationalis sit *salutaris,* seu medium proportionatum ad salutem aeternam, procedere debet sub influxu et efficacia altioris virtutis, qua potentia naturalis elevetur ad dignitatem principii supernaturalis (2). Ut vis huius argumentationis percipiatur, advertendum est potuisse quidem Deum *absolute loquendo* alium providentiae ordinem statuere in quo iis vitam aeternam promitteret, qui *naturaliter* honeste viverent. Verum in hac hypothesi actibus huiusmodi natura-

(1) *De Dono Persev.*, c. 7, PL, 45, 1001.

(2) Hic a. 5 et contr. G., III, c. 148.

liter honestis ex defectu entitativae proportionis non inesset ratio meriti proprie dicti, sed hi rationem haberent *simplicis conditionis extrinsecae*, qua posita Deus ex *sua liberalitate* salutem homini honesto concederet, praevia tamen elevatione potentiarum naturalium (intellectus et voluntatis) per virtutem supernaturalem, quae omnino creaturae rationali necessaria est ad Deum ut in se est intuendum atque immediate possidendum. Licet autem destinatio hominis ad ultimum finem supernaturalem sub simplici conditione vitae naturaliter honestae non repugnet intrinsece, evidens tamen est magis convenire ut ad assecutionem finis supernaturalis creatura rationalis tendat per motum huic fini respondentem et proportionatum, scilicet per actus supernaturales. « Ea enim (ait egregie S. Thomas) quae sunt ad finem necesse est fini esse proportionata. Si igitur homo ordinatur in finem, qui eius facultatem naturalem excedit, necesse est ei aliquod auxilium divinitus adhiberi supernaturale, per quod tendat in finem » (1).

II. Probatur secunda pars: — *Etiam ad initium fidei, piumque credulitatis affectum necessaria est gratia* illuminationis et inspirationis.

1° *Ex S. Scriptura.* — Ea ipsa testimonia quae in prima parte adducta sunt, hanc etiam veritatem evincunt. Si enim *nihil* possumus in ordine ad salutem *sine Christo;* si ad Christum nemo venire potest, nisi *Pater traxerit eum;* si absque gratia veluti *mortui* sumus, et *tenebrae et filii irae;* manifestum est nec *primum* actum vitae supernaturalis, nec primum gressum in viam salutis nostra virtute a nobis effici posse: cum imo primum in motu initium sit natura sua difficilius. — *Explicite* vero S. Scriptura gratiae adscribit *incoeptum boni operis* (2) et *bonae voluntatis* (3) et

(1) C. G., III, 148.
(2) *Philipp.*, I, 6.
(3) *Philipp.*, II, 13.

ipsius *fidei: Sunt quidam ex vobis, qui non credunt... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* (1). Hoc ipsum Apostolus *directe* docet dum emphatice clamat: *Qui prior dedit illi* (Deo) *et retribuetur ei?* (2): *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (3). « Quo praecipuo testimonio (ait S. Augustinus) etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis » (4).

2° *Ex traditione.* — S. Augustinus hanc doctrinam confirmat tum ex constanti Ecclesiae praxi *orandi pro infidelibus ut credant*, tum allatis testimoniis Cypriani, Ambrosii et Greg. Nazian., ostenditque hos tales, tantosque doctores gratiae Dei tribuisse, ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, et ut ex indevotis efficiamur devoti ac religiosi et in ipsam Trinitatem credamus (5).

His addi debent vetustiores Patres etiam Apostolici, qui licet ad declarandam gratiae necessitatem etiam ad *initium* fidei, nondum exorta pelagiana controversia, explicitis et technicis terminis ab Araus. Synodo sancitis non utantur, tamen satis *diserte* eam affirmant. Sic Ignatius M.: « Opus Dei esse (ait) si id perfecerimus ut Deo vacemus » (6). Et Clemens Rom. scribit: « Deum nos ab initio per fidem

(1) Ioa., VI. 65-66.

(2) *Rom.*, XI, 35.

(3) I *Cor.*, IV. 7.

(4) *De Praed. Sanct.*, c. 3, n. 7, PL, 44, 964.

(5) *De Dono perser.*, c. 19, PL. 45, 1023-25.

(6) *Ad Polycarpum*, VII, 3: « Χριστιανὸς ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ θεῷ σχολάζει. Τοῦτο τὸ ἔργον θεοῦ ἐστὶν καὶ ὑμῶν, ὅταν αὐτὸ ἀπαρτίσητε. Πιστεύω γὰρ τῇ χάριτι, ὅτι ἕτοιμοί ἐστε εἰς εὐποιΐαν θεῷ ἀνήκουσαν. (Funk, *Patres apost.*, vol. I, p. 294).

iustificare » (1). Et Irenaeus: « Non a nobis esse (dicit) opus salutis nostrae » (2). Et Cyrillus Hierosolym.: « Omnia (inquit) gratificatur Deus... qui precibus vestris exoratus et nobis qui verba facimus dicere, et vobis qui auditis credere concedat » (3).

Schólion. — *Doctrina Patrum Pelagio anteriorum et praesertim S. Ioannis Chrysostomi.* — Nonnulli Patres, praecipue ex graecis, qui ante exortam haeresim pelagianam scripserunt, non tam de gratia defendenda, *nemine eam negante*, quam de liberi arbitrii exsistentia contra Marcionitas et Manichaeos asserenda solliciti fuerunt: nil mirum igitur, si his idipsum contigit quod in hac ardua quaestione sibi etiam contigisse affirmabat Augustinus; quod nimirum cum liberum arbitrium defenderet, Dei gratiam negare videretur (4). Ceterum Ecclesiae orientalis in hac doctrina cum occidentali concordia splendidissime testantur Concilia Diospolitanum (5) et Ephesinum (cui praefuit Cyrillus Alex.) in quibus statim ab ortu explicite error Pelagianorum damnatus est (6). Ut autem aequum de modo loquendi hac in re Patrum antiquorum iudicium feratur, iuverit prae oculis habere tres ex quatuor regulis, quas Petavius pro-

---

(1) « Et nos igitur, ex voluntate eius in Christo Iesu vocati, non per nos ipsos iustificamur, nempe per sapientiam nostram, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera, quae in cordis sanctitate operati sumus, sed per *fidem* per quam omnipotens Deus *ab initio* omnes iustificavit ». *Ad Cor.*, I, c. XXXII, 4: Funk, ibid., p. 139.

(2) « Non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae... Non a nobis, sed a Dei adiumento habuimus salvari ». *Adv. Haer.*, III, c. 20, 3, PG, 7, 944.

(3) Ὅς ταῖς ὑμετέραις εὐχαῖς καὶ ἡμῖν παράσχοιτο τοῖς λέγουσι τὸ εἰπεῖν, καὶ ὑμῖν τοῖς ἀκούουσι τὸ πιστεῦσαι. *Catech.* XIII, n. 8, PG, 33, 783.

(4) *De Grat. Chr. contra Pelag.*, c. 47, n. 52, PL, 44, 383.

(5) Ann. 415, PG, 48, 327 sqq.

(6) Cf. Denz., 85.

ponit et exemplis allatis illustrat atque confirmat (1). Itaque: *a)* Plures Patres Pelagio anteriores nomine gratiae frequenter non *internum proprieque* dictum auxilium Dei supernaturale intelligunt, sed *externum Dei beneficium,* ut praedicationem Evangelii, etc. Hoc beneficium cum non sit actus *intrinsece* et *formaliter salutaris,* posse a nobis bonis moribus et precibus impetrari affirmant; *b)* Quandoque vero opera naturaliter bona, non quidem tanquam *meritoria de condigno* vel *de congruo* auxiliorum Dei existimant, sed docent ea esse simplicem normam et *conditionem* iuxta quam Deus *beneficium extrinsecum* praedicationis fidei concedit, quin tamen huic conditioni adstrictus sit ipse, qui libere cuilibet vel maximo peccatori benevolentiae suae thesaurum aperire potest. Hoc tantum sensu Clemens Alex. et S. Iustinus M. philosophiam vocant praeparationem ad fidem, vel dicunt, per quandam emphaticam exaggerationem, eam iustificare graecos, idest praedisponere eorum ingenia ad *fidei christianae auditionem,* ex qua, *Deo gratuite per interna auxilia adiuvante,* fidei adhaesio et ex ea iustificatio consequitur; *c)* Item, quod maxime advertendum est, nomine gratiae intelligunt *plenam* et *perfectam* gratiam, quae formaliter iustificat, non autem *inchoatam et informem.* Hinc iam supposita prima *initial* gratia, quae *gratuito omnino et nullis praecedentibus meritis* conceditur, docent eum qui illi consentiat ulteriora auxilia promereri posse et demum ex promissione Dei iustitiam adipisci. Horum criteriorum et praesertim huius postremi applicatione, haud difficilis evadit interpretatio quorundam testimoniorum, quae ex Herma, Iustino, Clemente Alex., Origene, Hilario aliisque nobis opponuntur, in quibus initium salutis a nostra voluntate repeti videtur. Eoque magis, quod hi omnes necessitatem *gratiae* quoad omnes et sin-

(1) *De Deo,* lib. IX, c. 4.

gulos actus salutares aliis in locis aperte affirmant. Hi scilicet, ut S. Augustinus animadvertit (1), prius quam haeresis pelagiana oriretur non habuerunt necessitatem de hac doctrina ample et explicite tractandi, sed breviter et transeunter de ea egerunt, ut plurimum, ex verbis ipsis S. Scripturae communem fidem profitentes, asserendo nos nihil facere, vel cogitare posse quod Deo placeat et nobis sit salutare. Subinde autem ne viderentur voluntatis nostrae libertatem auferre, cum eadem S. Scriptura monebant sollicitos nos esse oportere ad fidem et gratiam amplectendam, iuxta illud Zach., I, 3: « *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* »: et illud Pauli, Eph., V, 14: « *Surge qui dormis et exsurge a mortuis et illuminabit te Christus* » (2).

Haec quae diximus valent etiam pro interpretatione doctrinae S. Ioan. Chrysostomi, qui utpote Cassiani magister, tanquam gratiae detractor a Calvino (3) et Iansenianis in-

(1) Cf. *De Praed. Sanct.*, c. 14, PL, 44, 980 sqq.

(2) Cf. Isaac Habert, *Theol. graecorum PP. vindicata circa universam materiam de gratia* (Parisiis, 1647), l. I, c. 8-24. Quoad doctrinam Origenis, Athanasii, Hilarii, trium Cappadocum Basilii, Greg. Nazian., Greg. Nyss. Cf. Schwane, *Dogmengesichte*, vol. I, § 57, vol. II, § 60-2. Basilii orthodoxiam specialiter vindicat Scholl, *Die Letze des P. Basilius von der Gnade* (Friburgi, 1881). Sed amplitudine atque eruditione omnibus praestat defensio PP. graecorum, qui ante Pelagium scripserunt, quam exhibet Scipio Maffei in sua *Historia theol. opinionum circa gratiam*, etc. (Tridenti, 1742) per totum libr. XI et praesertim c. 5 sqq. ubi allatis testimoniis ex Cypriano, ex Hilario, ex Ambrosio, ex Hieronymo et ex ipsis Augustini libris post exortam controversiam pelagianam scriptis, demonstrat easdem, vel affines expressiones, quae reprehenduntur in Patribus graecis occurrere apud latinos, eosque etiam, qui validiores fuerunt contra Pelagium gratiae assertores. Sic v. gr. Hilarius scribit: « *Ex nobis initium esse ut Deus perficiat* » (in psal. 118). Et Ambrosius: « *Oportere ut tales nos praebeamus bonis studiis et prompta fide, ut Deus nostri misereatur et vocet nos* » (*De Abraham*, l. II, n. 74). Et Hieronym., Dial. III contra Pelag.: « *Nostrum esse rogare: illius* (Dei) *tribuere quod rogatur, nostrum incipere, illius perficere* », etc. (Cf. l. c.).

(3) *Inst.*, II, c. 3, n. 10.

simulatur. Hunc adeo insignem Doctorem nullimode pelagiano vel semi-pelagiano errore fuisse infectum vel ex eo iam argui debet, quod S. Augustinus ad eius testimonium, ut vidimus, pro necessitate gratiae ad omnes actus salutares eliciendos fidenter provocat. Et sane quidem, non semel S. Antistes *explicite* omne meritum in re salutari a gratia *unice* repetit. Sic dum scribit (1): « Ponamus te dignum laude esse et vere gratiam et donum habere... neque sic oportet altum sapere... non enim haec tua facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit, si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinae verbum, si virtutes, omnia inde accepisti. Quid ergo habes quaero ex te, quod non acceperis, sed ex te ipso recte acquisieris? *Nihil dicere possis* ». Speciatim *fidem* ex gratia Dei esse docet. « Nec fidei donum est *nostrum*, sed Dei, non ex operibus... Hoc ipsum est Dei donum ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam » (2). Quin imo et *praecedentiam* gratiae haud semel docet et explicite fatetur docens nihil a nobis in ordine ad salutem perfici posse solis nostris viribus: « Nonne manifestum est eos (iustos congeneres nostros) *post gratiam supernam* suo studio bene agere posse? » (3). Cum itaque asserit oportere nos *praeeligere* ut gratiam Dei accipiamus non excludit gratiae *primae* praevenientis necessitatem, sed hac, iuxta *tertiam regulam* superius allatam, praesupposita, de *abundantiori* gratiae subsequentis collatione loquitur. Item, dum videtur negare gratiam praevenientem (verbis usus quae certe post Conc. Aurans. non adhibuisset) non excludit *initialis gratiae necessitatem,* sed *eius necessitantem* deter-

---

(1) In I *Cor.*, hom. 12, n. 2, PG, 61, 97.

(2) In *Eph.*, tom. 4, n. 2, PG, 62, 33.

(3) οὐκ, εὔδηλον ὅτι τῇ οἰκείᾳ σπουδῇ ταῦτα κατορθοῦν δυνήσονται μετὰ τὴν ἄνωθεν χάριν. *Hom.*, 23, in Gen., n. 5. PG, 53, 205.

minationem ad opus meritorium, enixe monens ipsam non destruere hominis libertatem. « Oportet (ait) nos primum bona *eligere*, et tunc affert (Deus) quae sua sunt. Non praevenit nostras voluntates, ne *perdat nostrum liberum arbitrium*. Quando autem nos elegerimus, tunc nobis *multum* affert auxilium (ὅταν δὲ ἡμεῖς ἑλώμεθα, τότε πολλὴν εἰσάγει τὴν βοήθειαν ἡμῖν)... Nam nostrum quidem est praeeligere et velle, Dei autem perficere et ad finem perducere » (1). Ex hoc testimonio (quod maiorem aliis omnibus quae opponuntur praesefert difficultatem) patet, mentem S. Doctoris hanc fuisse: Deum sic primum suas gratias temperare, ut usus et rigor liberi arbritrii integer servetur et appareat, dein vero nos per liberam primis afflatibus Spiritus S. cooperationem, uberiora et validiora obtinere auxilia. Hinc Deum *non praevenire* (ut plurimum) hac uberioris gratiae plenitudine nostras voluntates, ut libertas nostra plena remaneat quoad exercitium operis salutaris; addita autem nostra auxilio superno cooperatione, abundantiores gratias immittere (2).

---

(1) *Hom.*, 12 in ep. ad Hebr., n. 3, PG, 63, 99. S. Doctorem praesupponere primam gratiam praevenientem quae omnibus offertur et loqui de uberioribus gratiis, quae iis conceduntur, qui gratiae initiali obtemperant, evidenter apparet etiam ex eius hom. 58, n. 5 (PG, 54, 513) ubi scribit: « Ita sane nobis persuadeamus, nos licet millies enitamur, *nihil* tamen prorsus recte agere posse nisi superno auxilio adiutos. Sicut enim nisi illo auxilio fruamur nihil unquam possumus recte agere; ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum auxilium obtinere. Demus igitur operam ut nostra afferamus et supernum favorem alliciamus, ut ex nostro studio et ex Dei benignitate *virtutes nostrae quotidie crescant multaque* superna fruamur gratia (καὶ πολλῆς ἀπολαύσωμεν τῆς ἄνωθεν χάριτος). Manifestum est itaque S. Ioa. Chrysost. non directe agere de primae gratiae initialis necessitate; alloquitur enim *fideles*, quibus gratiae sufficientes nunquam desunt. Hinc de eo potissimum sollicitus est, ut fideles excitet ad cooperandum auxiliis divinis, ex hac enim cooperatione sequitur ex parte Dei abundantioris auxilii largitio, et hinc virtutum incrementum.

(2) Cf. Scip. Maffei, l. c., et libr. VI: Schwane, l. c., § 63.

3° *Ex ratione.* — Etiam *initium* fidei, qua quis credere incipit sicut oportet, est *opus salutare;* quia « fides (ait Conc. Trid.) est salutis humanae initium, fundamentum et radix omnis iustificationis » (1). Atqui ad omne opus salutare requiritur gratia. Ergo (2).

Corollarium. — Quum gratia, quae ad omnem actum salutarem exigitur sit, ut diximus, *entitative* supernaturalis idest *elevans* actum vitalem cognitionis et volitionis nostrae supra vires naturae, et hinc eius necessitas non solum sit moralis, sed *physica* et absoluta, utpote quae non tantum ex difficultate morali actus efficiendi provenit, sed ex *intrinseca deficientia* virium naturalium ad talem actum, patet hoc supernaturali auxilio etiam *Angelos* et *Adam innocentem* indignisse (3).

Scholion. — *Ultimum iudicium practicum* immediate praecedens piam voluntatem credendi nonnulli theologi, post Suarez, censent esse per se *naturaliter* evidens; hinc ad ipsum non requiri gratiae supernaturalis auxilium, sed hoc necessarium tantum esse pro formali assensu fidei, vel pro affectione credendi (4). Communis tamen et melior sententia ad hoc etiam iudicium exigit gratiam supernaturalem. Nos enim, iuxta Apostolum: *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* (5). Et sane quidem, assensus formalis fidei, vel pia credendi voluntas, quam iudicium practicum credibilitatis immediate antecedit, concipi debet *ex unico motivo auctoritatis Dei revelantis.* Iamvero poterit quidem forte intellectus perpendens *diversa*

---

(1) Sess. VI, c. 8, Denz., 683.

(2) De necessitate gratiae ad ipsum desiderium fidei, vel ad pium credulitatis affectum explicitius agemus art. seq. ubi quaestio est de omnimoda gratuitate.

(3) Cf. Palmieri, *Thes.*, 24.

(4) Cf. Suarez, *De fide,* disp. 6, sect. 8.

(5) Cf. De Lugo, *De fide divina*, disp. 12, sect. 3.

motiva credibilitatis, naturaliter iudicare ea quae proponuntur credenda, ob *diversas rationes* apparere evidenter credibilia; non tamen valet, *sine gratia Dei*, hoc ultimum iudicium, *saltem evidens,* efformare *ex solo motivo* revelationis divinae. Licet itaque detur (id quod plurimi negant) ex consideratione philosophica motivorum credibilitatis oriri *naturaliter* indicium practicum *non solum* obscurum, *sed evidens* credibilitatis, hoc tamen iudicium nunquam erit *naturaliter* evidens ex solo motivo auctoritatis revelantis, quae omnino exigitur ab assensu fidei (1).

Obiectiones contra I partem. — 1° Quod in nostra potestate constitutum est per nos ipsos possumus. Atqui ingredi vitam aeternam est in nostra potestate, iuxta illud Matth., XIX, 17: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ergo.

Resp. dist. mai.: Quod est constitutum in nostra *sola* voluntate naturaliter possumus, *Conc.;* in voluntate a *gratia* adiuta, *Nego,* etc. — Ex testimonio allato deduci utique debet hominem sua voluntate, et quidem libera, opera vitae aeternae meritoria efficere posse: non autem argui licet haec opera effici posse absque superno auxilio Christi *sine quo nihil possumus facere* (2).

---

(1) Hanc distinctionem proponit vel ipse SUAREZ respectu ad assensum intellectualem veritatibus fidei: « Licet (scribit *De fide*, disp. 6, sect. 7, n. 7) per rationem naturalem possit cognosci credendum esse rebus revelatis a Deo sufficienter propositis, non potest tamen cognosci quod sit credendum eo modo, quo fides divina credit, scilicet ex pura Dei auctoritate, non resolvendo fidem in aliquam aliam rationem seu motivum creatum credendi. Nam... duobus modis possunt credi res fidei: primo resolvendo assensum in externa motiva vel signa credibilitatis tanquam in rationem credendi; et ad hoc genus fidei sufficere potest voluntas naturalis, quia non transcendit fidem acquisitam, neque certitudinem humanam; alius modus credendi est, pure nitendo in auctoritate divina; et ad hunc modum dicimus esse necessariam voluntatem supernaturalem ».

(2) Hic ad 1.

2° Atqui ingredi vitam aeternam in nostra *sola* voluntate constitutum est. Nam vita aeterna est *merces* debita nostris bonis operibus. Iam vero nos sumus *domini* operum nostrorum, Ergo.

Resp. dist. mai.: Vita aeterna debetur ut merces operibus nostris *adiutorio Dei* factis, *Conc.;* a nobis *tantum*, *Nego. Contrad. min.:* nostrorum operum domini sumus, quatenus libere *assentimus gratiae Dei, Conc.:* quatenus ex nostra sola voluntate opera meritoria efficere possumus. *Nego* (1).

3° Atqui nostris viribus naturalibus vitam aeternam assequi possumus. Vita enim aeterna est ultimus hominis finis. Sed quaelibet res potest assequi suum finem. Ergo.

Resp. dist. mai.: Supernaturalis, Conc.; naturalis, Nego, etc. (2).

Obiectiones contra II partem. — 1° Id quod adiacet nobis est in nostra potestate. Atqui *velle* gratiam, ac proinde saltem *initium* fidei, adiacet nobis iuxta illud Apostoli: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (3). Ergo.

Resp. dist. mai.: Si adiacet tanquam *ex natura nostra* profluens, *Conc.;* si *ex gratia* superaddita, *Nego. Contrad. min.:* velle adiacet nobis sine gratia supernaturali, quoad bonum *naturale*, de quo hic loquitur Apostolus, *Conc.;* quoad bonum *salutare, Nego.* — Etenim quoad bonum salutare iuxta eundem Apostolum: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate* (4).

2° Atqui etiam quoad *bonum salutare*, *velle* adiacet nobis sine gratia. Sane: non potest homini imponi quod ipsi impossibile est. Atqui imponitur ei *conversio* et *pul-*

---

(1) Hic ad 2.
(2) Hic ad 3.
(3) *Rom.*, VII, 18.
(4) *Philipp.*, II, 13.

satio, et *petitio* et hinc saltem *initium fidei, et pius credulitatis affectus: - Convertimini ad me*, ait Dominus, *et ego convertar ad vos,* (Zach., I. 3); et iterum: *Petite et dabitur vobis: quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (Matth., VII, 7). Ergo.

Respondeo: generatim in SS. Litteris *duo* distinctim asseri: *a)* gratiam Dei esse absolute necessariam ad omne opus salutare; *b)* hominem, si velit, libere posse se ad Deum convertere. Iamvero iuxta regulam elementarem hermeneutices haec duplex testimoniorum, quae inter se contraria videntur, series *harmonice* intelligenda est et componenda: utraque enim veritatem divinam enuntiat. Haec autem harmonica compositio obvia est, si attendatur hominem quoad suam salutem adquirendam huius duplicis veritatis admonendum fuisse: nempe hinc eum indigere auxilio Dei praeveniente et adiuvante ad opus salutare perficiendum; inde vero huic auxilio libere cooperari ipsum oportere ut salutem consequatur. Ea itaque testimonia, quae opus salutare hominis voluntati tribuunt, non excludunt, sed supponunt alia testimonia, quae opera nostra salutaria ex divino auxilio repetunt. Saepe enim S. Scriptura ex pluribus causis, quae in *eundem effectum* diversa ratione concurrere debent, *unam* tantum indicat, quae pro rei circumstantia magis inculcanda est, quin tamen ceterarum concursum, qui alibi necessarius enuntiatur, excludat. Sic v. gr. ad caritatem erga pauperes commendandam, remissio peccatorum *eleemosynae* tribuitur: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata* (1). Inepte autem et falso ex hoc quis argueret *solam* eleemosynam sufficere ad remissionem peccatorum obtinendam. — Hinc obiectioni allatae respondemus in forma: *Dist. mai*: Homini non potest imponi quod est ipsi impossibile vel per

(1) Tob., XII, 9. Cf. Dan., IV, 24.

liberum arbitrium solum, vel per liberum arbitrium a gratia Dei praeventum et adiutum, *Conc.;* per *solum* liberum arbitrium, *Subd.:* nisi concedatur auxilium ex quo praecepti observantia fiat possibilis, *Conc.:* si conceditur sufficiens adiutorium, *Nego,* etc. — Invitatio itaque ad conversionem supponit gratiam Dei praevenientem cui libere homo assentire, vel dissentire potest. Hinc si legitur: *Convertimini ad me... et ego convertar ad vos,* hoc etiam aliud enuntiatur: *Converte me et convertar: quia tu es Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam* (1). Hinc Conc. Trid. monet: « In sacris litteris cum dicitur: *convertimini ad me et ego convertar ad vos,* libertatis nostrae admonemur; cum respondemus: *Converte nos Domine et convertemur* (2), gratia Dei praeveniri confitemur (3).

3° Atqui de facto conversionem bonis desideriis et pio credulitatis affectu quidam infideles vel peccatores obtinuerunt, ut *centurio, Zachaeus* et *bonus latro.* Ergo.

Resp.: Et haec pia desideria ex influxu gratiae praevenientis ab his fuerunt elicita, *Conc.;* absque gratia, *Nego.* « Manifestissime credendum est (ait Conc. Araus. II) quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis ad quem angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum recipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum » (4).

---

(1) Ierem., XXXI, 18-19.
(2) Zach. I, 3.
(3) Sess. VI, c. 4, Denz., 679.
(4) Can. 25, Denz., 171.

Articulus VI.

Utrum homo possit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae.

Praenotanda. — 1° *Adumbratio doctrinae S. Thomae circa gratuitatem gratiae.* — In hoc articulo docet *Angelicus* non posse humanam voluntatem praeparari in ratione principii activi ad operandum *meritorie* pro vitae aeternae consecutione sine *gratiae habitualis dono,* quod sit principium operis meritorii: eam autem ut seipsam ad gratiam *habitualem* praeparet, indigere non quidem alio gratiae *habitu,* sed auxilio gratiae actualis. « Quod enim homo convertatur ad Deum hoc non potest esse, nisi Deo ipsum movente. Hoc autem est praeparare se ad gratiam, quasi ad Deum converti... Unde patet, quod homo non potest se praeparare ad lumen gratiae suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis ». Huic doctrinae cohaerenter in responsione ad *secundum* explicat effatum: « *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* » ; de eo qui facit quod in se est *secundum quod est motus a Deo.* Haec eadem doctrina de perfecta gratiae gratuitate fusius exhibetur infra, praesertim in quaest. 112, a. 3, ubi quaeritur utrum necessario detur prima gratia se praeparanti ad gratiam et facienti quod in se est, et in quaest. 114, a. 5, ubi de *merito* primae gratiae sermo iterum redit. Nos brevitatis causa quaestionem de absoluta gratiae *gratuitate* hoc uno articulo expedimus.

2° *Distinctior tractationis definitio.* — Iam in articulo antecedente probatum est contra semi-pelagianos, initium fidei, idest *primum actum salutarem* non esse ex nobis: seu aliis verbis ostensum est facultates nostras naturales a simplici universali Dei concursu adiutas non posse

esse *causam physicam* actus supernaturalis, licet *initialis*. Nunc inquirimus num ipsae facultates esse possint eiusdem actus *causa moralis*, ita ut ex se ipsis elicere valeant opera utcumque *meritoria*, vel *impetratoria primae gratiae*, aut saltem quae ad ipsam recipiendam subiectum disponant. Dicimus ad *primam gratiam*, nam ut inferius (q. 114) probabitur, potest homo *iustificatus* et gratia actuali adiutus perficere *opera meritoria de condigno* augmenti gratiae habitualis, et etiam de *congruo* mereri ulteriores gratias actuales.

3° *Nullum meritum de condigno primam gratiam praecedere potest.* — Et equidem non posse hominem *de condigno* primam gratiam mereri, idest perficere opera naturaliter bona, quibus *iure proprio* gratiae collatio debeatur, *fide* constat. In huius enim meriti assertione, ut iam vidimus, substantialis error semi-pelagianismi consistit, cui solemnis et explicita Ecclesiae doctrina de gratiae gratuitate opponitur. « Declarat S. Synodus (aiunt Patres Tridentini) ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Iesum Christum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua *nullis eorum exsistentibus* meritis vocantur... ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem; neque homo ipse nihil agat... neque tamen *sine gratia gratia Dei movere se* ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit » (1). Et certe quidem: « Merces (ut arguit S. Thomas) proportionatur merito; quum in retributione mercedis *aequalitas iustitiae* observetur. Effectus autem divini auxilii, qui facultatem naturae excedit, non est proportionatus actibus quos homo ex naturali facultate producit. Non igitur per huiusmodi actus potest homo praedictum auxilium mereri » (2). Hinc, si

(1) Sess. VI, cap. 5, DENZ., 679.
(2) C. G. III, c. 149.

ex iustitia operi naturali deberetur bonum conducens ad vitam aeternam, haec non foret amplius finis supernaturalis, sed ad ordinem naturalem pertinere dicenda esset, quod est contra apertam eamque fundamentalem doctrinam fidei.

4° *Erronea sententia quorundam, qui operibus naturaliter honestis rationem meriti de congruo, vel impetrationis, vel saltem aliqualis dispositionis inesse contendunt.* — Non defuerunt inter ipsos theologos catholicos, qui solam exclusionem meriti *de condigno* ad gratuitatem gratiae sufficere censentes, primam gratiam honestis moribus *ex congruo infallibili* conferri dicerent. Boni enim mores, ut isti putant, licet non habeant *condignitatem et proportionem moralis aequitatis* cum gratia, neque ullum *ius intrinsecum* fundent ad ipsam tanquam ad mercedem vel praemium, *benevolentiam* tamen praemiantis alliciunt ad gratiam ex *decentia et congruitate* concedendam. Hinc, iuxta hos, potest homo per bona opera se ad primam gratiam *positive* disponere. Ita sentiunt Durandus (1), Gabriel Briel (2), Thomas Argenti-

---

(1) « Licet (scribit DURANDUS) supremo agenti conveniat ad ultimum finem perducere, nihil tamen prohibet infimum agens ad ultimum finem *disponere;* sicut videmus in generatione hominis, in qua licet Deus introducat formam ultimam, natura tamen ex propria virtute disponit materiam. Similiter, licet ad *consecutionem* gratiae requiratur specialis motio Dei gratiam infundentis (si tamen gratia sit habituale donum), tamen ad eam potest homo se disponere *pure*, ut videtur, per liberum arbitrium absque tali speciali motione ». libr. II, dist. 29, q. 5. – Evidens est hac Durandi doctrina ipsum conceptum *ordinis supernaturalis subverti*, quod maxime patet ex similitudine adducta concursus dispositivi ad infusionem animae rationalis ex parte materialis agentis. Anima enim rationalis est forma *naturalis* hominis; hinc ex lege naturae eius infusio debetur materiae rite dispositae iuxta leges vitae physiologicae: gratia vero est forma *supernaturalis*; hinc nequit subiectum ad illam se disponere ex viribus naturae, sed indiget auxilio Dei supernaturali.

(2) BIEL statuit hanc conclusionem: « Anima obicis remotione ac bono motu in Deum ex arbitrii libertate elicito, primam gratiam mereri potest de congruo ». II, dist. 27, q. unica, concl. 4.

nensis (1), Alphonsus a Castro (2), quibus solet a pluribus Scotus ipse accenseri (3).

5° *Dispositio negativa cum infallibili nexu ad gratiam.* — Licét autem communis, eaque *dogmatice* certa doctrina quamlibet *positivam* dispositionem ad primam gratiam reiiciat, plures tamen theologi aliquam dispositionem *negativam*, etiam cum *infallibili nexu* ad primam gratiam in vivendi modo naturaliter honesto agnoscendam esse contendunt. Nexus autem infallibilis inter gratiae collationem et pios hominis conatus repetitur ab istis theologis *a pacto quodam* inito inter Deum et Christum Redemptorem, iuxta quod Deus ex sua liberalitate promisisset gratiam conferre facienti naturaliter quod in se est, ita ut ad illam largiendam ex fidelitate obligaretur (4).

---

(1) II, dist. 27, a. 3, concl. 3.

(2) *De lege poenali,* l, II, c. 14.

(3) Cf. ESTIUM, II, dist. 26, § 34. Tanquam communi doctrinae contraria citari solet sententia, quam SCOTUS exponit IV Sent. dist. 14, q. 2, n. 14, ubi *attritioni* peccatoris facientis quod in se est, attribuitur meritum de congruo ipsius *iustificationis* ex promissione gratuita Dei. Verumtamen etiam ibi admonet hunc attritionis actum a peccatore perfici per praevenientem gratiam Dei. - Ceterum aliis in locis explicite asserit gratiam a Deo dari *independenter a dispositionibus adquisitis* per actus recipientis (Cf. IV, dist. I, q. 1, n. 3, et *Report.*, q. 1. n. 20, etc.). Hinc Doctorem *subtilem* consentaneam cum S. Thomae doctrina hac in re sententiam sequi pluribus adductis testimoniis probat MONTEFORTINO, I-II, q. 109, a. 6; q. 112, a. 3. Eodem sensu mens SCOTI exponitur ab Editoribus operum S. BONAV. (Quaracchi, 1885), IV, dist. 14, q. 2, in *Scholio.*

(4) Hanc sententiam sic exponit MOLINA: « Illud etiam addendum est, quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, praestove est ad conandum totum id quod ex sese potest tam circa ea quae fides habet addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem, a Deo conferri gratiam praevenientem, auxiliaque, quibus id faciat ut oportet ad salutem: non quidem quasi ex eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita: atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater aeternus

6° Nos tamen doctrinae S. Thomae omnino adhaerendum putamus, qui non solum quodlibet meritum in ordine ad primam gratiam excludit, sed quidquid rationem habet dispositionis ad eam ab auxilio Dei supernaturali repetit.

CONCLUSIO

Nequit homo primam gratiam de congruo mereri, vel precibus impetrare, vel ad eam obtinendam positive se disponere sine gratiae auxilio. Boni autem mores licet concipi possint ut aliqualis dispositio ad assensum gratiae a Deo independenter ab ipsis collatae, non tamen haberi possunt tanquam conditio cui infallibiliter gratia ex Dei bonitate concedenda sit. Hinc effatum illud: « facienti quod in se est Deus non denegat gratiam » de eo qui id facit ex viribus gratiae intelligendum est.

I. Probatur prima pars: — *Nequit homo de congruo primam gratiam mereri.*

1° *Ex Magisterio Ecclesiae.* — Absoluta gratiae *gratuitas* in controversia semi-pelagiana asserta, huc potissimum spectabat, ut *omne quodcumque naturae meritum* in ordine

statuerunt de auxiliis et donis, quae nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una eaque rationi consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ut ea oportet ad salutem efficeremus: ut ea ratione dum essemus in via semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset nostra salus, per nosque ipsos staret, quod ad Deum nos converteremur. Quare, sicut Deus semper praesto est per concursum generalem libero arbitrio ut naturaliter velit, aut nolit prout placuerit: ita praesto illi est per gratiam sufficientem, ut quoties ex suis viribus naturae aggredi voluerit opus aliquod ex iis quae ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet. *Conc.*, q. 14, a. 13, disp. 10. Cf. Lessium, *De gratia efficaci*, c. 10; Suarez, *De gr.*, l. IV, c. 13 sqq.; Ripalda, *De ente super.*, l. I, disp. 20, sect. 2 sqq.; Mazzella, *De gr.*, disp. IV, a. 5, n. 848 sqq.; Jungmann, *De gratia*, n. 212 sqq.; Pesch., n. 210 sqq.

ad primam gratiam excluderetur. « His ergo (ait Coelestinus I) ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis ita adiuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus *ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri*, per quam fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere » (1).

2° *Ex S. Scriptura,* quae explicite docet nihil omnino ab homine adferri posse cui *quocumque titulo* gratia retribuenda sit. Sic Apostolus: *Quis prior dedit illi* (Deo) *et retribuetur ei?* (2) Et iterum: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* (3) Et Ioannes: *In hoc est caritas (Dei quae apparuit in nobis) non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* (4). Haec vera non essent si gratia Dei daretur nobis, iuxta meritum saltem *congruum* ob opera naturalia.

3° *Ex Patribus.* — Perfectam gratiae primae gratuitatem Patres nitide docuisse iam probatum est in articulo antecedenti (5). Augustinus praesertim ex ipso gratiae conceptu saepe arguit nihil in natura, quod ullam rationem meriti habeat, eam praecedere posse. « Praecedit enim (scribit) non debita, sed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera, ne si praecesserint bona opera tamquam operibus reddatur gratia, et sic iam non sit gratia » (6). Utique non est gratia si eam *ulla merita* praecedunt » (7). « Non

(1) *Epist. ad Episc. Galliae,* c. 8, Denz. 92. Cf. *Araus.*, c. 25, Denz. 171, etc.

(2) *Rom.*, XI, 35.

(3) I *Cor.*, IV, 7.

(4) I Ioa., IV. 10.

(5) Cf. Ripalda, *De Ente Super.*, disp. 17, sect. 2, sqq. Palmieri, thes. 24.

(6) *Ad Bonif. contr. duas epp. Pel. II,* 15, PL 44, 582.

(7) *De Praed. Sanct.,* 3, 7, PL, 44, 964.

enim gratia Dei erit, ullo modo, nisi gratuita fuerit *omni modo* » (1).

4° *Ex ratione.* — Etiam inter meritum *de congruo* et praemium adest aliqua proportio entitativa, non quidem condignitatis, sed convenientiae moralis, ita ut in opere quod praemio ob congruitatem donatur, aliqua qualitas inesse debeat, cui *ex decentia* ab eo in cuius utilitatem, vel obsequium adfertur opus retributio debeatur. Atqui inter actus naturaliter morales et ordinem supernaturalem nulla habetur proportio entitativa. Ergo gratia actui naturali neque ex decentia debetur. Addimus, non esse omni modo gratuitum donum quod *ex decentia* utcumque fundata in ipsius operis dignitate a Deo dandum est. Deus enim nequit id recusare, quod in se ex intima natura rei conveniens omnino apparet (2). Ex his omnibus concludendum est, sententiam quae bonis moribus attribuit meritum de congruo primae gratiae, esse dogmatice erroneam.

II. Probatur secunda pars: — *Prima gratia nequit precibus impetrari* (3).

1° *Ex Magisterio Ecclesiae,* quae satis explicite docet per preces naturales gratiam non impetrari. Sic Conc. Araus. II. « Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem gratiam facere ut invocetur

---

(1) *De pecc. orig.* 24, 28, PL 44, 399.

(2) Cf. S. Th. infra q. 114 a. 5.

(3) Ratio formalis precationis (ut advertit Suarez, *De Gr.*, l. 12 c. 34) *diversa* quidem est a ratione formali meriti. Meritum enim fundatur in opere alteri exhibito, cui iste vel ex iustitia vel saltem ex decentia praemium rependere debeat. E contra impetratio *qua talis,* nihil exhibet in alterius utilitatem, sed indigentiam tantum petentis manifestat, provocans ad alterius misericordiam. Attamen oratio passim habetur tamquam actio, cui inest meritum de congruo, eo quod de facto pia fidelium precatio et sibi et aliis dona Dei ex congruo mereatur Insuper licet orans nihil proferat in alterius utilitatem, tamen suam erga exoratum aperiens indigentiam et se illius miserationi submittens, actum *obsequii* erga illum exhibet.

a nobis... contradicit Isaiae prophetae, vel Apostolo, etc. » (1). Insuper idem Conc. docet hominem « nihil de suo habere in ordine ad salutem nisi mendacium et peccatum » (2).

2° *Ex S. Scriptura,* quae generatim asserit: *nescire nos quid oremus sicut oportet* (3). Haec quidem incapacitas salutariter orandi sine Dei adiutorio directe affirmatur ab Apostolo *de fidelibus*, sed *a fortiori* valet pro iis qui ordinem supernaturalem nondum agnoverunt. Hinc Augustinus ex hoc testimonio legitime arguit: « hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum... et etiam hoc divini muneris esse ut oremus » (4).

3° *Ex ratione.* — Ut iam probatum est, ordinem supernaturalem absque gratia neque cognoscere, neque appetere possumus. Atqui, nequit orando peti id quod neque cognoscitur, neque appetitur. Ergo. — Adde et ipsi orationi aliqualem rationem meriti *de congruo* inesse respectu ad id quod connaturaliter petitur. Si igitur gratia naturalibus precibus impetraretur, eo ipso valor meriti de congruo his attribuendus foret, et gratiae largitio non amplius absolute gratuita esset. Hinc Augustinus concludit: « Verumtamen ne saltem orationis putaretur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed iam nec gratia esset, quiadebita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur » (5).

III. Probatur tertia pars: — *Nequit homo positive se disponere ad primam gratiam* (6).

1° *Ex Magisterio Ecclesiae.* — Nullam qualemcumque *positivam coaptationem idoneitatis,* vel praeparationem ad

---

(1) Can. 3, Denz. 146.

(2) Can. 22, Denz. 165.

(3) *Rom.*, VIII, 26.

(4) *De dono Pers.,* c. 23, PL 45, 1032.

(5) *Ep.* 194 *ad Sixtum*, c. 4, PL 33, 879.

(6) Notio *dispositionis positivae* hoc infert, quod ad meram *potentiam obedientialem*, quae fere est simplex non repugnantia ad formam

gratiam ex naturae viribus procedere posse saepe docetur in documentis Ecclesiasticis contra semi-pelagianos prolatis. Sic v. g. Conc. Araus. II explicite definit: « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem ut credamus, velimus vel haec omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* » (1).

Iam vero, si homo per seipsum ad primam gratiam *active* et *positive* se disponere posset, eo ipso doni Dei largitio *subiungeretur obedientiae humanae*.

2° *Ex doctrina S. Augustini,* qui non semel facta hypothesi hominis naturalibus donis ingenii et etiam bonorum morum praediti, petit num iste magis dispositus sit vel dignus cui gratia detur, ac homo impius et vitiis irretitus? et respondet *negando*. « Non habeo (scribit) quod intueor in eligendis hominibus ad gratiam... Nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque; addamus etiam si placet, honestas utilesque virtutes... Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus et acer ingenio et liberalibus artibus expolitus eligendus videtur ad gratiam... Sed cum hoc statuero ita me redemit ille,

---

accidentalem supra naturam recipiendam, vel ad actum supra naturae vires auxilio superioris virtutis eliciendum, addatur aliqua *idoneitas* vel *coaptatio*, quae sit utcumque *conditio* quaedam ducens ad gratiae consecutionem. Dicimus itaque hominem ex viribus naturae nihil afferre posse, vel efficere, quo magis *idoneus* vel *dignior* reddatur cui *gratia* conferatur.

(1) Can. 6 Denz., 149, cf. et c. c. 22-23, etc.

qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, et stulta mundi ut confudat sapientes... Restat ergo ut voluntate eligantur. Sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest; *hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate* » (1).

2° *Ex ratione.* — *a*) Ex absoluta supernaturalitate gratiae, quae omnem naturae proportionem excedit. Ubi enim adest aliqua dispositio vel positiva idoneitas ad aliquam formam ibi inest exigentia quaedam, vel saltem aliqua proportio ad illam. Atqui nulla exigentia aut proportio positiva inest naturae ad ordinem supernaturalem. Ergo (2).

b) Ex necessitate motionis supernaturalis in finem supernaturalem. — Sicut enim in ordine naturae nullum agens quidquam efficere potest nisi moveatur a Deo prout est Auctor naturae et finis naturalis in quem omne agens intendit secundum communem intentionem boni; sic in ordine supernaturali nemo aliquid exhibere potest nisi moveatur a Deo ut a principio ordinis supernaturalis, ad actum qui in ipsum Deum tendat ut in ultimum finem supernaturalem, scilicet ut *immediate in sua ipsa essentia* attingendum. Quaelibet enim res respectu ad perfectionem quae excedit naturam suam mere *passive* se habet et quasi materialiter, et hinc ad eam assequendam ex seipsa moveri nequit, sed indiget motione virtutis superioris. Atqui dispositio positiva, seu quaecumque praeparatio activa ad gratiam est motus supernaturalis. Ergo nequit fieri ab homine sine gratiae Dei auxilio (3).

c) Hoc ipsum ex eo confirmatur, quod (ut loquitur S. Thomas) anima nostra in ordine ad finem supernatu-

---

(1) *Ad Simplic., I,* q. 2, n. 22, PL 40, 127, cf. *De pecc. merit. et remiss., I,* c. 22 etc.

(2) Cf. C. G. III, c. 150.

(3) Hic., a. 6 et q. 114, c. 5, C. G. l. c. ubi sic arguit: « Quaelibe res ad id quod supra ipsam est, *materialiter* se habet. Materia autem non

ralem operatur sub Deo *quasi agens instrumentale* sub principali agente. Iam vero agens instrumentale non disponit ad perfectionem inducendam a principali agente, nisi secundum quod agit ex virtute principalis agentis. Hinc non potest anima se praeparare ad suscipiendum effectum divini auxilii, nisi secundum quod agit ex virtute divina (1).

IV. Probatur quarta pars: — *Honesta vita bonique mores naturales concipi possunt tamquam aliqualis dispositio negativa ad assensum gratiae, quae a Deo ex mera sua liberalitate conceditur.*

Sane, principium illud quod iure assumitur, tanquam fundamentale in doctrina *de elevatione creaturae rationalis ad ordinem supernaturalem*, idest: *Nullam esse proportionem inter naturam et ordinem supernaturalem:* intelligi utique debet ad exclusionem proportionis cuiuslibet propriae dictae, scilicet vel *entitativae, vel exigitivae* sive iuridicae; sed non ita tamen ampliandum est ut vel ipsa *capacitas radicalis*, seu *receptivitas* passiva negari videatur creaturae

---

movet seipsam ad suam perfectionem, sed oportet quod ab alio moveatur. Homo igitur non movet seipsum ad hoc quod adipiscatur divinum auxilium, quod supra ipsum est, sed potius ad hoc adipiscendum a Deo movetur. Motio autem moventis praecedit motum mobilis ratione et causa. Non igitur propter hoc datur nobis auxilium divinum quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio praevenimur ».

(1) Cf. C. G, l. c. et *De Verit.* q. 24, a. 5, ubi etiam ex eo arguit impossibilem esse quancumque praeparationem ad gratiam, quia *ordo gratiae* a nobis naturaliter cognosci nequit: « Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens praeparatio ad gratiam, sicut nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem peccati; sed oportet esse aliquem determinatum modum. Qui quidem modus homini notus esse non potest, *cum ipsum donum gratiae cognitionem hominis excedat;* non enim potest sciri modus praeparationis ad formam, nisi forma ipsa cognoscatur. Quandocumque autem ad aliquid faciendum requiritur aliquis certus modus operationis ignotus operanti, operans indiget gubernante et dirigente ».

rationali, qua ipsa fieri possit, Deo volente et agente, subiectum formae supernaturalis. Haec radicalis capacitas ad recipiendam formam supernaturalem, qua omnino carent creaturae irrationales, fluit ab ipsa essentia naturae intellectualis et fundat in creatura rationali aliqualem proportionem, merae *habitudinis*, ad ipsam formam suscipiendam.

Iam vero, ex hoc sponte consequitur admitti posse in creatura rationali facultatem evolvendi accidentaliter per bonum liberi arbitrii usum hanc *radicalem* capacitatem, quae est mera aptitudo passiva ad recipiendam gratiam *removendo obstacula,* quae sunt ex sua natura positive opposita gratiae, et quae impediunt faciliorem assensum ad ipsam. Talis praeparatio vel potius evolutio naturalis capacitatis est tamen mere *negativa,* et nullum ius vel *proportionem entitativam* seu positivam ad gratiam affert sed se habet *mere passive* ut removens impedimenta, quae hominis voluntatem minus pronam reddunt *ad assentiendum* dulci motioni divinae gratiae. Sic nulla derivat in arbore agresti ex praecisione ramorum exigentia ut illi hoc vel illud fructiferum germen inseratur, sed si germen inseritur facilius fructus dabit: sic ager excultus non dicit positivam exigentiam huius vel illius seminis, et est de se absolute incapax ad ullum fructum ferendum; attamen si semen illi committitur, facilius hoc evolvetur et uberiores feret fructus, quam si agro committatur inculto. Hanc ipsam praedispositionem negativam spectasse videntur quidam Patres Graeci, praesertim Iustinus Martyr, et Clemens Alex. dum philosophiam socraticam veluti praeparationem, vel *poedagogium,* ex divina Providentia praeordinatam docent pro Graecis ad fidem Christi suscipiendam; nec alio sensu communiter dicimus incultarum gentium faciliorem ad fidem accessum reddi, si feritate demissa, politiores eae atque humaniores mores induant. Non profecto putamus

aliquam meriti rationem vel ullam intrinsecam relationem vel *proportionem entitativam utcumque remotam ad fidem* his politioribus vitae moribus inesse, sed hos spectamus ut substratum passivum, quo facilior redditur assensus ad gratiam, si hanc Deus ex sua mera liberalitate largitur. Inspecto itaque simplici valore intrinseco honestatis naturalis posset Deus, salva tum sua *iustitia* tum etiam *bonitate*, gratiam supernaturalem, ad quam illa nullam positivam proportionem seu connexionem habet, homini denegare.

V. Probatur quinta pars: — *Boni mores nequeunt haberi tanquam conditio, etsi extrinseca, cui gratia a Deo infallibiter conferatur. Hinc axioma:* « quod facienti in se est Deus non denegat gratiam » *de eo qui id facit ex gratiae auxilio intelligendum est.*

Hoc statuimus contra *Molina,* qui, ut diximus, *infallibilem nexum* inter honestam vitam et primam gratiam derivat non quidem ex intrinseca operis naturaliter honesti dignitate, sed ab extrinseco idest *ex pacto* inter Deum et Christum inito, quo se Deus obligaverit ad conferenda auxilia supernaturalia et primam gratiam fidei his qui viribus naturae et auxilio mere naturali adiuti, fecerint quod in se est, nullumque obicem gratiae conferendae posuerint per transgressionem praeceptorum naturalium (1).

---

(1) Clerus gallicanus in comitiis generalibus ann. 1700, sententiam Molinae his duabus propositionibus exponit: 1° axioma illud theologicum: *facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*, non solum verissimum est atque doctrinae conciliorum ac Patrum maxime consentaneum, verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solum facienti quod in se viribus gratiae, sed etiam illi qui cum non habeat gratiam, facit quod in se est ex viribus naturae; 2° obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod in se est viribus naturae, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex nullo merito sive condigno sive congruo, quod insit illis operibus in ordine ad gratiam, sed *ex pacto* inter Christum fideiussorem nostrum et Patrem inito ad gratiam hominibus

Hanc sententiam non admodum consonam censemus cum doctrina fidei circa perfectam primae gratiae gratuitatem.

1° Nullum in SS. Litteris vel in traditione vestigium habetur *huius pacti* inter Deum et Christum fideiussorem. Quin imo contrarium semper praedicatur; nempe: hominem *sine gratia Christi praeveniente* nihil valere in ordine ad salutem.

2° Nequit tanquam probabilis supponi hypothesis, iuxta quam Deus legem ferat, qua *ipsa ratio gratiae* destruatur. Posita enim ea lege, gratia daretur *ex operibus*, et sic non esset iam gratia: item gratia *praeveniretur* a libero arbitrio; dum iuxta solemnem Ecclesiae doctrinam semper et de absoluta necessitate liberum arbitrium *praeveniri* debet a gratia. Hinc, in hac hypothesi, et *priores partes*, saltem in quibusdam casibus, darentur homini in causa salutis; et homo poneret id quo se discerneret a non vocatis ad gratiam.

---

conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut positivam conditionem ». Hanc doctrinam Clerus gallicanus hac censura notat: « Hae duae propositiones, qua parte causam discernendi inter iustos et non iustos in opera naturalia referunt, semipelagianismum instaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum et Christum asseritur commentitium est, temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed adversante Scriptura et SS. Patrum traditione prolatum ».

Haec quidem censura plus aequo forte severior videtur. Assertores enim illius doctrinae concedunt nullam esse proportionem entitativam inter naturam et gratiam, et hoc tantum adsumunt, gratiam conferri bonis operibus tamquam *dispositioni negativae* (seu remotioni obicis positivi) ex libera Dei lege dandi gratiam sub tali conditione ob intercessionem Christi. Attamen, etiam sub hac mitiori forma proposita, haec hypothesis parum consentanea gratuitati gratiae, qualis ex doctrina fidei constat, facile apparet; nec satis recedere videtur a semipelagianismi confiniis. Id quod maxime displicet in hac sententia, est utique *nexus infallibilis*, qui, ut minus dicam, inter bonos mores et primae gratiae collationem, omnino arbitrarie ex pacto Dei cum Christo inducitur. Si *quaecumque ex parte Dei obligatio auferatur*, et

3° Nec iuvat etiam mitius hanc hypothesim proponere, et *excluso pacto* ex quo obligatio ex fidelitate ex parte Dei inducitur, asserere bona opera naturalia esse *simplicem terminum extrinsecum, aut conditionem, aut occasionem, aut regulam* iuxta quam a Deo gratia infallibiliter concedatur ex sua benevolentia: hoc etiam admitti nequit: nam semper etiam in hoc casu manet suppositum: *gratiam conferri infallibiliter aliquo intuitu* operum naturalium; id quod est omnino contra conceptum gratiae.

VI. Confirmatur *axioma illud:* « facienti quod in se est Deus non denegat gratiam; » *de faciente tantum ex gratiae auxilio exponendum esse.*

1° Hoc celebre effatum quod communiter a theologis scholasticis receptum est, iam occurrit apud SS. Patres, non solum *aequivalenter* in eo quod asserant *Deum non deesse* ei, qui *sibi non sit infensus,* sed etiam conceptis verbis. Sic *Isidorus Pelusiota* (abbas monasterii Pelusii in

---

hinc quaevis connexio *infalliblis* ad gratiam expungatur, vero quoddam et aequo sensu dici poterit: Deum, *qui non deserit, nisi deseratur, ex bonitatis suae dulcedine bonam voluntatem naturalem per sua auxilia iuvare.* Certe, hoc saltem sensu, hanc sententiam proponit *S. Franciscus Salesius,* scribens: « Encor que par la seule inclination naturelle nous ne poussions pas pervenir au bonheur d'aimer Dieu, comme il faut, si est ce que, si nous l'employions fidellement, la douceur de la piété divine, nous donnerait quelque secours, par le moyen duquel nous pourrions passer plus avant; que si nous sècondions ce premier secours, la bonté paternelle de Dieu nous en fournirait un autre plus grand, et nous conduirait de bien en mieux, avec toute suavité, jusques au souverain amour auquel notre inclination nous pousse: puisque c'est chôse certaine qu'à celui, qui est fidèle en peu de chôse et *qui fait ce qui est en son pouvoir, la benignité divine ne dénie jamais son assistence pour l'avancer de plus en plus.* L'inclination donques d'aimer Dieu sur toutes chôses Dieu; que nous avons par nature, ne demeura pas pour néant dans nos cœurs: car quant à Dieu, il s'en sert comme d'un anse pour nous pouvoir plus suavement prendre, et retirer à soi... et quant à nous elle nous est indice et mémorial de notre premier Principe et Créateur, etc. — *Traité de l'amour de Dieu,* l. I, cap. 18.

Aegypto, ineunte saec. v) scribit: « Virtuti operam navanti aequum est divinum etiam implorare, ut opem Deus ferat, auxilium. At, qui eius nullam ducit rationem, neque invocat Numen, illud propitium non experietur. *Qui enim omnia, quoad eius fieri potest, implet, benigne et Deus annuit* » (1). Eodem sensu *S. Ioan. Chrysost.* ait: « Ei qui desiderio et studio plenus est, dabuntur a Deo omnia; ei vero, qui his vacuus est, *nec ea quae penes se sunt facit, neque ea, quae a Deo sunt dabuntur illi* » (2). Quin imo etiam in SS. Litteris huius dicti vestigium invenire licet, dum dicitur: « *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis* » (3). Vel: « *Convertimini ad me... et convertar ad vos* (4).

2° Huius axiomatis valorem, de quo tamdiu disputatum est, iuxta explicationem Durandi et Gabrielis Biel *ad facientem quod in se viribus naturae* extendunt plures theologi (5) praesertim post Molina et Suarez, qui tamen omnium forte primi opera bona naturali virtute perfecta tanquam *dispositionem negativam* respicientes, infallibilem nexum inter ea et primae gratiae collationem ex pacto Dei Patris cum Christo Redemptore induxerunt. Hi cohaerenter affirmant non omnibus *conferri*, sed tantum *afferri* primam gratiam supernaturalem, quatenus Deus paratus est singulis illam dare, si viribus naturae id quod in se est faciant (6).

---

(1) L. 5 ep. 459, PG. 78, 1594.

(2) Hom. 45 in MATTH., n. 1. PG. 58,472 - Affinia occurrunt apud HILARIUM, BASILIUM, AMBROSIUM etc. - Cf. MAFFEI, *Istoria teolog.* etc., l. c.

(3) MATH. VII, 7.

(4) ZACH. I, 4.

(5) Cf. PALMIERI, thes. 34, 5, ubi allatis testimoniis demonstrat falso affirmare Lessium veteres scholasticos, paucis exceptis, explicationem Durandi secutos esse. Cf. etiam TANNER, I. II, disp. 62, 3, qui amplissime de veterum hac in re opinione disserit.

(6) Pro hac sententia consuli possunt praeter MOLINA, SUAREZ, LESSIUM, RIPALDA iam citatos, PALLAVICINUS (apud HAUNOLDUM,

Verumtamen contraria explicatio de *faciente quod in se est ope gratiae*, classica remansit in schola S. Thomae, et a pluribus etiam theologis *congruismo* addictis sincere defenditur. Hi dicunt gratiam *supernaturalem*, ex meritis Christi omnibus gratuite conferri ut facere moraliter possint quod in se est. Hanc alteram sententiam omnino praeponendam esse censemus (1). Sane :

a) Prior axiomatis explicatio, ut iam diximus, absolutae gratuitati gratiae primae, qualem ex fide novimus, vix non repugnat. Licet enim eius assertores contendant dari quidem gratiam *facienti* quod est in se, non autem *quia* facit quod in se est; semper tamen verum remanet, *conatum naturalem* ad honestam vitam esse *conditionem*, qua posita, *infallibiliter* gratia datur, et qua deficiente, saltem lege ordinaria, non confertur. Hinc tandem aliquando *ratio discretionis* in re salutis *radicaliter* et ex communi providentia ab operibus naturalibus repetenda est.

b) E contra, altera sententia asserens Deum omnibus gratias supernaturales conferre quibus facere possint quod in se est, non solum gratuitati gratiae admodum prospicit, sed et magis commendat divinam bonitatem, quae ad gratiam suam largiendam non labilis voluntatis humanae nisum exspectat, sed hunc nisum praevenit, praebens auxilia supernaturalia, quibus homo iuvetur ad legem naturalem implendam, eisque fideliter cooperans disponetur sensim ad gratiam fidei et iustificationis obtinendam. Hoc sensu

---

Theol. spec., l. II, tr. 3, c. 2, contr. 5); CERCIÀ. *De gratia,* vol. II, sect. 3, lect. 3 et sqq. MAZZELLA, n. 848 sqq ; JUNGMANN, n. 212 sqq.; PESCH, n. 210 sqq.

(1) Cf. SALMATICENSES. *De grat.*, disp. 3, n. 156 sqq.; BILLUART, disp. 3, a. 7; VASQUEZ, in I, disp. 89 et 91, c. 10-11; GOTTI, *De grat.*, q. I, dub. 2 § 2; - HEINRICH, *Von der Gnade Christi*, § 421, III, 2; SATOLLI, *De gr.*, q. I, a. 7; PALMIERI, l. c.; SCHEEBEN, vol. III, n. 946 sqq.; EGGER, *De gr.*, n. 353; SCHIFFINI, *De gr.*, n. 313 sqq.

axioma exponit atque adhibet S. Thomas: « Dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Ioa. XV, 5: *Sine me nihil potestis facere.* Et ideo, cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo » (1). Idem docet S. Bonaventura scribens: « Ad illud quod obiicitur, quod sufficienter se disponit (ad gratiam gratum facientem) qui facit quod in se est, dicendum, quod facere quod in se est, hoc potest dupliciter intelligi: uno modo *positive* quia facit *aliquid ordinatum ad gratiam* et tantum facit quantum potest; *et hoc modo veritatem habet sermo praedictus.* Alio modo potest intelligi *privative,* ut dicatur facere quod in se est, quia facit quod potest, quamvis illud non sit ordinatum ad gratiae susceptionem, et hoc modo *liberum arbitrium gratia destitutum potest*

(1) Hic art. 6 ad 2, Cf. q. 112, a. 3 ad 1. *De verit.*, q. 24, a. 15 etc. — In II sent. dist. 5, q. 2, a. 4, et praesertim ibid. dist. 28, q. 1, a. 4 S. Thomas aliter sensisse videtur. Hinc CAIETANUS (In I, II, q. 109, a. 7) fatetur Aquinatem seniorem, mutasse sententiam et dicta sua reduxisse (in summ. theol.) ad bonum sensum. Sed tamen BILLUART (*De gr.*, dissert. 3, art. 7, obj. 3) aliique ostendere nituntur in his locis Angelicum aliis quidem verbis, sed non alio sensu loqui, dum necessitatem tantum alterius cuiusque *doni gratiae habitualis*, quod gratiam sanctificantem praecedat excludere ipse velit, non autem necessitatem *auxilii, seu motionis gratiae actualis.* Quidquid sit, nemo puto, negare poterit ea quae exhibentur in citato art. 4, q. 3, dist. 28, satis evidenter ostendere S. Doctoris hac in re sententiam non adhuc fuisse mature conceptam et praecise determinatam. Si enim hinc necessitatem *luminis habitualis* praevenientis gratiam formaliter sanctificantem excludit, asserens sufficere auxilium Dei actuale; inde tamen docet praeparationem ad gratiam fieri posse per actus non excedentes proportionem naturae et *ex solo* libero arbitrio; nec aliud auxilium videtur exigere quam externum providentiae divinae, vel communem illam motionem Dei internam, sine qua nullum bonum effici potest. « Praeparatio (scribit) quae est ad gratiam non est per actus, qui sint ipsi gratiae aequandi aequalitate proportionis sicut meritum aequatur praemio, et ideo non oportet ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam praeparat, sint naturam humanam exedentes... unde non exigitur ad hoc

facere quod in se est, et sic praedictus sermo non habet veritatem » (1).

Scholion. — *Recapitulatio quaestionis.* — Controversia de connexione inter dispositionem *negativam* et gratiam conferendam non tanti, forte, momenti apparet, si haec doctrinae capita certa rataque teneantur:

1° Nullam proportionem entitativam adesse inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, ex qua ius aliquod, vel ulla unquam exigentia ad gratiam oriri possit.

2° Nullam *positivam dispositionem* naturalem, licet remotam esse posse in homine ad gratiam formaliter sanctificantem recipiendam; quod S. Thomas semper et absolute docet, et explicitissime in hoc art. 6.

3° In Deo esse sinceram voluntatem salvandi omnes:

---

ut homo ad gratiam se praeparet, aliquid aliud lumen gratiae praecedens. Et ideo (concludit) dicimus quod ad gratiam gratum facientem habendam *ex solo libero arbitrio* se homo potest praeparare: faciendo enim quod in se est, gratiam a Deo consequitur. Hoc autem solum in nobis est quod in potestate liberi arbitrii constitutum est ». Ad secundam autem obiectionem, quae sumitur ex eo quod « *ut homo praeparetur ad gratiam petendum est a Deo* »; respondet: « Dicendum quod homo non potest se ad gratiam praeparare, *nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio*; et ideo rogandus est ut nos ad se convertat et etiam alios. Nec tamen oportet quod illud auxilium semper sit per *aliquem habitum infusum*: sed potest esse per multa, quae *exterius sunt salutis occasio, et per ipsum actum interiorem*, quem Deus causat in nobis «. — Haec omnia forte componi possunt si dicatur homini ad hoc ut faciat id quod in se est, scilicet, ut omne bonum naturae efficiat, *quod inspecta virtute physica* liberi arbitrii efficere posset, non esse quidem necessariam *gratiam habitualem* neque auxilium Dei entitative, seu *quoad substantiam* supernaturale, sed opus tamen esse et sufficere auxilium *quoad modum* supernaturale idest *gratiam* sanantem; quae *gratuito ob merita Christi* conceditur. Hinc ei qui hac medicinali et roborante gratia adiutus facit quod est in se, Deus altiora non denegabit auxilia, quibus actus salutares perficere valeat. Cf. ibid. dist. 28, q. I, a. 3 in corp. et ad 5.

(1) II sent. 28, a. 2, q. 1 ad 4. Cf. etiam *Brevil.* p. 5, c. 3.

hinc omnibus dari gratias actuales vere sufficientes, saltem *remote*, ad salutem.

4° Quandoque dari gratias abundatiores et congruentiores impie viventibus, quam iis qui naturali quadam honestate vitam degunt; Deus enim liberrimus est in suorum munerum distributione, *neque ab ulla extrinseca conditione* coarctari libera eius benevolentia potest.

5° Omnes homines *gratiae actuali assentire posse* per liberum arbitrium, et ita se disponere ad uberiora auxilia recipienda, vel ab *ea dissentire*.

6° Tamen eos, qui vitiis contra virtutes naturales magis sunt irretiti, maiorem difficultatem in assentiendo gratiae experiri, quam eos qui honeste vivunt. Hac ratione boni mores non quidem forent *praeparatio ad primam gratiam obtinendam*, sed subiectum *negative disponerent ad facilius assentiendum gratiae*, quae nemini denegatur.

Objectiones. — 1° Quod est proprium hominis, ex sua natura procedit. Atqui ex S. Script.: *Hominis est animam praeparare, et Domini gubernare linguam* (1). Ergo.

Resp. Dist. min.: Per liberum arbitrium *gratia adiutum*, *Conc.;* sine gratia, *Nego*. Sensus citati testimonii quod a Pelagianis passim obiiciebatur, est: necessarium esse novum auxilium ad exprimendum verbis efficacibus conceptum animo sermonem. Ita explicant Malvenda, Goldoni, Bossuet, Tirini, Maldonatus etc. — S. Augustinus exponit hoc modo: « Ideo scriptum est, *hominis est praeparare cor et a Domino responsio linguae,* quia homo praeparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor. In responsione autem linguae, idest in eo quod praeparato cordi lingua divina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est a Domino

(1) Prov. XVI. 1. In textu hebraico habetur: *Hominis sunt dispositiones cordis, et a Domino responsio linguae;* est adagium simile huic vulgari: *Homo proponit, Deus disponit* (Cf. Mariana hic).

Deo. « Hoc autem illustrat et probat adferens aliud testimonium simile. « *Dilata os tuum* et *ego implebo illud* (1): Homo enim aperit os, sed non sine gratia eius, qui dicit: *Domine labia mea aperies* etc. » (2).

2° Atqui sine gratia homo se potest praeparare ad gratiam. Deus enim facienti quod est in se dat gratiam. Sed illud dicitur esse in nobis, quod est in nostra potestate. Ergo et in nostra potestate ponere opera, quibus infallibiliter gratia datur.

Resp. Dist. mai: Ex gratiae adiutorio, Conc.; per vires naturales, Subdist.: quasi nexus infallibilis, vel aliqua *dispositio* sit inter opera naturalia et gratiam, *nego;* eo quod, cum Deus omnibus de necessariis ad finem provideat, facilius homo probus vocanti Deo respondeat, *Trans.* — Explicatio ex dictis (3).

3° Atqui bona opera naturalia sunt praeparatio positiva ad gratiam. Nam is positive se ad gratiam praeparat, qui magis dignus fit accipere gratiam: Sed magis dignus est, qui bona opera facit, quam qui graviora flagitia committit. Ergo.

Resp.: Nego min. — Cum enim nulla proportio sit inter bona opera naturalia et gratiam, nulla etiam potest esse dignitas illorum ad istam (4).

Articulus VII.

Utrum homo possit resurgere a peccato sine auxilio gratiae.

Praenotanda. — 1° Postquam S. Magister egit de gratiae necessitate in ordine ad *bonum*, pergit nunc loqui de eiusdem necessitate in ordine ad *malum* ut removeatur,

---

(1) Psal. LXXX, II.

(2) *Contra duas epistolas Pel.* l. II, c. 8 (Cf. Estium in hunc v.).

(3) Hic ad 2.

(4) Cf. Sylvium in hunc a. Concl. 3 ad 8.

vel caveatur. Removere autem malum, seu *resurgere a peccato* non idem est ac cessare ab actu peccaminoso: sed infert *reparationem et liberationem malorum*, quae per peccatum contrahuntur.

2° Resurrectio tamen a peccato in duplici momento considerari potest: idest vel prout est *perfecta liberatio,* a malis peccati per iustitiae et sanctitatis adoptionem; vel prout est *motus inchoatus* ad resurrectionem perfectam, quo impius salutariter dolere incipit de peccatis suis, et piis affectibus ad eorum remissionem a Deo obtinendam, et ad amicitiam Dei recuperandam se disponit. Haec duplicis resurrectionis *perfectae* seu *simpliciter dictae*, et *inchoatae* seu *secundum quid* distinctio inepte improbatur a Baio; *motus* enim ad finem, et finis *consecutio* realiter distinguuntur. Hinc iure damnata fuit haec propositio: « Ista distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere iustificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia est et Scripturis minime congruens » (1).

3° Dogma fidei est ad utramque resurrectionem a peccato requiri gratiam Dei. Conc. Araus. II, ait: « Natura humana... cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit? » (2) Et Conc. Trid. definit: « Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo » a. s. (3). Etiam motus seu dispositio et praeparatio ad iusti-

(1) Prop. 64, Denz, 944.
(2) Can. 19, Denz. 162.
(3) Sess. 6. can. 1, cf. et can. 3.

ficationem gratiae excitanti et adiuvanti, ex eodem Concilio, tribuenda est: « Disponuntur autem (impii adulti) ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, libere moventur in Deum... illumque tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt (1). Et iterum: « Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, *excitante Deo*, per Poenitentiae Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint » (2).

CONCLUSIO

Nemo potest sine gratiae auxilio resurgere a peccato.

Probatur: — Resurrectio, ut diximus, vel est *inchoata*, vel est *perfecta*. Atqui ad primam necessaria est specialis gratia actualis, ad alteram vero requiritur insuper donum gratiae habitualis. Ergo.

1° *Prob. primum membrum minoris:* — Ad resurrectionem inchoandam. seu ad motum quo peccator se disponit ad iustitiam recuperandam plures *actus salutares* requiruntur, idest actus fidei, timoris, spei, dilectionis Dei initialis, detestationis in peccatum, et propositi servandi Dei praecepta. Hi vero actus, ut vere salutares sint, ex *motivo supernaturali* concipi et perfici debent. Atqui ad omnem actum salutarem et supernaturalem requiritur gratiae auxilium. Ergo.

2° *Prob. secundum membrum.* — Ratione D. Thomae: Triplex per peccatum malum ab homine incurritur: *reatus maculae; corruptio boni naturalis; et reatus poenae.* Atqui ut haec tria mala reparentur necessaria est tum gratia *actualis*, tum *habitualis*. Ergo. — Prob. *min.*: *a*) Macula quae

(1) Sess. VI, cap. 6.
(2) Ibid. cap. 14.

contrahitur per *actum* graviter peccaminosum, in qua proprie consistit ratio formalis *peccati habitualis*, nihil aliud est, quam *aversio* a Deo prout est finis *supernaturalis* et *amissio* decoris gratiae per quam anima nostra Deo assimilatur et consors fit divinae naturae. Ergo haec macula, eo ipso quod formaliter consistit in *privatione* gratiae sanctificantis, non aliter auferri potest quam per *gratiam habitualem* (1).

b) Corruptio boni naturalis est deordinatio voluntatis a Deo, et inde consequens debilitas ipsius voluntatis ad bonum. Atqui haec tolli nequeunt nisi per gratiam, qua voluntas roboretur et concupiscentia plene vincatur. Licet enim peccator quasdam actiones moraliter bonas viribus naturae perficere possit, non tamen totam legem adimplere potest neque Deum auctorem naturae diligere amore perfecto. Et tamen haec omnia requiruntur ut voluntas in Deum ordinetur.

c) *Reatus* demum *poenae* aeternae cum necessario consequatur reatum maculae, tolli nequit nisi deleatur macula per infusionem gratiae (2).

Objectiones. — 1° Quod praeexigitur ad gratiam fit sine gratia. Atqui resurgere a peccato praeexigitur ad gratiam. Ergo.

Resp. dist. mai.: Quod praeexigitur ad gratiam *habitualem*, fit sine gratia *habituali*, Conc.; fit sine gratia *actuali*, *Nego*. *Contr. min.*: praeexigitur ad infusionem gratiae habitualis in adultis resurrectio *inchoata* per actus liberi arbitrii sub influxu motionis Dei supernaturalis, *Conc.*; praeexigitur resurrectio *perfecta*, *Nego*. — Resurrectionis perfectae *causa formalis* est infusio gratiae habitualis. Attamen, ut diximus, in adultis inchoatur resur-

(1) De causa formali iustificationis plura infra, q. 113, a. 2, etc.
(2) Cf. etiam C. G. III, c. 158.

rectio a peccato per motus liberi arbitrii, quibus ad formam iustitiae recipiendam disponuntur. Hi vero actus effici nequeunt nisi ex gratiae Dei auxilio (1).

2° Atqui inchoata resurrectio fieri potest sine gratia actuali. Ergo. Sane: peccatum est animae infirmitas in qua illa, licet a bono supernaturali aversa, retinet tamen principium vitae, hoc est lumen intellectuale et libertatem arbitrii. Atqui infirmus ex virtute suae naturae, quandoque sanitatem recuperat sine medicina. Ergo.

Resp. dist. mai: Peccatum est *tantum infirmitas respectu* boni naturalis, *Conc.;* respectu boni *supernaturalis, Nego,* etc. — Peccatum comparatur infirmitati relate ad bonum ordinis naturalis, quia per ipsum, lumen intellectuale quod est principium vitae moralis, non exstinguitur, sed tantum debilitatur. At vero respectu gratiae vivificantis, peccatum non est simplex infirmitas, sed *mors,* quia ratio naturalis per se nequit esse principium actus supernaturaliter vitalis (2).

3° Atqui ratio est principium sufficiens sanitatis supernaturalis. Ergo. Revera: facilius est destruere, quam construere. Atqui ratio est sufficiens principium peccati. Ergo principium sufficiens erit etiam destructionis peccati.

Resp. dist. mai.: Si destructio sit mera destructio neque implicet novam aedificationem. *Conc.;* secus, *Nego.* etc. — Qui peccat destruit potius ordinem gratiae praeexistentem et ordinem rationis et voluntatis: e contra peccatum non aliter destruitur, quam per renovationem gratiae habitualis, cuius principium effectivum nequit esse ratio naturalis.

4° Atqui, ratio est principium effectivum destructionis peccati. Ergo. — Quaelibet enim potentia redire potest

---

(1) Hic ad 1.
(2) Hic ad 2.

ad actum suae nature convenientem, a qua voluntarie discessit. Atqui peccatum est contra naturam. Ergo homo per solam rationem naturalem potest peccatum relinquere et ad statum gratiae redire.

Resp. dist. mai.: Si potentia sit integra, et actus sit illi proportionatus, *Conc.;* secus, *Nego. Contr. min.:* peccatum est contra naturam, quam debilitat in ordine naturali, et *mortuam* efficit respectu *boni supernaturalis, Conc.;* eo sensu, quod eam tantum *privat bono naturali, Nego,* etc. (1).

Articulus VIII.

Utrum homo possit sine gratia non peccare.

Praenotanda. — 1° *Intentio questionis.* — Non inquirimus utrum homo sine gratia debeat semper peccare; iam enim contra Baium et Jansenium superius probatum est, hominem quandoque per seipsum bonum aliquod ordinis naturalis agere posse, neque semper operari ex pravo fine et affectu; quod fide omnino constat: sed petimus an possit homo sine gratia ab actibus peccaminosis se abstinere, saltem ad *diuturnum tempus;* aliis verbis, utrum quandoque in plus minusve diuturniori vita humana aliqua gravis tentatio insurgat, quam homo suis viribus moralibus vincere nequeat.

2° *Error Pelagii.* — Unus ex praecipuis pelagianismi erroribus huc consistebat, quod homini etiam in praesenti conditione, plena facultas concederetur vitandi per naturalem vim liberi arbitrii non solum omnia peccata mortalia, sed etiam venalia (2).

---

(1) Hic ad 3.

(2) Cf. August. *De Peccatorum remissione et merit.*, l. II, c. 6 sqq. PL 44, 155; *De natura et gratia,* c. 60 sqq. PL 44, 281 sqq., etc.

3° *Doctrina fidei.* — Contra inanem Pelagii iactantiam Ecclesia duo definivit: *a*) Nullum hominem utcumque iustum, posse *sine speciali Dei privilegio* omnia peccata *venialia* vitare; *b*) Neminem, etsi iustum, sine gratia Redemptoris omnes graves tentationes, quae per diuturnum vitae tempus contra Dei praecepta insurgunt, *salutariter*, hoc est eo modo qui ad salutem conferat, et quo adepta iustitia conservetur, vincere posse. — Ex hac autem Ecclesiae doctrina consequitur, ut supra in art. 4 probatum est, gratiam Christi *pro homine lapso* requiri non solum ad victoriam *salutarem*, sed etiam ad graves tentationes contra *legem naturalem moraliter* superandas. — Quae autem gratia ad hoc requiratur non explicite et directe definitum est.

4° *Variae sententiae circa rationem gratiae quae exigitur ad cavenda peccata gravia contra legem naturae.* — Alii putant sufficere auxilium *quoad modum* tantum supernaturale, idest gratiam *sanantem* naturae infirmitatem per peccatum originis contractam (1). Plerique vero exigunt et auxilium *entitative* supernaturale, et etiam influxum gratiae *habitualis* (2). Huic alteri sententiae, quam S. Doctor diserte docet (3), et quae magis consentanea apparet doctrinae ab Ecclesia in causa pelagiana propositae, omnino adhaeremus.

5° Hinc, duplici conclusione agimus: *a*) De auxilio speciali quod ad praecavenda omnia peccata venialia requiritur; *b*) De natura gratiae, quae homini lapso necessaria est ad vitanda peccata gravia contra legem naturalem.

---

(1) Cf. VASQUEZ, disp. 193, c. 3.

(2) Cf. GONET, disp. 1 a 6.

(3) Hic art. 8. Cf. SYLVIUM et C. G, III, c. 161; praesertim vero *De Verit.*, q. 24 a 12.

CONCLUSIO I.

Homo etiam iustus non potest in praesenti statu per diuturnum tempus vitare omnia peccata venialia, sine speciali Dei privilegio, quod Deiparae Virgini concessum fuit, et quidem uni.

Status quaestionis. — 1° Conclusio est contra Pelagianos, qui *inflati utres*, ut eos passim appellat S. Augustinus, in multis iustis perfectam ἀναμαρτησίαν, καὶ ἀπάθειαν idest inerrantiam et exemptionem a passionibus inveniri asserebant; item contra theoriam rationalisticam absolutae perfectibilitatis moralis in homine, et quidem ex naturae viribus. Doctrina catholica negat ex communibus auxiliis, quae iustis conceduntur sequi hanc absolutam impeccabilitatem, et *singulari privilegio* gratiae adscribit exemptionem a quovis veniali naevo.

2° Peccatum veniale a mortali *formaliter differt*. Hoc enim directe et perfecte opponitur legi Dei cum sit *factum*, vel *dictum*, vel *concupitum* contra *finem* legis aeternae qui est caritas, quam destruit; seu sit aversio a Deo ultimo fine, et conversio ed creaturas tanquam finem ultimum. E contra peccatum veniale non perfecte opponitur legi divinae, nec finem legis evertit, sed *imperfecte* et *secundum quid* tantum, cum sit deordinatio circa *media*, non necessario cum fine connexa. Hinc divisio peccati in mortale et veniale non est *univoca* sed *analogica*, analogia *proportionalitatis;* quia inaequaliter de ratione peccati participant culpa mortalis et venialis (1).

---

(1) Cf. *Sum. Theol.* I, II, q. 88 a 1. « Dicendum (ait in responsione ad I) quod divisio peccati in veniale et mortale, non est divisio generis in species, quae aequaliter participant rationem generis; sed *analogi* in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius: et ideo per-

3° Peccatum veniale esse potest vel *perfecte deliberatum,* si peccator cognoscit id quod ab ipso fit vel omittitur esse deordinatum, licet ex genere suo, vel ex obiecto sit leve (ut v. g. mendacia iocosa, vel parvula furta etc.); vel *semi-deliberatum,* idest *subreptitium,* cum is qui leviter peccat non plene advertit actum, aut eius malitiam, sed tantum imperfecte sive in confuso (ut semi-dormiens, vel distractus, vel repentinis motibus abreptus etc.). — Iamvero licet communiter theologi doceant impotentiam vitandi peccata absque singulari Dei privilegio extendi etiam ad peccata deliberata, tamen alii eam coarctant ad venialia subreptitia, seu, ut ait Augustinus ad omne « *quidquid peccati ex humana infirmitate subrepit* » (1). De cetero etsi maius gratiae privilegium requiratur ad praecavenda omnia peccata etiam subreptitia, nemo tamen negabit extraordinarium gratiae auxilium esse necessarium ut vel ipsa venialia deliberata vitentur.

4° *Privilegium est exemptio a lege ordinaria onerosa,* et est *speciale,* si *raro* conceditur. In conclusione itaque asserimus Deum statuisse legem relinquendi etiam iustis concupiscentiae *fomitem,* ex quo *moralis* (non physica) impossibilitas oritur praecavendi *collective* omnes vel leves et *semi-deliberatas* culpas absque singulari admodum gratia, quam ipse nec tenetur iustis concedere, nec de facto concedit, eo fine ut ex hac extrinseca naturae debilitate, et gratiae necessitas magis appareat, et ipsius iusti humilitas foveatur.

5° Impotentia de qua loquimur est *antecedens* simul

---

fecta ratio peccati, quam Augustinus ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis ».

(1) *Adv. duas ep. Pel.* III, 25 PL 44, 599. Cf. Durandum II dist. 28, q. 3.

et *consequens*. - *Antecedens* in quantum provenit ex *maxima difficultate*, fomite remanente, vitandi omnia venialia, ex *defectu fortitudinis*, ex *inconstantia mentis*, etc. Est *consequens* prout aliquam negligentiam, saltem semi-deliberatam ex parte iusti includit, quae in eo est, vel quod gratiae communi et sufficienti *modo debito* iustus non cooperatur, vel quod non satis ferventer uberiorem gratiam postulat. Quatenus *antecedens*, est *indeterminata* et respicit *collective* omnia peccata : prout *consequens*, est *determinata* eo ipso quod hic et nunc aliqualem negligentiam respectu ad hunc actum continet. Sic homo *loquens*, vel *scribens* per diuturnum tempus, errabit sane quandoque contra perfectam loquendi aut scribendi legem ; sed omnes tamen errores *singulos* vitare posset, licet omnes *collective sumptos* cavere moraliter non possit. — Aliis verbis ; quoad singulos actus venialiter peccaminosos, si debita advertentia atque vigilantia adhibeatur, adest facultas eos vitandi, sed deest potentia *perpetuae vigilantiae et advertentiae* quoad eorum *collectionem* (1).

I. Probatur prima pars : — Requiri ad cavenda omnia venialia peccata singulare gratiae privilegium, definitum est a Conc. Trid. : « Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, a. s. » (2). Ergo iuxta hanc definitionem si quis, post adeptum usum rationis, aliquandiu vivat ita ut de tota vita sua aliqualiter loqui possimus, certo venialiter peccabit (3).

---

(1) Cf. Gotti. *De gr.*, quaest. I, dub. 10, § 2, n. 14.

(2) Sess. VI, can. 23.

(3) Ex hoc non excluditur posse hominem iustum per aliquod parvum vitae tempus omnia peccata venialia vitare ex communi auxilio gratiae. Cf. Gonet, l. c. a. 7, concl. 2.

1º *Ex S. Scriptura.* — Duo sunt testimonia classica: *a*) In ep. Iacobi dicitur: *In multis offendimus omnes.* Atqui non omnes *graviter* offendimus, ergo venialiter saltem. Hoc autem testimonium etiam iustos afficere vel ex eo patet, quod et *sibi* Apostolus illud applicet; et ceteroquin sermo est de iis, qui magisterium fidei appetebant: *Nolite* (ait) *plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis: In multis enim offendimus omnes* (1); quasi dicat; sufficiant vobis veniales culpae in quas omnes incidimus, quin occasionem frequentius et gravius peccandi ultro inquiramus (2). Hoc testimonio utitur Conc. Trid. Sess. 6, c. 16.

b) Aliud habetur in oratione dominica: « *Et dimitte nobis debita nostra* » (3); qua oratione et iustissimos viros uti oportere declarat Syn. Milev. II. « Placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: dimitte *mihi* debita mea, sed: dimitte *nobis* debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, a. s. » (4). Ex hoc etiam testimonio arguit Conc. Trid. Sess. 6, cap. 11.

Post haec, aliis etiam saepe utuntur Patres, quae potissimum *ex sensu traditionali* ad hanc veritatem adferri possunt. Ex his frequentius inculcantur:

a) Ex Eccl.: *Non enim est iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet* (5). Huic gemina sunt quae protulit Salomon, Deum deprecans in dedicatione templi: *Quod si*

(1) C. III, v. 1-2.
(2) Cf. Menocchi, in hunc v.
(3) Math. VI, 12.
(4) Can. 7, Denz., 71.
(5) VII, 21.

peccaverint tibi, - non est enim homo, qui non peccet - et iratus tradideris eos inimicis suis, etc. (1). Haec quidem testimonia Pelagianis saepe Patres opponunt (2); attamen videntur illa respicere peccata *gravia.* Ecclesiastes enim statim subdit: *Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixeris aliis* (3). Item Salomon alludit ad ea peccata, quibus *irascitur* Deus. Itaque si in his sermo sit de peccatis gravibus, cum deinde constet non omnes iustos graviter peccare, nequeunt haec intelligi iuxta absolutam universalitatem. Legitime tamen a testimonio Ecclesiastis argui potest *a fortiori* nullum inveniri iustum qui vel leviter non peccat, cum ut plurimum, homines etiam iusti - a gravi noxa immunes non sint (4).

b) Ex Prov.: *Septies* (non *in die*, quae vox et in textu hebr., et in versione Septuag., et in Vulgata haud legitur) *cadet iustus et resurget; impii autem corruunt in malum* (5). Sed heic non est sermo de *peccatis* in quae labitur iustus, sed de infortuniis et aerumnis, quibus iustum affligi Deus permittit ad tempus, ipsum ocius, serius, incolumitati restituturus (6).

c) Demum saepissime ab Augustino adfertur celebre testimonium ex ep. I. Ioa.: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non*

(1) III Reg. VIII, 46. II Paral. VI, 36.
(2) Cf. MILEV. II, c. 7.
(3) Ibid. 23.
(4) Cf. tamen MALVENDA et MENOCCHI in hunc. v. — MARIANA sic explicat: « Non est enim homo iustus; scilicet ex procerum numero omnes errant et peccant; sic sapiens plus illis potest ». In v. nempe antecedente dicitur: « Sapientia confortavit sapientem; super decem principes civitatis ».
(5) XXIV, 16.
(6) Etiam AUGUSTINUS allegans hoc testimonium ait: « Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit ». *De Civ.* XI, 31, PL, 41, 345.

est (1). Et *iure* quidem: nam assertio adeo generalis est, ut vel ipse Apostolus dicere debeat se peccatum habere. Verumtamen exegetice loquendo videtur alludi heic ad iniquitates mundi, pro quibus redimendis sanguis Christi effusus est. In versiculo enim anteriori dicitur: *Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem* (κοινωνίαν) *habemus ad invicem, et sanguis Iesu Christi Filii eius emundat* (καθαρίζει) *nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus* etc. »

2° *Ex traditione.* — Augustinus testatur Ecclesiam statim ac novit pelagianam insaniam de iusti impeccantia exhorruisse: « Illud *tertium* (post negationem peccati originalis, et necessitatis gratiae) videamus, quod non minus omne Christi membrum et totum corpus eius exhorret, quia contendunt (Pelagiani) esse in hac vita, vel fuisse iustos nullum habentes omnino peccatum » (2). Et in omnibus fere libris quos contra Pelagianos scripsit, hunc errorem ex doctrina Ecclesiae confutat: « Multi (ait) baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia haec dicimus, adversum nos inflentur et disrumpantur insania... *Haec est fidei catholicae sanitas,* quam sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis haereticae vanitas et praesumptio spiritus » (3). Praesertim arguit ex oratione dominica: « In

(1) C. I, v. 8.

(2) *Adv. duas ep. Pelag.* IV, c. 10, n. 27 PL, 44, 629. Et antea S. Cyprianus allatis verbis ex Prov. XX, 9.: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato;* aliisque ex I Ioa,, I, 8, scribebat: « Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est; quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat non *deesse sanatis quaedam postmodum vulnera*, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria ». *De opere et eleemos.*, n. 3, PL, 4, 604.

(3) *Adv. duas ep. Pelag.*, PL, 44, 564. Cf. *De peccat. mer. et remiss.*, II, 6, PL, 44, 155 sqq. Ac praesertim in Epistola ad Eutropium et Paulum de perfectione iustitiae hominis, PL, 44, 291-318

hoc tam magno praelio (scribit) in quo vivit homo sub gratia, et cum bene pugnat adiutus, exsultat in Domino cum tremore: non desunt tamen etiam strenuis bellatoribus et operum carnis, quamvis invictis mortificatoribus, aliqua vulnera peccatorum, propter quae sananda quotidie veraciter dicant: Dimitte nobis debita nostra » (1).

3° *Ex ratione.* — Haec *moralis* impotentia vitandi omne veniale peccatum derivat ex *humana fragilitate, inducta* praesertim *a fomite,* qui in iustis quoque manet. « *Homo* (arguit hic S. Doctor) *non potest* (etiam in statu naturae sanatae) abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cuius motus *singulos* quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii, non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non potest esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos ». Hi subreptitii lapsus praecipue incidunt cum motus concupiscentiae repentine et contra meditationem adveniunt. « Etiam satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla » (2).

Scholion. — *Obiectio praecipua sumitur ex libertate quae requiritur, ut actio homini imputetur.* — Dicunt: Nullus peccat in iis quae vitare non potest. Sed homo non vitans peccata venialia, peccat. Ergo ea vitare potest. — *Resp. dist. mai.*: in iis quae vitare non potest nec *collective,* nec *divisim, Conc.; collective* tantum, *Nego. Conc. min.* et *subd. consequens:* peccata venialia homo iustus ex communi gratia vitare potest *divisim, Conc.; collective, Nego.* — Egregie S. Doctor: « Corruptio fomitis non impedit, quin

(1) *De Continentia*, n. 13, PL, 40. 357. Cf. et *De Virginit.*, c. 48, PL, 40. 425.

(2) *De Virginit.*, c. 50, ibid.

homo rationabili voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si praesentiat, puta divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, potest etiam circa illud aliquis inordinatus motus insurgere; sicut cum aliquis transfert cogitationem suam a delectationibus carnis, volens concupiscentiae motus vitare, ad speculationem scientiae, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriae impraemeditatus. Et ideo non potest homo vitare omnes huiusmodi motus propter corruptionem praedictam. *Sed hoc solum sufficit ad rationem peccati voluntarii quod possit vitare singulos* » (1). — Quidam vero libertatem melius tueri putant recurrendo ad praescientiam divinam, qua Deus ab aeterno novit, quandoque sanctos gratiae *communi*, quae *de se sufficiens* esset ad vitandum talem motum, non esse consensuros ob defectum *congruitatis* (2).

II. Probatur secunda pars :— *Hoc privilegio B. Virginem Mariam auctam fuisse, de fide constat ex can. Trid. allato.*

1° *Ex Traditione.* — Licet forte absoluta immunitas B. V. a quovis naevo actuali non ab universa primitiva Ecclesia ut *fidei dogma explicite* recepta fuerit; imo etsi pauci quidam Patres, qui tamen sublimissimis encomiis Deiparam celebrant, quaedam insinuent, quae huic veritati non plene sunt consona, plurimos tamen quovis tempore huius privilegii testes in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali habemus.

a) *Ex Patribus latinis* post Ambrosium, qui Mariam vocat « Virginem per gratiam ab *omni integram labe peccati* » (3) sufficiat adferre *Augustinum*, qui tam strenue contra Pelagii ἀναμαρτησίαν dimicavit. Hanc satagebat iste

(1) I, II, q. 74 a. 3 ad 2.

(2) Cf. Billuart, diss. 3 a. 6.

(3) Serm. 22. in psal. 118. n. 30 PL, 15, 1521.

comprobare exemplis adductis quorundam sanctorum virorum, et in primis B. V.; qui absque ullo peccato vixisse creduntur. Augustinus huic argumento respondens exceptionem *unius Deiparae* admittit, inquiens: « Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini *nullam prorsus,* cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem, inde (*al.* unde) enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quam constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato; quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste (Pelagius) dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos; nonne una voce clamassent: *Si diximus quoniam peccatum non habemus* etc.? (1).

b) Ecclesiae orientalis documenta, quae Deiparam a quovis peccato vel levissimo immunem (παντάμωμον, παντα-μώτητον) praedicant, innumera sunt eaque praeclara (2). Sic (ut pauca heic delibemus) S. Ephraem scribit: « Tu revera Domine, et mater tua *soli* estis, qui omnino omni ex parte pulchri estis; in te Domine nulla est labes, *nec ulla in matre tua macula* » (3). Et Sophronius Hieros. Mariam appellat: « Ab omni contagione et macula liberam corpore, anima et intellectu » (4). Et Proclus Constantinopolitanus de Virgine ait: « Ipsa novae creaturae globus coelestis, in

(1) *De Natura et gr.*, c. 36, n. 42 PL, 44, 267.

(2) PETAV. *De Incarn.*, l. 14, c. 1, n. 12 sqq. - PASSAGLIA, *De Imm. Deiparae Conceptu,* praesertim n. 74 sqq. - MORGOTT, *Mariologie*, p. 60 sqq. - KATSCHTHALER, vol. II, n. 65, vol. III, n. 70. - HURTER, vol. II, thes. 164, n. 649 sqq.

(3) CARMINA NISIBENA ed. Bickell 40, n. 27. Cf. *Bardenhewer Dogmengesichte*, § 82, n. 24.

(4) Μαρίας τῆς ἁγίας... καὶ πάντος ἐλευθέρας μολύσματος τοῦ τε κατὰ σῶμα καὶ ψυχήν, καὶ διάνοιαν. In ep. synod. ed Sergium approbata in Syn. VI oecum. PG, 87, 3159.

qua sol iustitiae nunquam occidens, *omnem ab anima omni peccatorum noctem fugavit* » (1), ipsamque vocat: « Impenetrabile impeccantiae sacrarium » (2). Et Ioa. Damascenus: « Maria (inquit) terra est, *in qua nulla peccati enata spina*, secus vero per cuius germen illud potius evulsum est; terra non est ut prior maledicta et cuius fructus spinis et tribulis horrescunt, sed super quam benedictio Domini fuit (3). In liturgicis autem Graecorum libris passim Maria tanquam ἡ πανταμώμητος salutatur: « A saeculo tu *sola* purissima, ab *omni macula* propter micantes radios puritatis... et propter charismata *quamlibet labeculam* repellentia, digna apparuisti » etc. (4).

Huc etiam afferri debent pleraque ex his Patrum utriusque Ecclesiae dictis, quibus immaculatus Virginis conceptus vindicetur. Patres enim, dum omnimodam impeccantiam Deiparae tribuunt, non solum originalem noxam spectant, sed et praecipue peccata actualia, in quibus maior est indecentia moralis (5).

2° *Ex S. Scriptura* non quidem directa huius veritatis attestatio habetur, verumtamen ex *salutatione angelica*, in qua Deipara quasi antonomastice, iuxta Patrum interpretationem, vacatur « *gratia plena* » graece κεχαριτωμένη (6).

---

(1) Πᾶσαν ἀπὸ πάσης ἀπήλασε ψυχῆς τῶν ἁμαρτιῶν τὴν νύκτα. Or. *De laud. Virg. Mariae*, n. 17, PG. 65,758.

(2) Αὕτη τὸ ἄδυτον τῆς ἀναμαρτησίας ἱερόν. ib. PG. 65,754.

(3) Γῆ ἔστιν ἐφ' ἣν τῆς ἁμαρτίας ἄκανθα οὐκ ἀνέτειλε. Or. II. *De Nat. Mariae*, n. 2. PG. 96,685.

(4) In Menaeis sub die 12 Febr. Cf. HURTER, l. c.

(5) Sic v. gr. S. Bernardus, et S. Thomas de quorum genuina sententia circa Immaculatam Virginis Conceptionem disputatur, in eo omnino conveniunt ut quodlibet vel leve peccatum actuale ab ea excludant.

(6) « Verisimile est (ait ESTIUS in h. v.) Angelum hebraice loquentem dixisse more hebraeo: *Pax tibi, gratiosa:* sed Evangelista reddit graeco more: Χαῖρε κεχαριτωμένη, quasi dicat: Ave gratificata, vel gratia praedita. - BEZA vertit: *gratis electa;* ERASMUS, *gratiosa* (Cf. TI-

S. Thomas iure arguit hoc privilegium: « Gratia (ait) datur ad duo; scilicet ad bonum operandum et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo; nam ipsa omne peccatum vitavit » (1).

3° *Ex ratione.* — Congruentiae rationes a S. Thoma optime, praeeuntibus Patribus inferuntur: *a*) *Ex divina maternitate*: « Non enim B. Virgo fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando; nam... ignominia matris ad filium redundasset ».

b) *Ex singulari affinitate* quam Maria habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit.

c) *Ex singulari modo,* quo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit.

« Et ideo (concludit Angelicus) simpliciter fatendum est, quod B. V. nullum peccatum actuale commisit, ut sic in ea impleatur quod dicitur (Cant. IV, 7): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* » (2).

b) His argumentis singulare robur addit immunitas Virginis ab originali lapsu. Ex hac enim veluti sponte consequitur perfecta quoad peccatum restitutio *integritatis, cum fomitis ligatione*, vel potius *exstinctione* (3).

RINI hic). Veteres tamen Patres et consuetudo Ecclesiae hanc vocem graecam interpretantur prout in Vulgata effertur. Cf. GORDONI in h. v. et ipsum ESTIUM hic. Plurium Patrum testimonia vide apud HURTER, l. c., n. 618 sqq.

(1) *In salut. Angel.*, opusc. 34, n. 3.

(2) *Summ. theol.*, III, q. 27 a. 4. *Comp. theol.*, c. 224.

(3) S. TH., l. c., q. 27 a. 3 ubi docet per primam sanctificationem in utero non fuisse quidem *sublatum* B. Virgini fomitem, sed remansisse *ligatum;* postmodum vero in secunda sanctificatione, seu in *conceptione carnis Christi totaliter fuisse subtractum* (Cf. et *Comp. theol.*, l. c.). Attamen post definitionem Immaculati Conceptus eorum sententia qui asserunt in ipsa prima sanctificatione B. V. fomitem *exstinctum* fuisse valde probabilior effecta est. Quidquid sit, omnes theologi in eo concordes sunt, ut cum HESYCHIO HIEROS. fateantur: « Concupiscentiae fumum B. Virginem non attigisse; nec vermen voluptatis eam

Scholion. — *De quorundam Patrum difficilioribus dictis.* — Negari nequit quosdam Patres, alioquin in B. Virginem studiosissimos, de hoc dogmate (ut loquitur Petavius) « interdum parum commode scripsisse, levissimis inductos rationibus, imo nullis » (1). Citantur praecipue, post Tertullianum (2) et Origenem (3), Basilius qui dubietate et aliquali scandalo iactatam Virginem suspicatur tempore mortis Filii (4), et Ioa. Chrysostomus qui ut explicet responsiones Christi ad Matrem, quae videntur duriusculae has

---

laesisse » PG, 93, 1466. (Cf. tamen de hac quaestione De Valentia, *De Incarn.,* disp. II, q. 1, punct. 4). Iure etiam theologi ex hoc Virginis privilegio inferunt, eam ita fuisse in gratia *confirmatam* ut omnimodam impeccabilitatem ea adepta fuerit. (Cf. Suarez *De Incarn.,* disp. 4, sect. 4) Impeccabilis, tamen non fuit Deipara *absolute* et ex *metaphysica necessitate*, ut fuit Christus ratione unionis hypostaticae; *nec physice* ut Beati, qui summo Bono iam fruuntur; sed *moraliter* ex singulari Dei protectione, quae constabat tum in gratiae perfectione, tum in exstinctione fomitis, tum demum in extrinseca Dei providentia omnes labendi casus excipiente.

(1) *De Incarn.*, l. 14, c. 1, n. 3.

(2) « Fratres Domini non crediderant in illum... Mater aeque non demonstratur adhaesisse illi, cum Martha et Maria alia in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco (Matt. 12, 48) apparet incredulitas eorum » (*De carne Christi*. 7, PL. 2, 767).

(3) « Quid? putamus quod, scandalizatis apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius. Si autem omnes peccaverunt et egent gloria Dei, iustificati gratia eius et redempti, utique et Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc Simeon prophetat: « Et tuam ipsius animam » *(In Luc. hom.,* 19, PG. 13, 1845).

(4) « Quoniam igitur omnis anima passionis tempore cuidam veluti dubitationi subiecta fuit, secundum Domini vocem dicentis: Omnes scandalizabimini in me; vaticinatur Simeon et de ipsa Maria astante cruci...: Erit quaedam et circa animam tuam fluctuatio (τὶς καὶ περὶ τὴν σὴν ψυχὴν σάλος). Oportebat enim Dominum pro omnibus gustare mortem, ac propitiationem mundi factum, omnes iustificare in suo sanguine. Et te igitur ipsam, quae coelitus didicisti quae ad Dominum spectant, tanget quaedam dubitatio ». (ἅψεταί τις διάκρισις). PG. 32, 965 sqq.

promeritas censet ab aliquali inani gloria B. V.; quae *fortassis* aliquid humani, passa fuerat (1) item Cyrillus Alex. qui Deiparam dubiis circa divinitatem Filii vexatam fuisse *suspicatur* (2). Hoc ipsum habet auctor libri *Quaestionum N. et V. Testamenti*, qui Augustinus credebatur (3). Verumtamen haec trium summorum Patrum, haud laude digna dicta, sensum Ecclesiae circa Virginis privilegium non mutant, nec imminuunt. Hi enim Origenem secuti, non tam Virginis sanctitatem deprimere, quam a quacumque vel imperfectionis specie Christum vindicare satagunt (4). Cum enim Celsus philosophus gentilis aliique ex paganismo scriptores in culpam Christi verterent responsiones apparenter severiores quas Ipse dederat Matri, tum in templo, in nupliis Canae galilaeae, tum occasione relata a Matth. c. 2; tum demum in cruce; Origenes et alii Patres ut Filium Dei penitus insontem ostendant, Matrem aliqualiter incusant. Hinc advertendum est: *a*) ad *scopum polemicum* eas sententias a Patribus proferri: *b*) Hos ipsos Patres, cum aliis in locis Virginis laudes concelebrant, talia prae-

---

(1) Chrysostomus (in Matt. 12, 14): « Quod illa fecit, ex ambitione profiscebatur: volebat eius populo sese ostentare ac si imperaret filio, de quo nihil adhuc magnum imaginabatur, ideoque importune accessit. Vide ergo et eius et fratrum arrogantiam. Cum oporteret enim ingressos audire cum turba, vel si id nollent, exspectare concionis finem et tunc accedere. de fòris vocant eum in compectu omnium ». PG, 57, 464. In Joan.: « Volebat enim et illos beneficio devincire seque splendidiorem per filium reddere. Et *forte* humanum quidpiam passa est, ut et fratres eius qui dicebant: Ostende te ipsum mundo ». (PG 59, 130).

(2) « Noli enim dubitare tale quid apud se cogitasse: Genui ego eum qui in ligno ridetur; sed cum se ipsum verum esse cunctipotentis Dei Filium diceret, forsan fallebatur... atque hoc minime mirandum est. si femina paulolum eo prolapsa fuit, cum Apostolorum ille princeps aliquando scandalizatus sit ». *In Ioan.*, XIX, 25 PG, 74, 661.

(3) Cf. Petav., l. c.

(4) Absque solido fundamento tamen asserit Lehner (*Die Marienverehrung*, p. 151), opinionem Origenis omnino praeponderantem fuisse saeculis III et IV. Cf. Schwane, *Dogmengesichte*, § 60, n. 4.

dicare, quae cum adductis testimoniis minime componi possunt: *c*) Demum, non *thetice et asseveranter* haec ab illis enuntiari, sed *dubitanter* proponi. — S. Thomas hoc iudicium fert de mente Chrysostomi in illis textibus: « Dicendum, quod illis verbis Chrysostomus excessit: Possunt tamen exponi, ut intelligatur, in ea (Virgine) Dominum cohibuisse non inordinatum inanis gloriae motum *quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset aestimari* » (1). Haec benevola interpretatio aliorum Patrum testimoniis fere applicari potest. Auctor vero *Quaestionum N. et V. Test.* non est Augustinus, sed Hilarius Luciferianus (2).

III. Probatur tertia pars: — *Hoc privilegium unius Deiparae proprium fuit.*

1° Sunt quidem, qui cum Catharino opinentur aliis quoque Sanctis viris, praeter Virginem, hoc privilegium concessum fuisse (3). Hoc imo procul dubio tribuendum esse plures censent Ioa. Baptistae, Ieremiae, et S. Iosepho B. V. sponso. Haec opinio libere defendi potest, praesertim, si exemptio a venialibus coarctetur ad determinata quaedam genera, vel ad venialia deliberata. Vel ipse Augustinus ait: « Postremo, si excepto illo capite nostro... asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato... non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum; quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam neque defendere valeam » (4). Haec autem a lege peccati paucorum exceptio nihil detrahit privilegii singularitati.

2° Attamen communis sententia *uni* Virgini hanc, saltem omnimodam atque universalem, impeccantiam concedit.

---

(1) S. Th., III, q. 27 a 4 ad 3.
(2) Cf. Fessler: Jungmann *Patrol.*, II, § 170.
(3) Cf. Suarez, *De gr.*, tom. III, l. 9, c. 8.
(4) *De Perfect. iustitiae*, c. 21, n. 44, PL 44, 316 sqq.

« Ego puto (ait S. Bernardus) quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; *quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.* Decuit nimirum Reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato vitam ducere » (1). Et sane: cum haec absoluta a quavis vel levissima culpa et a quolibet concupiscentiae motu exemptio implicet, saltem aequivalenter, restitutionem primigeniae integritatis relate ad peccatum, non videtur congrue competere posse nisi Mulieri illi, quae ob dignitatem maternitatis divinae, unice inter omnes Adae filios a culpa originis singularis praevenientis redemptionis privilegio exempta est (2).

CONCLUSIO II.

Homo lapsus nequit per diuturnum tempus vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem sine gratia actuali et habituali.

I. Probatur prima pars: — Non dicimus hominem ex suis naturalibus nullam omnino tentationem etiam gravem vincere posse. ita ut urgente gravi tentatione semper peccet. Quin imo concedimus hominem naturaliter rectum, quandoque contra determinatum genus tentationum, et in quibusdam casibus particularibus fortiter resistere posse ex amore naturalis honestatis et ex consideratione turpitudinis determinati peccati. Sed negamus vim liberi arbitrii esse tantam, quae possit *omnes* graves tentationes per diuturnum tempus superare abque auxilio gratiae actualis. Et siquidem, nomine huius auxilii intelligitur *gratia Re-*

---

(1) *Epist. 174 ad Canonicos lugdun.*, PL 182. 334.

(2) Cf. Gotti, Quaest. 1, dub. 10, § 2, n. 19 etc.

demptoris sanans naturam, conclusio nostra exhibet doctrinam, quae legitime arguitur ex definitionibus fidei in controversia pelagiana.

Et sane: 1° Probatum est art. 4, ex doctrina Ecclesiae constare necessariam esse gratiam sanantem ad legem naturae per diuturnum tempus adimplendam, quoad *ipsam substantiam*. Sed qui praeceptum non adimplet, peccat. Ergo (1).

2° *S. Scriptura* hanc ipsam necessitatem respicit, dum monet: *Oportet semper orare et non deficere* (2): *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* (3). Iam vero, oratio eaque assidua, non esset necessaria ad non deficiendum, et ad tentationes superandas, si ad utrumque gratia Dei homo non indigeret. — Hinc et diserte *Apostolus* docet necessarium esse nobis auxilium Dei, ne quandoque saltem, cadamus: *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat* (graece εἴληφεν apprehendit) *nisi humana* (4): *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam*

---

(1) Hoc directe etiam a Conciliis docetur: Sic Conc. Araus. II, c. 9, (Denz. 152) ait: « Divini est muneris cum... pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus ». Idem docet Innocentius I in epistola ad Conc. Cartag. « Nam quamvis hominem redemisset (Christus per Baptisma) a praeteritis peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana praestans illi remedia, *quibus nisi freti confisique nitamur*, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur ». Denz. 90.

(2) Luc. XVIII, 1.

(3) Γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. (ne tentationibus succumbatis), Matth. XXVI, 41.

(4) πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος; quasi dicat: *hucusque vos tentatio humana* (idest levis quam homo ferre potest, iuxta Chrysostomum, vel iuxta alios improviso insurgens vel subrepens, cf. Sa, Minocchi et Tirini in h. v.) *occupavit.*

cum tentatione proventum (ἔκβασιν, exitum) *ut possitis sustinere* (1). Ergo ut possimus sustinere, hoc est non cadere, auxilio Dei, et quidem quandoque efficaciori, indigemus. — Huius autem defectibilitatis causa a Scriptura indicatur *proclivitas* humanae voluntatis in malum a concupiscentia inducta: *Corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum* (mentem) *multa cogitantem* (2): *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (3).

Scholion. — Etsi gratia *medicinalis* sit auxilium *per se sufficiens* ad vitanda peccata contra legem naturae, *de facto tamen* hanc sufficientiam repetendam esse a gratiae auxiliis *quoad substantiam* supernaturalibus, iure arguunt theologi ex modo loquendi Conciliorum et Patrum, qui generatim gratiam *illustrationis intellectus,* et *inspirationis voluntatis* ad concupiscentiae victoriam nobis conferri docent.

II. Probatur secunda pars: — *Requiritur etiam gratia habitualis.* — Hoc defendimus ex communi theologorum sententia, qui merito aestimant in diuturniore vita quandoque graves adeo urgere tentationes ut vinci nequeant absque validiore Dei auxilio, quod haberi debeat tamquam *singulare beneficium.* Hoc autem a Deo concedi homini a se voluntarie averso, saltem lege ordinaria, minime praesumi potest.

Haec, quae in peccatore invenitur, impotentia moralis vitandi omnia peccata mortalia arguitur a S. Thoma ex ipso habituali statu *aversionis a Deo,* in quo peccator vivit. Ut enim homo diu vitet actum lethaliter peccaminosum, *cor suum,* sive voluntatem adeo in Deo *firmatam* habeat oportet, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, ab

(1) I *Cor.*, X, 12-13.
(2) Matth. XXVI, 41. Cf. II *Cor.* XII, 7 sqq.
(3) Cf. Suarez, vol. I, l. I, c. 24.

eo separari velit. Atqui peccator est a Deo habitualiter aversus. Ergo.

Prob. Maior.: a) a simili: Sicut ex eo quod appetitus inferior non totaliter subiectus est *rationi,* in ipso homine iustificato quandoque contingunt motus inordinati *venialiter* peccaminosi; ita si ipsa ratio hominis Deo non subdatur, sed ab eo aversa sit per peccatum mortale, fieri nequit, quin identidem quaedam inordinationes graves occurrant in ipsis actibus rationis (1).

b) Directe. Ne Dei praecepta laedamus saepe multa eaque graviora mala quae naturaliter formidamus subeunda a nobis sunt. et multa bona quibus naturaliter allicimur, spernenda. Atqui neutrum effici potest ab eo cuius mens et voluntas non firmiter Deo adhaereat (2).

c) Confirmatur autem haec ratio ex consideratione gravium tentationum. quae *repentine* insurgunt. In repentinis enim secundum praeexsistentem habitum agimus. Atqui peccator est habitualiter ad creaturas conversus. Ergo oportet ut saltem in his casibus, quae plenam rationis deliberationem antecedunt, secundum hunc habitum et iuxta hunc praeexsistentem finem agat. In his enim casibus « licet (ut loquitur S. Thomas) peccatum subito et quasi repente occurrens, *electionem liberi arbitrii subterfugit,* tamen liberum arbitrium *hoc posset facere,* vel *vitare,* si *ad hoc suam attentionem,* vel conatum adhiberet » (3).

(1) Hic; cf. *De Verit.*, q. XXIV. a. 12. ubi diffuse de hac quaestione agitur.

(2) Cf. hic et C. G. III, c. 161.

(3) *De Ver.*, l. c., et C. G. l. c., ubi hanc rationem sic evolvit: « Quum mens inclinata fuerit ad aliquid, non iam se habet aequaliter ad utrumque oppositorum, sed magis ad illud ad quod est inclinata. Illud autem ad quod mens magis se habet, eligit, *nisi per rationis discussionem* ab eo quadam sollicitudine abducatur; unde et in repentinis signum interioris habitus, praecipue accipi potest. Non est autem possibile men-

Scholion. — S. Thomas in Comm., l. II, dist. 28, q. 1 a. 2, videtur excludere necessitatem gratiae habitualis ad peccata mortalia cavenda, scribens: « Peccatum committendum potest homo vitare *etiam sine gratia*, quantumcumque in peccato mortali exsistat, si tamen gratia intelligatur aliquis habitus infusus, et non ipsa divina voluntas, per quam omnia bona causantur, et mala repelluntur ». Sed forte haec loquitur S. Doctor *de potentia physica*, inspecta *per se* proportione virtutis naturalis, vel potius excludit *necessitatem absolutam* gratiae habitualis; nemo enim dubitat, Deum ita gratia sua actuali peccatorem praemunire ac custodire posse ut ulterius non peccet; vel demum dicendum retractasse in Summ. theol. et in qq. dd. quae iunior in Comm. scripserat (1).

Articulus IX.

Utrum ille qui iam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum et vitare peccatum absque auxilio gratiae.

Praenotanda. — 1° Petimus utrum homo praeter elevationem et sanctificationem quam formaliter habet per gratiam habitualem, indigeat auxilio gratiae actualis ad omne opus *salutare*, et vitae aeternae meritorium. Et necessariam quidem esse gratiam *adiuvantem* omnes theologi conveniunt. Sunt tamen qui doceant hominem iustum non indigere gratia *excitante*, seu *praeveniente* ad ponendos

---

tem hominis continue in ea vigilantia esse, ut per rationem discutiat quidquid debet velle vel agere. Unde consequitur quod mens aliquando eligat id ad quod est inclinata inclinatione manente: et ita si inclinata fuerit in peccatum, *non stabit diu* quin peccet, impedimentum gratiae praestans, nisi ad statum rectitudinis reducatur ».

(1) Cf. Caiet. in h. a. et Gonet, disp. I a 6, § 2.

actus qui habitibus supernaturalibus respondent. Quin imo Molina contendit etiam peccatorem *fidelem*, posse ex habitibus *fidei* et *spei* quae in ipso, amissa caritate, remanent, *actus salutares* fidei et spei elicere, quibus ulteriora auxilia mereatur (1).

Bellarminus hanc thesim statuit: « Homo iustus potest, quando vult, iustitiam tam internam, quam externam exercere, idest bona opera facere, ac praecepta divina servare, neque indiget *ordinarie* nova gratia *excitante*, sed solum adiuvante » (2). Non est autem confundenda haec sententia cum alia eorum, qui dicunt opera iustorum, mere *naturaliter bona* sub concursu generali Dei effecta, esse vitae aeternae de se meritoria; haec enim doctrina omnino aufert proportionem entitativam, quae inter opera meritoria et praemium vitae aeternae esse debet (3). Ex sententia Bellarmini e contra, ut opus sit salutare praecedere debet tamquam a principio ex *virtute infusa*, et in illud opus Deus semper concurrit auxilio *adiuvante* supernaturali. Censet itaque Bellarminus habitus virtutum infusarum ex seipsis excitare in homine iusto quosdam motus supernaturales indeliberatos, et his mediantibus eius voluntatem inclinare ad actus deliberatos salutares, quin opus sit *gratia praeveniente*, exceptis extraordinariis occasionibus, dum ardua prorsus proponuntur praecepta adimplenda, vel graves tentationes sunt superandae.

---

(1) « Habitus fidei infusus (scribit Molina) spiritus fidei inhabitans solet ab aliquibus appellari, *eoque fideles, quoties postea volunt, eliciunt cum solo concursu generali Dei actum fidei supernaturalem*. Quod idem eadem quoque ratione dicendum est de spe ». *De Conc.*, q. 14 a. 13, disp. 8. Cf. SALMANTIC., tract. 14, q. 109, dub. 10, § 2; BECANUM, *De Aux. grat.*, q. 5, a. 4.

(2) *De gr. et lib. arb.*, l. 6, c. 15, sect. 13.

(3) Cf. VASQUEZ, I, II disp. 207. De hac sententia infra agetur ubi sermo erit de conditionibus ad meritum de condigno requisitis. Cf. SUAREZ, l. 1, c. 17, n. 6.

2° Nos tamen cum S. Thoma contendimus ad actus salutares non sufficere influxum habitus infusi sed requiri gratiam actualem et *adiuvantem* et *praevenientem*. Et quidem ad quemlibet actum salutarem necessariam esse gratiam *adiuvantem* est doctrina fidei; requiri autem etiam auxilium *praeveniens* est communior sententia, quae utique doctrinae fidei magis videtur consentanea (1).

CONCLUSIO

Ad omnes et singulos actus salutares etiam homini iusto necessaria est gratia actualis praeveniens et adiuvans.

Probatur concl. — 1° *Ex magisterio Ecclesiae,* quae docet:

a) Deum non solum actus salutares *nobiscum* operari (gratia adiuvante), sed ipsum etiam *operari* ut *operemur*. « Quoties (ait Conc. Araus. II) bona agimus, Deus *in nobis* atque nobiscum ut operemur operatur » (2). Hoc autem valet non solum pro peccatore, sed etiam pro iusto; verba enim Concilii indefinita sunt.

b) A Dei gratia *omnia merita hominis praeveniri, per quam fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere* (3).

c) Fideles omnes et gratia baptismatis renatos indigere Christo auxiliante ut quae ad salutem spectant *agere possint*: « Hoc etiam (docet iterum Conc. Araus.) secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo *auxiliante* et *cooperante*, *quae ad salutem pertinent*, *possint* et debeant, si fideliter laborare

(1) Cf. Suarez, l. 3, c. 8, n. 22 sqq., l. 12, c. 7. - Ripalda, *De ente sup.,* disp. 106, sect. 3. - Gotti, q. 1, dub. 12, § 2, n. 8 sqq.

(2) Can. 9, Denz. 152.

(3) *Epist. Coelestini I ad episcopos gall.,* cap. 12, Denz, 96.

voluerint adimplere » (1). In hoc canone profecto praeter gratiam sanctificantem, alia gratia ad salutariter operandum ut necessaria statuitur, nempe gratia *auxilians* et *cooperans*.

d) Virtutem Dei omnia iustorum opera, ut Deo sint grata, *antecedere, comitari et subsequi*. Sic Conc. Trid. definiens iustos per bona opera, quae ex gratia fiunt, mereri vitam aeternam docet: « Cum Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter *virtutem* influat, quae virtus bona eorum opera semper *antecedit* et *comitatur* et *subsequitur,* et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil in ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta... vitam aeternam... vere promeruisse censeantur » (2).

Imvero haec omnia intelligi nequeunt, si iusti ad actus salutares ponendos gratia excitanti non indigent. Bellarminus quidem, virtutem de qua loquitur Conc. Trid. censet esse non gratiam actualem, sed ipsam gratiam iustificantem et virtutes infusas, quas eatenus Christus in iustos *influit,* quatenus eas *conservat*. Sed haec interpretatio minus congrua videtur; nam virtus, de qua hic agitur, *antecedit, comitatur* et *subsequitur* bona iusti opera. Atqui hi effectus simpliciter et primario gratiae *actuali* conveniunt, ita ut gratiae divisio in *antecedentem, comitantem* et *subsequentem,* quamvis aptari possit gratiae habituali, tamen ordinarie et magis proprie gratiam actualem respicit. Addi etiam potest verbum « *influere* » per se significare *activum* influxum, qui coarctari nequit ad meram conservationem (3).

(1) Can. 25.

(2) Sess. 6. c. 16.

(3) Huc etiam spectant quae Conc. Trid. profert cap. 11 eiusdem sess.: « *Deus* namque *sua gratia* semel iustificatos non deserit; nisi ab eis prius deseratur ». Agi heic de gratia *actuali* et ex ipso textu evidens

2° *Ex S. Scriptura,* quae: - *a*) ad actus salutares etiam in iustis exigit generatim gratiam actualem. Iustos enim (1) alloquitur Christus cum declarat: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (2). Iamvero sermo est hic de *gratia interna,* ut arguitur ex similitudine influxus vitis in palmites; item agitur de necessitate gratiae non solum sanctificantis, sed etiam *actualis:* Sic enim Christus est in iustis, ut vitis in palmitibus. Atqui ad hoc ut palmites fructus ferant, haud sufficit ut vitis ipsis organice iungatur, sed insuper, ut loquitur Conc. Aus. II, requiritur « *ut vitale elementum eis iugiter subministret* » (3).

Hoc et explicite docet Apostolus cum hortatur fideles, inter quos sane iusti aderant, ut cum metu et tremore salutem suam operentur, hanc addens, rationem: *Deus enim est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (4). Atqui non aliter Deus incipit et perficit in homine iusto opus salutare, quam dando auxilium gratiae *praevenientis et adiuvantis.*

b) Speciatim et directe necessariam docet gratiam *praevenientem* illustrationis et inspirationis. Sic Apostolus iustis et a Deo dilectis hanc gratiam adprecatus, ait: *Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster J. C. et Deus et Pater noster, qui dilexit nos et dedit*

---

est, et confirmatur ex adiunctis historicis ut ostendit PALLAVICINO, *Hist. Conc. Trid.,* l. 8. Etiam VEGA, qui Concilio interfuit, ea verba exponit de gratia actuali, scribens: « Et ut sciremus hoc *auxilium tam potens, quam necessarium nulli deesse iustorum,* mox adiecta sunt illa verba suavitatis plena ex August. desumpta: Deus namque sua gratia etc. » *De Justific.,* l. XI, c. 11.

(1) Iam enim ibi v. 3 dixerat: « *Vos mundi estis* ».

(2) IOA., XV. 5.

(3) Can. 25.

(4) *Philipp.,* II, 13.

consolationem aeternam et spem bonam in gratia exhortetur corda vestra (παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας) *et confirmet in omni opere et sermone bono* (1). Et iterum: *Deus autem pacis... aptet vos* (καταρτίσαι ὑμᾶς – apte componat) *in omni bono, ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se* (ποιῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ) *per Jesum Christum* (2). Necessaria igitur est etiam iustis ad opus bonum *cohortatio, invitatio, aptatio* a Deo superne accepta.

3° *Ex doctrina Augustini.* — Gratia sanctificans comparatur ab Agust. *oculo sano;* et auxilium actuale *influxui lucis.* Itaque sicut oculus sanus res videre nequit absque lucis medio, sic homo etiam sanctus absque gratiae auxilio opera salutis efficere non potest: « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic et homo etiam plenissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae adiuvetur, recte non potest vivere » (3).

4° *Ex ratione — Ex necessitate motionis divinae, ut virtus seu potentia in actum erumpat:* — *a*) Sic enim se habent gratia sanctificans et virtutes infusae ad actus supernaturales, sicut natura et potentiae naturales ad actus naturales. Atqui potentiae naturales ut actum suum producant indigent *motione Dei,* seu *concursu generali.* Ergo gratia sanctificans et virtutes infusae minime sufficiunt, ut iustus ponat actus salutares, sed necessaria quoque est *motio supernaturalis Dei,* seu *gratia actualis.* Brevius: gratia sanctificans et virtutes infusae elevant quidem hominem ad statum supernaturalem ipsumque constituunt principium activitatis supernaturalis *in actu primo;* ut vero ipse hanc potentiam exerceat, seu constituatur agens *in actu secundo,*

(1) II *Thess.* II 14-16.
(2) *Hebr.* XIII, 20-21.
(3) *De natura et gr.*, c. 26, n. 29, PL, 44, 261.

indiget obiecto et motione, quae proportionata sint huic elevationis statui (1).

b) Aliis verbis idem argumentum proponi potest. In ordine naturali praeter potentiam requiritur ad actum motio Dei, quae quidem motio respectu voluntatis humanae, rite explicari potest iuxta doctrinam Angelici (2) *ex inclinatione necessaria,* in voluntate ipsa a Deo inserta, ad proprium obiectum adaequatum, seu bonum sub ratione boni (finem ultimum naturalem); ita scilicet, ut quemadmodum *prima principia* in ordine cognitionis sunt causa conclusionum; ita haec inclinatio sit causa, cuius virtute in obiecta particularia voluntas feratur. Simili ratione in ordine supernaturali per habitus infusos potentiae constituuntur quidem proportionatae, uti tales, ad finem supernaturalem et ad actus salutares eliciendos, non tamen per ipsos habitus datur *motio,* seu *inclinatio* necessaria ad actus in finem supernaturalem tendentes. Hinc, haec potentiae actuatio conferri debet per motionem supernaturaliter a Deo productam, qua *intellectus* illustratus erigatur ad Dei vel divinorum cognitionem, quae ex fide habetur; et *voluntas* supernitus inspirata ad Deum supernaturale Bonum actu tendat.

c) Haec superna gratiae praevenientis motio eo magis necessaria arguitur, quod potentiae hominis iusti per se ferri possunt in actus mere naturales, seu ex habitibus adquisitis elicitos. Ut eae igitur ferantur in actus supernaturales, excitari debent a motione Dei superaddita, qua ad obiectum et finem supernaturalem dirigantur.

Scholia. — 1° Nova tamen motio gratiae excitantis non videtur necessaria ad singulos actus supernaturales *alicuius seriei.* Potentia enim, primitus actuata ad opus salu-

(1) Hoc art.

(2) Cf. I, II q. 9. a 6, ad 3.

tare per gratiam praevenientem, *libere* ponere potest actum salutarem, ad quem illa gratia confertur, et post hunc alios actus in eadem serie elicere, sine nova gratia, sed cum concursu eiusdem gratiae quae est *cooperans* respectu primae gratiae excitantis, et *excitans* respectu aliorum actuum qui sequuntur (1).

2º Gratia, quae ad actus salutares semper requiritur, est motio entitative supernaturalis. Quandoque autem, cum magna difficultas adest in bono faciendo, vel in tentatione superanda, exigitur insuper specialis gratia hanc difficultatem auferens. Porro, gratia sanctificans sanat quidem mentem, sed non tollit concupiscentiam : ergo necessaria est quandoque et specialis gratia actualis sanans naturam (2).

Objectiones. — 1º Gratia sanctificans id consequi debet ad quod datur. Atqui datur ut possimus facere bonum salutare. Ergo ea sufficit ad actus salutares.

Resp. dist. mai: In actu primo, Conc.; in actu secundo, subd.: cum auxilio Dei moventis, *Conc.;* sine hoc, *Nego.* — Gratia habitualis, ut diximus, confertur ad elevationem naturae ad esse supernaturale, et naturalium facultatum ad rationem principii potentialis in ordine ad actum salutarem. Sed in hac elevatione non includitur motio ad ipsum actum secundum (3).

2º Atqui gratia habitualis est sufficiens principium ad exercitium actus. Sane: fons aquae salientis est sufficiens principium rivuli, qui ex eo fluit. Atqui, Christo teste, gratia sanctificans est *fons aquae salientis in vitam aeternam* (4).

---

(1) Cf. Pecci, *Sentenza di S. Tommaso sopra l'influsso di Dio sulle azioni delle creature ragionevoli.*

(2) Cf. S. Thom., hic et I, II, q. 68 a. 2. ad 2 et q. 114 a. 3. - Suarez. l. 3, c. 8.

(3) Cf. hic ad 1.

(4) *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ioa. IV, 14.

Ergo haec est sufficiens principium exercendi omnes actus qui ad vitam aeternam sunt necessarii.

Resp.: a) Nego min. Nam ut ex contextu apparet iste fons aquae denotat, saltem primario, *doctrinam* Christi (1).

b) Si autem intelligatur cum quibusdam Patribus, *gratia* santificans (2); *Dist. min.:* Est fons aquae salientis *suo modo*, nempe iuxta sui naturam, et si habeantur conditiones ceterae quas aliunde requiri constat, *Conc.;* absolute et simpliciter, *Nego.*

3º Atqui gratia qua iustificamur ex se sola est fons aquae erumpentis in opera salutaria. Sane: gratia qua iustificamur ex Conc. Milev. II, secum confert etiam *auxilium* sufficiens ad praecavenda mala et bonum faciendum (3). Ergo.

Resp.: Dist. ant.: Gratia qua iustificamur vel *proxime* et *formaliter*, vel *remote et dispositive, Conc.;* gratia tantum *formaliter* sanctificans, *Nego.* — Concilium Milev. excludit errorem Pelagii, asserentis gratiam esse tantum remissionem peccatorum, non autem et auxilium confirmans voluntatem in bono.

Articulus X.

Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiae ad perseverandum.

Praenotanda. — 1º Perseverantia generice est *perduratio secundum aliquod esse,* et praecipue secundum bonum

---

(1) Cf. Estium, in h. v.

(2) Cf. Sa, in h. v. Etiam Conc. Trid. hoc testimonium de habituali gratia intelligit; sess. VI, cap. 16.

(3) « Item placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua iustificamur per Jesum Christum D. N.; ad solam remissionem peccatorum valere, quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, a. s., » can. 3, Denz., 67.

in ordine ad finem. Triplici autem sensu specifico hoc vocabulum adsumitur: *a*) ut denotetur *specialis virtus,* quae est pars *fortitudinis*, per quam homo in bono *arduo* constanter persistit. Hoc sensu proprie dicitur *constantia* (1). *b*) ut significetur simplex *propositum* habituale perdurandi in bono usque in finem (2). *c*) Praecipue autem ut designetur *continuatio actualis* in accepta *iustificatione*. Hac postrema significatione in hac quaestione perseverantia accipitur.

2° Haec, vel est *imperfecta,* seu *alicuius temporis,* ut eam vocat Augustinus (3), per quam iustus ad aliquod notabile tempus in sanctitate manet; vel *perfecta* per quam usque ad vitae finem in iustitiae statu perseveratur, a quantocumque demum tempore hic status incoeperit. Hinc perseverantia perfecta, quae *finalis* communiter dicitur, non semper incipit a prima iustificatione, quam plures amittunt, sed ab illa a qua iustus nunquam excidet.

3° Perseverantia *finalis* spectari potest vel *active,* vel *passive. Passiva* consistit in coniunctione status gratiae habitualis cum morte; seu in eo ut iustificatus dum est in statu gratiae a Deo e vita evocetur; mortem enim subeundo iustus mere passive se habet: sic infantes post baptismum decedentes, perseverantiam mere passivam habent. *Activa* illa nuncupatur, qua iustus usque ad vitae finem bonum agit, seu iugiter gratiae Dei cooperatur, ita ut iustitiam servet usque ad exitum vitae suae.

4° Perseverantia demum *activa* finalis spectari potest et quoad *posse*, et quoad *factum;* prout attenditur vel *potestas*, qua iustus instruitur *active* perseverandi per iugem gratiae cooperationem usque ad mortem; vel ipsum *factum* huius cooperationis. Ex hac duplici consideratione

---

(1) II, II, q. 137 a. 1.

(2) Hic.

(3) *De dono Pers.*, c. 6. PL, 45, 999.

duae exsurgunt quaestiones inter se omnino distinctae; scilicet: *a*) Quid requiratur ut iustus *possit* usque ad finem perseverare; *b*) Quid insuper necessarium sit ut *actu* habeatur perseverantia finalis, quam Conc. Tridentinum « *magnum donum* » appellat (1).

5° Doctrina Ecclesiae hue sistit, ut definiat: ad *potestatem* perseverandi usque in finem requiri, *speciale auxilium Dei;* et ipsam perseverantiam actualem usque in finem esse *magnum Dei donum.* In quo autem ratio *specialis* auxilii et *magni doni* consistat ab Ecclesia non definitur, sed inter theologos controvertitur (2). Nos doctrinam fidei directe vindicantes, quid in hac perdifficili quaestione de propria ratione specialis doni quod perseverantiam confert, verisimilius tenendum sit, breviter indicabimus.

CONCLUSIO

Homo iustus sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare nequit. Perseverantia autem actualis usque in finem iure dici debet « magnum Dei donum ».

I. Probatur prima pars: — *Potestatem* perseverandi in iustitia accepta usque in finem repetendam esse ex Dei auxilio, est *fidei* veritas contra semipelagianos ab Ecclesia definita: « Adiutorium Dei (docet Araus. II) etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut *ad finem* bonum pervenire, vel in bono *possint* opere perdurare » (3). Et Conc. Trid. definit: « Si quis dixerit iustificatum, vel sine *speciali*

(1) Sess. VI, can. 16.

(2) Questio *praesertim* fit de perseverantia finali *activa,* cui proprie auxilium Dei *speciale* respondet, quod ad actum reducitur.

(3) Can. 10, Denz., 153.

auxilio Dei in accepta iustitia perseverare *posse*, vel cum eo non posse: a. s. » (1).

1° Haec doctrina est corollarium thesium praecedentium, in quibus probatum est hominem iustum absque auxilio Dei nullum actum salutarem efficere posse, nec certe omnia Dei praecepta adimplere, nec graves posse superare tentationes. Cum enim ad *potentiam* perseverandi etiam per aliquod *notabile tempus* haec omnia exigantur, nec aliunde absque gratuito Dei auxilio praestari possint, manifestum est eo magis Dei gratiam exigi ad perseverantiam usque in finem.

2° Solum itaque quaestio hic esse potest quid intelligendum sit nomine *specialis* auxilii per quod perseverandi *potestas* iusto competit. Iamvero duplex hac in re habetur sententia: - *a*) Quidam auxilium conferens *potentiam* perseverandi ideo *speciale* dici putant, quod sit auxilium *tertii cuiusdam generis* in linea gratiae entitative supernaturalis, *distinctum* et a gratia *habituali*, et a communibus gratiis

(1) Sess. VI can. 22. In cap. 13 eiusdem sess. doctrina de perseverantia ita proponitur: « Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere ». Concilium itaque non solum errorem semipelagianorum excludit, sed etiam Lutheri et Calvini, qui docebant iustos infallibiliter certos esse oportere de sua salute. Medium enim quo ad salutem homines perveniunt, est iuxta Calvinum quidem *absoluta* et indefectibilis *praedestinatio*, quam habent omnes, qui iusti sunt, et sine qua nemo vere iustus dici potest; iuxta Lutherum vero *est fiducia*, qua firmiter credunt se per merita Christi sibi imputata, iustitiam adeptos esse. Cf. PALLAVICINO, *Hist. Conc. Trid.*, l. 8. - VEGA, *De Iustific.*, l. 12, c. 1.

actualibus, quae ad opera salutaria efficienda conferuntur (1).

b) Alii vero auxilium hoc *quoad rem* identificant cum communibus gratiae auxiliis et ea ratione vocari *speciale* censent, quod distinguatur tum a concursu generali (naturali) tum praecipue a gratia habituali (2).

3° Haec *altera* sententia, quae ceteroquin communior est etiam inter *thomistas*, utique verior apparet. Argumenta enim, quae amplissima tractatione a Suarezio congeruntur ad necessitatem probandam *tertii auxilii* a ceteris distincti, cui perseverandi usque ad finem debeatur *potestas*, sunt ea ipsissima, quae adducuntur ad evincendam gratiae actualis necessitatem pro perseverantia *imperfecta*. Cum igitur nullimode appareat ex fontibus revelationis necessitas huius auxilii entitative distincti a gratia communi actuali, iure merito a plerisque theologis eius exsistentia non admittitur (3). Hoc etiam argui legitime potest ex historia controversiae semipelagianae. Constat enim *semipelagianos*, in eo fundamentaliter errasse, quod docerent *primam gratiam fidei formalis* et *conversionis* hominem mereri posse ex bonis operibus *naturae*. Ex hoc erroneo principio logice consequitur etiam ipsam in fide et in gratia sanctificante perseverantiam naturalibus arbitrii viribus, saltem remote, adscribendam esse. Non in hoc igitur errabant quod praesumerent hominem *absque gratia* ex sola virtute naturali usque in finem perseverare posse; sed in eo quod vellent hanc gratiam, qua perseverare possumus, conferri ex praecedentibus meritis naturalibus. Cum itaque

---

(1) Ita Suarez, l. 10. c. 2, c. 4, n. 12 sqq. et passim etiam in l. 11. - Cf. etiam Gotti, q. 1, dub. 13, § 2, n. 6, licet iste proprie loqui videatur de ipso dono *actuali* perseverantiae.

(2) Cf. Billuart, diss. 3 c. 10.

(3) Cf. Cercia', *De gr.*, p. II, sect. 2, lect. 7 sqq. - Mazzella, n. 82 sqq.

absoluta gratuitas perseverantiae in S. Scriptura evidentissime edoceatur, Patres hoc dogma directe et plene vindicantes ipsum fundamentale principium semi-pelagianismi evertebant (1). Quaestio igitur non erat de necessitate *novae gratiae* praeter auxilia Dei communia ad potentiam perseverandi, sed utique de absoluta gratuitate gratiae in genere.

Attamen concedendum est gratiam, qua perseverare usque ad finem *possumus,* vere *auxilii specialis* titulum (qui eidem a Conc. Trid. tribuitur) mereri, respectu etiam cuiuslibet particularis auxilii, quod ad singulos actus salutares exigitur. Illa enim gratia, includit omnem *seriem* et *collectionem* auxiliorum, tum *interiorum,* tum *exteriorum,* quibus iustus indiget ut diu perseverare et, omnes vincendo tentationes, usque ad mortem in bono persistere *possit.*

II. Probatur secunda pars: — *Perseverantia actualis tum activa, cum passiva, Dei donum est,* quod merito appellatur *magnum,* et nonnisi ab eo datur qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere.

1° *Ex S. Scriptura,* quae *speciali Dei beneficio* perseverantiam finalem tribuit.

Pro perseverantia passiva occurrit illud *Sap.:* « *Placens Deo factus est dilectus; et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne*

(1) S. Prosper ita exponit errorem semipelagianum: « Itaque (affirmant semipelagiani) omnibus, quantum ad Deum pertinet, paratam vitam aeternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint et *auxilium gratiae merito credulitatis acceperint...* Ac sic cum duo sint, quae humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, et hominis obedientia; *priorem* volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; et voluntas hominis divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem ». Ep. 225 ad Augustinum, PL, 51, 71.

fictio (δόλος) *deciperet animam illius* (1). Licet haec verba referri videantur ad patriarcham *Henoch* (2), Patres tamen congrue ea aliis iustis immature decedentibus applicant (3). « Videte iam (ait Augustinus huic testimonio innixus) a veritate quam sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque ad finem huius vitae, cum vitae huic, quando voluerit ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis donatur haec gratia » (4).

Pro perseverantia activa finali adduci solet illud Jeremiae: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me* (5). Hoc testimonium etiamsi videatur respicere Hebraeorum constantiam in observatione legis, qua sint a servitute liberi, ad omnes tamen qui perseverantiae donum obtinent iure extendit Augustinus, inquiens: « Quod, quid aliud est, quam talis, ac tantus erit timor meus, quem dabo in corde eorum, ut mihi perseveranter adhaereant? » (6).

Pro utraque tamen perseverantia praecipua et vere classica testimonia desumuntur ex epistolis Apostolorum. Sic Petrus fideles stimulans ad vigilantiam contra diabolum, qui *tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret;* eosque ad patientiam cohortans, exemplo Christi proposito,

---

(1) IV, 10-11 εὐάρεστος τῷ θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη - idest: factus placens Deo, dilectus est Cf. MENOCCHI, in h. v.

(2) Cf. *Eccli.*, XLIV, 16.

(3) Cf. SALMERON et ESTIUM in h. v.

(4) *De don. persev.*, c. 17 PL, 45, 1018.

(5) XXX, 40. Ceterum in psalmis praesertim saepissime perseverantia in bono a Deo exposcitur: Sic v. g. psal. 118. *Beati immaculati in via* etc., est fere humilis et fervens deprecatio ad Deum ut donum perseverandi concedat.

(6) *De dono pers.*, c. 2, PL, 45, 996.

addit: *Deus omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque* (1). Petrus igitur et vocationem ad fidem et in eadem ac in bono perseverantiam ad Deum refert, qui est omnis gratiae auctor.

Item Paulus ad Philippenses scribit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc. Confidens hoc ipsum; quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet* (ἐπιτελέσει) *usque in diem Christi Jesu; sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde,* etc. (2). Et ad Tessalonicenses: *Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela* (ἀμέμπτως – irreprehensibiliter) *in adventu* (ἐν τῇ παρουσίᾳ) *Domini nostri Jesu Christi servetur. Fidelis est qui vocavit vos: qui etiam faciet* (3). Et ad Corinthios: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei* (ἐπί τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ), *quae data est vobis... in illo, in omni verbo, et in omni scientia: sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem* (ἀποκάλυψιν) *Domini nostri Jesu Christi, qui confirmabit* (βεβαιώσει) *vos usque in finem* (ἕως τέλους) *sine crimine* (ἀνεγκλήτους – irreprehensos), *in die adventus Domini nostri Jesu Christi* (4). Itaque conservatio iusti in sanctitate, et vitae integritate usque ad mortem et ad iudicium, Christi auxilio Dei tribuitur.

---

(1) I Petr. V, 10 - ὀλίγον παθόντας αὐτος καταρτίσει (instaurabit), στηρίξει, σθενώσει; *solidabit* (ait Salmeron) per constantem fidem *confirmabit* per vivam spem, *perficiet* per ardentem caritatem.

(2) I, 3-7.

(3) I *Thess.*, V, 23-24.

(4) I *Cor.*, I, 4-9.

2° *Ex ratione.* — Tria ad actualem perseverantiam finalem requiruntur: *a*) Declinatio a malo, quacumque occurrenti peccandi occasione; *b*) Observatio omnium praeceptorum; *c*) Mortis opportunitas, quae dum status gratiae in homine perdurat, contingat. Atqui haec a *speciali Dei* gratia et *beneficio* sunt repetenda. Ergo.

Scholia. — 1° *In quo consistat ratio magni doni, quae inest perseverantiae finali.*

Quaeri nunc potest, quid amplius addat supra *potestatem* perseverandi, quam iusti habent ex gratiis actualibus communibus, perseverantia finalis cuius ratione haec *magnum donum* dici debeat. S. Thomas in hoc art. ita rem explicat: « Ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus, non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, *sed divino auxilio ipsum dirigente, et protegente* contra tentationum impulsus ». Ex hoc deducitur: *a*) Donum perseverandi non esse *novum habitum infusum;* omnes enim habitus cum gratia sanctificante infunduntur, et aliunde hi amissibiles sunt, dum e contra perseverantiae donum amitti (ut Augustinus loquitur) *contumaciter non potest* » (1).

b) *Non esse meram collationem gratiae, cui iustus cooperari potest,* et de *facto libere cooperatur.* Hoc enim in casu perseverantia non tam *speciale donum* foret, sed *usus* diversus eiusdem doni.

c) Consistere itaque in speciali Dei *providentia ex intentione efficaci praedestinationis* dirigente iustos talibus auxiliis, quibus ipse praescit libere quidem, sed certissime eos consensuros, et *protegente* eos ne tentationibus cedant, illos nimirum praeservando a periculis, quibus praevidet eos fore inferiores. « Cum dicimus (ait iterum Angelicus) hominem indigere ad perseverandum finaliter, auxilio gratiae, non intelligimus quod, super gratiam ha-

(1) *De don pers.*, c. 6 n. 10, PL, 45, 999.

bitualem prius *infusam ad bene operandum,* alia desuper infundatur ad perseverandum; sed intelligimus quod, habitis omnibus habitibus gratuitis, adhuc *indiget homo divinae providentiae auxilio exterius gubernantis* » (1). Continet igitur perseverantia, si de adultis loquamur, tum auxilia interna gratiae *congrua et efficacia,* tum praesertim extrinseca divinae Providentiae subsidia per quae omnes circumstantiae vitae praedestinatorum ita disponuntur ut mors illis contingat dum in statu gratiae inveniuntur. « Subventum est igitur (ait Augustinus) infirmitati voluntatis humanae ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur, ideoque quamvis infirma, non tamen deficeret neque adversitate aliqua vinceretur » (2).

2° *Diversa divinae providentiae ratio in dono perseverantiae.* — Licet ergo perseverantia finalis *formaliter* sit eiusdem rationis in omnibus electis, cum in omnibus inferat coniunctionem gratiae cum morte *ex decreto praedestinationis imperatam;* materialiter tamen, seu quoad ipsum exsecutionis modum est diversa in diversis electis. Revera, in infantibus baptizatis, qui decedunt ante usum rationis, vel in perpetuo amentibus, item baptizatis, *perseverantiae donum* qua tale, infert *solam providentiam Dei externam,* disponentem mortis contingentiam antequam gratia amitti possit. In aliis implicat insuper largitionem collectionis auxiliorum tum internorum, tum externorum ad conservationem gratiae habitualis, vel eius recuperationem pro eo tempore quo mors contingit. Utroque modo accepta perseverantia est utique *magnum Dei donum* (3).

3° *Perseverantiae donum est gratuitum et ex parte nostra incertum.* — Cum enim hoc divinum munus tam ma-

(1) C. G., III, c. 155-56.

(2) *De Corrept. et gr.*, c. 12, n. 33, PL, 44, 937.

(3) Cf. Gotti, l. c. - Suarez, l. 10, c. 6. - Cercia', l. c. lect. 11.

guam et singularem divinae providentiae benevolentiam includat, iure merito theologi docent neminem, licet sanctissimum, illud *ex condigno* mereri posse, sed tantum de *congruo impetrare*, iuxta notum Augustini effatum: « *Hoc donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest* » (1). Hinc nemo certus esse potest, citra specialem revelationem, certitudine absoluta, se hoc donum habere; prout definitum est a Conc. Trid.: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum, se certo habiturum absoluta atque infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali Dei revelatione didicerit: a. s. » (2).

Obiectiones. — 1° Non requiritur speciale auxilium ad perseverantiam in eo qui virtutem perseverantiae infusam habet. Atqui iusto una cum ceteris supernaturalibus habitibus etiam virtus perseverantiae infunditur. Ergo.

Resp. dist. mai.: Non requiritur speciale auxilium entitative distinctum a communibus, *Trans.*; speciale auxilium saltem ratione *beneficii, et providentiae Dei dirigentis et protegentis*, *Nego* (3).

2° Atqui neque speciale auxilium ratione *beneficii* requiritur. Ergo. Sane: unicuique formae seu virtuti competit potestas ad propriam operationem. Atqui virtus perseverantiae est forma connaturalis ad actum perseverandi. Ergo.

Resp. dist. mai.: competit potestas in suum actum iuxta *conditionem* tamen *subiecti* cui forma inhaeret, *Conc.;* praeter hanc conditionem, *Nego. Contr. min.: per se, Conc.:* ratione *subiecti*, Nego. — Virtus perseverantiae cum inhae-

---

(1) *De don. pers.*, l. c.

(2) Sess. VI, can. 16.

(3) Cf. hic ad 1m et 2m, ubi tamen respondetur *virtutem* perseverantiae, qua quis habet *propositum* perseverandi, non esse idem cum perseverantia de qua hic agimus, quae nempe est *continuatio* in bono usque in finem.

reat subiecto vertibili et mutabili, quod est humana voluntas, deficere potest non quidem per se, sed per accidens. Egregie S. Thomas: « Virtus liberi arbitrii (etiam in iusto) non se extendit ad hunc effectum, qui est perseverare finaliter in bono; quod sic patet: Potestas enim liberi arbitrii est respectu eorum quae sub electione cadunt; quod autem eligitur est aliquod particulare operabile; particulare autem operabile est quod est *hic* et *nunc:* quod igitur cadit sub potestate liberi arbitrii est aliquid ut *nunc* operandum; perseverare autem *non* dicit aliquid ut *nunc* operabile, sed *continuationem* operationis per totum tempus; iste igitur effectus, qui est perseverare in bono, est supra potestatem liberi arbitrii. Indiget igitur homo ad perseverandum in bono, auxilio divinae gratiae » (1).

3° Atqui etiam ratione subiecti perseverantiae virtus continet potestatem actu perseverandi. Ergo. Sane: Christus plus homini lapso restituit, quam Adam habuit et per peccatum amisit. Atqui, docente S. Augustino, Adam absque alio auxilio potuit perseverare (2). Ergo et homo lapsus, si iustus sit, non indiget nova gratia *actuali*.

Trans. min.: dist. conseq.: non indiget nova gratia *habituali Conc.; actuali, subdist.: entitative* diversa, *Trans.;* alia gratia ratione *beneficii* et *providentiae, Nego.* — Haec est differentia, ex doctrina S. Augustini, inter gratiam actualem Adae collatam, et illam quam Christus nobis meruit. Gratia Adae dedit illi *posse* perseverare, quin opus fuerit alia gratia *sanante* naturam, non tamen dedit actum perseverantiae. Gratia autem Christi confert iustis omnibus potestatem perseverandi, et insuper pluribus confert donum, quo actu perseverent (3).

(1) C. G., l. c.
(2) *De Natura et gr.*, c. 48, PL, 44, 274.
(3) Hic, ad 3m.

QUAESTIO II.

De gratia Dei quantum ad eius essentiam.

Gratia considerari potest vel *entitative* quoad suam quidditatem, vel *effective* quoad effectus 'quos ipsa producit, vel quorum est radix et fundamentum. De gratiae effectibus, quorum etiam cognitio ad absolutum gratiae conceptum valde confert, agemus in Parte III, ubi de iustificatione et de merito sermo erit. In hac quaestione quae sit ipsa gratiae essentia investigandum est. Quatuor articulis hanc tractationem S. Thomas absolvit.

In primo inquirit de *genere remotissimo:* utrum gratia ponat aliquid in anima, idest num ea sit ens *reale*, vel logicum.

In secundo agit de *genere proximo:* utrum sit *qualitas,* ubi etiam quae sit huius qualitatis natura ex suo effectu formali statuendum est.

In tertio de *differentiali* conceptu: an sit virtus.

In quarto de gratiae *subiecto*, cuius notio semper confert et quandoque necessaria est ad perfectiorem cognitionem specificae differentiae formae accidentalis, quae suum esse habet ex subiecto cui inhaeret.

Articulus I.

Utrum gratia ponat aliquid in anima.

Praenotanda. — 1° Ut status quaestionis rite percipiatur revocandum est quod iam alibi innuimus, *tripliciter* secundum communem loquendi modum gratiam accipi: *a*) *active* seu fundamentaliter, pro dilectione vel benevolentia qua quis alium prosequitur; *b*) *formaliter,* pro ipso

dono gratis dato; c) passive ex parte donati, pro recompensatione beneficii accepti. Horum trium secundum pendet a primo et tertium a secundo (1).

Quaerimus igitur num gratia gratum faciens, et praecipue *gratia iustificans,* de qua hic magis proprie est sermo, sumenda sit primo modo tantum, ita ut nil aliud inferat quam dilectionem Dei habentis hominem gratum, an vero etiam secundo modo, seu formaliter accipienda sit, tamquam donum aliquod supernaturale in homine a Deo proveniens. Brevius; inquirimus utrum gratia sit ens aliquod *reale* in anima iusti a Deo productum, vel sit simplex *relatio logica*, seu denominatio extrinseca.

2° *Errores.* — Protestantes qui elevationem primi hominis ad statum iustitiae originalis tamquam elementum constitutivum, vel tamquam naturalem proprietatem creaturae rationalis habendam esse docebant, consequenter negarunt gratiam, qua homo lapsus iustificatur, esse aliquid *reale* in ipso. Cum enim etiam post adeptam iustificationem gratuitam remaneat in nobis concupiscentia, et hinc corruptio naturae per Adae peccatum invecta, in nobis etiam iustificatis perduret; gratia, qua iustificari dicimur nequit esse aliquid animae nostrae *intrinsecum,* sed est mera Dei *benevolentia extrinseca*, nullum realem effectum in anima producens, sed tantum peccata non imputans, ob iustitiam Christi. Gratia igitur ex Reformatorum conceptu nil aliud est in homine lapso, quam simplex *relatio logica* ad *iustitiam realem Christi*; ex qua oritur in Deo benevolentia, qua peccata, quae semper in hac vita manent, non imputat (2).

(1) Cf. h. a.

(2) In libro *Concordiae, solid. declar.* III *De fide iustific.* § 48, hoc principium ponitur: « In nostris Ecclesiis... extra controversiam positum est: totam iustitiam nostram *extra nos* esse quaerendam... eamque in solo D. N. J. Christo consistere ». Et Calvinus scribit: « Nos iustifica

In hoc erroneo gratiae conceptu Reformatoribus praeiverant *Pelagiani*, quibus etiam iustificatio impii, non aliud est, quam *peccatorum remissio* (1).

3° *Doctrina Ecclesiae* huic conceptioni nominalisticae gratiae iustificantis e diametro opponitur, et statuit gratiam qua iustificamur, diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, eosque intrinsecus renovare.

CONCLUSIO

Gratia iustificans est donum reale nobis intrinsecus collatum, non autem solus favor Dei extrinsecus.

De fide est gratiam non esse meram relationem logicam, sed esse *relativum reale* in anima, quae eam recipit: « Si quis dixerit (definit Conc. Trid.) homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei: a. s. (2).

---

tionem simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos, pro iustis habet. Eamque in peccatorum remissione ac iustitiae Christi imputatione positam esse dicimus ». *Inst.*, l. III, c. 11. n. 2; et ibid. n. 3: « Quum itaque nos Christi intercessione iustificet Deus.., iustitiae imputatione nos absolvit; ut pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus ». Cf. Bellarmin. *De gr. et lib. arb.*, I, c. 3. - Gotti, q. 3, dub. 2. - Möehler, *Symbol.*, l. I, c. 3, § 14. - Schwane, *Dogmenengesichte*, vol. III, § 14. Quoad originem historico-psychologicam huius systematis lege Denifle, *Lutherus et Lutheranismus*, vers. ital: Romae, 1905. Introd., p. 19; l. I, p. 98 et passim.

(1) Cf. Conc. Milev. II, can. 3. Denz., 67. S. Augustinus scribit: « Istam quippe gratiam, qua iustificamur, idest, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum S., qui datus est nobis, in *Pelagii* et *Coelestii* scriptis, quaecumque legere potui, nunquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, fateri. *De gr. Chr.*, c. 30, PL, 41, 375.

(2) Sess. VI, can. 11.

Hac definitione explicite damnatur error *Pelagii* et *Protestantium,* et asseritur realis diffusio doni sanctificantis in anima iusti. Ipsa enim « iustificatio (ut loquitur idem Conc.) non est sola peccatorum remissio, sed et *sanctificatio*, et *renovatio interioris hominis*... unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus » (1).

Probatur concl. — 1° *Ex S. Scriptura.* — *a*) Argumentum classicum et tum per se, tum praecipue *ad hominem* contra errorem protestanticum validissimum, eruitur ex fundamentali Pauli doctrina de reintegratione hominis lapsi in sanctitatem primi parentis per Redemptorem: *Renovamini* (scribit ad Ephesios) *autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* (2). In quod testimonium scite animadvertit Augustinus: « Quomodo renovari dicimur, si non hoc accipimus, quod perdidit primus homo? » (3) Iamvero ex sententia Reformatorum iustitia et sanctitas, quam perdidit Adam, realiter ipsi inerat, imo veluti comprincipia naturae spiritualis aderant (4). Ergo etiam in iustificatis post lapsum sanctitas per merita Christi restituta *realiter* inest.

b) *Speciatim* et *directe*. Gratia, qua iustificamur, non solum vocatur *donum Dei* (ἡ δωρεά) (5); et *data* (τῇ δοθείσῃ)

---

(1) Ibid. cap. 7.

(2) IV, 23-24.

(3) *De Gen. ad litt.*, c. 24, PL, 34, 230.

(4) Cf. Lut. *In Gen.*, c. 3. Cf. Moehler, op. c., l. I, c. 1, § 2. Et Calvinus scribit: « His praeclaris dotibus (rationis et voluntatis) excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, iudicium non modo ad terrenae vitae gubernationem suppeterent, sed quibus transcenderent usque ad Deum ad aeternam felicitatem... In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo si vellet, adipisci posset aeternam vitam ». *Inst.*, l. I, c. 15, § 8.

(5) *Rom.*, V, 15.

nobis effertur (1); sed et nobis inesse dicitur ut *sigillum impressum et pignus commissum* (2); ut *unctio accepta* (3); ut *semen* insitum (4).

c) Quin imo ita gratia nobis inhaeret, ut *crescere* possit, vel *imminui: Noli* (scribit Apostolus ad Timotheum) *negligere gratiam, quae in te est* (μή ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος), *quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (5). Heic licet forte non sit directus sermo de gratia sanctificante, tamen saltem agi de dono supernaturali in genere gratiae, quod in anima ponatur per sacramenti virtutem, negari nequit (6). Et iterum explicatius: *Admoneo te ut resuscites* (ἀναζωπυρεῖν - excitare, fovere) *gratiam Dei* (τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ), *quae est in te per impositionem manuum mearum* (7). Et Petrus eodem sensu: *Crescite* (inquit) *in gratia* (αὐξάνετε δὲ ἐν χάριτι) *et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi* (8). Haec omnia, ne metonymice quidem intelligi possunt, de extrinseco favore vel de mera remissione peccatorum, absque intrinseca et reali ipsius iustificati renovatione.

2° *Ex doctrina S. Augustini,* qui non solum contra Pelagianos ostendit praeter remissionem peccatorum admittendum esse donum positivum animam sanctificans (9), sed

(1) I *Cor.*, I, 4.

(2) ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. II *Cor.*, I, 22.

(3) I Ioa., II, 27.

(4) *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

(5) I *Tim.*. IV, 14.

(6) Cf. Tirini et Gordoni in h. v.

(7) II *Tim.* I, 6, Omnes Patres post Ioa. Chrysostomum, de gratia Dei sanctificante haec verba intelligunt.

(8) Cf. II Petr., III, 18.

(9) Cf. *De gr. Christi*, l. c. - *Contr. Jul.*, I, c. 6, ubi contra sententiam Pelagii, qui « putabat gratiam Dei in sola remissione peccatorum versari, non autem in *diffusione* caritatis »; affert hoc testimonium Ioa. Chrys. ex hom. ad neophytos: « Multis quidem videtur coelestem gra-

diligenter praeoccupat fundamentalem obiectionem Reformatorum, qui ex eo quod iustitia nostra vocetur iustitia Dei et Christi, arguebant eam non inesse nobis propriam. Sic in illud Rom. III, 21: *Iustitia Dei manifestata est, per fidem Jesu Christi,* ait: « Non dixit iustitia hominis... sed iustitia Dei, *non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem* cum iustificat impium... Sicut ista fides Christi dicta est non qua Christus credit; sic et iustitia Dei, non qua Deus est iustus. *Utrumque enim nostrum est;* sed ideo Dei et Christi dicitur, quod eius nobis largitate donatur. Vide quid sequatur: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Non itaque iustificati per legem, non iustificati per propriam voluntatem, sed iustificati gratis per gratiam ipsius » (1). Denique concludit: « Haec est iustitia Dei, quam non solum docet (Christus) per legis praeceptum, verum etiam dat per Spiritus donum » (2).

3° *Ex ratione* - *a*) *Ob efficaciam dilectionis divinae.* Sane: hominem habere Dei gratiam, idem est ac esse a Deo dilectum. Atqui dilectio Dei, quae respicit terminum sibi extrinsecum, causare debet effectum aliquem realem, intrinsecum dilecto. Est enim dilectio, *qua talis,* tendentia in aliquod obiectum propter eius bonitatem, et in hoc *analogice* conveniunt amor Dei et amor hominis, quod ambo respiciunt bonitatem obiecti amati. Atqui per hoc differunt dilectio Dei

---

tiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores computabimus decem. Hac enim de causa infantes baptizamus... ut eis addatur *sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi,* ut eius membra sint. » PL, 44, 654 sqq. — Aliorum Patrum effata infra ubi de Iustificatione. Cf. BELLARMINUM. *De Inst.,* II, c. 8 sqq.

(1) *De spir. et litt.,* c. 9, n. 15, PL, 44, 209.

(2) Ib. c. 32, n. 56, PL, 44, 257. — Ipse Calvinus fatetur contrarium Augustinum, scribens: « Nec Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio per omnia recipienda est. Tametsi enim egregie hominem omni iustitiae laude spoliat, ac totam Dei gratiae transcribit; gratiam tamen ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per spiritum regeneramur ». *Inst.* III, 11, n. 15.

et dilectio hominis, quod ista, cum sit ex se mere *affectiva* et simpliciter subiecto *immanens, supponit,* saltem ex parte, *non* autem *facit* bonitatem obiecti: illa autem, scilicet dilectio Dei, cum sit *virtualiter transiens*, fecundissima et essentialiter effectiva, ipsam bonitatem obiecti efficit. Quod quidem hoc pacto probari potest: Dilectio Dei nequit praesupponere bonitatem *obiecti;* quia secus ab hoc determinaretur, et ab eo dependeret; debet igitur ipsa causare obiecti bonitatem: quia supponi nequit actus Dei respiciens creaturam et in ea terminans, quin effectum realem in eadem producat (1).

b) *Ob novam relationem quae per iustificationem inducitur inter Deum et hominem.* Deus enim peccatorem iustificans, diligere eum incipit tamquam amicum, quem prius veluti inimicum oderat; hinc *relatio* inter Deum et hominem post iustificationem est *realiter* diversa. Atqui relatio realis esse nequit ex parte Dei, qui mutari nequit. Ergo *realis* esse debet ex parte creaturae (2).

Obiectiones. — 1° Sicut homo habere dicitur gratiam Dei, ita etiam gratiam hominis. Atqui gratia, seu dilectio hominis nil realis ponit in dilecto. Ergo neque dilectio Dei realiter immutat animam dilecti.

Resp. dist. mai.: analogice, Conc.; univoce, Nego. Contr. min.: nec aliquid ponit nec praesupponit, *Nego;* non ponit,

---

(1) Cf. h. art. - C. G., III, 151, ubi egregie sic arguit: « Dilectio Dei est causativa boni quod in nobis est, sicut dilectio hominis provocatur et causatur ex aliquo bono quod in dilecto est; sed homo provocatur ad specialiter aliquem diligendum propter aliquod speciale bonum in dilecto praeexsistens. Ergo ubi ponitur specialis dilectio Dei ad hominem, oportet quod consequenter ponatur aliquod speciale donum homini a Deo collatum. Quum igitur... gratia gratum faciens designet specialem dilectionem Dei ad hominem, oportet quod aliqua specialis bonitas et perfectio per hoc homini inesse designetur ». Cf. etiam *De Ver.*, q. 27, a. 1.

(2) Cf. Gotti, q. III, dub. 1, § 2.

sed praesupponit, *Conc.* — Explicatio ex dictis. Apposite S. Thomas: « Sicut scientia Dei est causa rerum non causata a rebus, ut nostra; ita voluntas eius est *effectrix* boni et non causata a bono sicut nostra. Sic ergo homo dicitur Dei gratiam habere, non solum ex hoc quod a Deo diligitur in vitam aeternam, sed ex hoc quod datur ei aliquod donum per quod est dignus vita aeterna, et hoc donum dicitur gratia gratum faciens » (1).

2° Atqui falsum est dilectionem Dei aliquid ponere in anima dilecti. Sane: *praedestinatio* includit specialem dilectionem Dei. Atqui praedestinatio nil ponit in homine, cum saepe contingat praedestinatus esse peccator. Ergo.

Resp. dist. mai.: Includit specialem dilectionem Dei *efficacem pro omni tempore, Nego;* pro tempore a Deo definito. *Conc.* etc. — Explico: Dilectio Dei dupliciter considerari potest, vel ut est *actio* Dei *immanens*, vel ut dicit *respectum ad extra.* Primo modo est ipsa divina essentia, cum sit actus divinae voluntatis praedestinantis hominem ad vitama eternam: alio modo est actus *virtualiter transiens* et effectum producit eo tempore quo Deus liberrime statuerit.

3° Atqui ita Deus diligit hominem ut nullum effectum positivum per gratiam in eo ponat. Effectus enim gratiae est remissio peccatorum. Atqui remissio peccatorum nihil ponit positivi in anima, sed aufert eius indignitatem. Ergo.

Resp. dist. mai.: Unus ex effectibus gratiae est remissio peccatorum, causata tamen a forma *reali* a Deo in anima producta, *Conc.;* est *solus* effectus gratiae, *Nego* (2)

(1) *De Verit.*, q. 27, a. 1, cf. hic ad 1.

(2) Hic ad 3. De variis effectibus gratiae et de huius relatione ad remissionem peccatorum dicemus infra agentes de iustificatione impii. Alias obiectiones vide *De Verit.*, l. c.

Articulus II.

Utrum gratia sit qualitas.

Cum itaque gratia sit aliquod ens reale animam hominis eiusque potentias intrinsecus afficiens; ens autem analogice dividatur in *substantiam,* et *accidens*, accidentium vero sint plura genera; inquirendum nunc est ad quam entis categoriam gratia pertineat, seu quod sit genus eius proximum et differentia specifica. Haec investigatio fundamentaliter in hoc art. perficitur, cuius summa huc redit: Gratiam formaliter sanctificantem esse *qualitatem* essentialiter supernaturalem animae iusti inhaerentem per modum habitus entitativi permanentis, qua homo efficitur concors divinae naturae, et capax actuum vitae supernaturalis: Gratiam vero *dispositive* iustificantem (actualem) non esse qualitatem, sed *motionem* transeuntem Dei, idest motum quemdam animae, quo a Deo ipsa movetur ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum in ordine ad salutem. Ut hanc doctrinam, quae substantialiter dogmatica est, maiori claritate evolvamus, distinctis paragraphis de gratia habituali et actuali agemus.

§ 1. *De natura gratiae sanctificantis.*

Praenotanda. — 1° Genuino gratiae sanctificantis conceptui, quem ex S. Thoma mox retulimus, plures erroneae sententiae tum antiquorum, tum praesertim recentiorum opponuntur. Sunt enim qui per *excessum* peccantes, docent gratiam habitualem esse *substantiam* et quidem *increatam*, idest vel ipsam *divinam naturam,* vel Spiritus S. Personam, quarum immediata et quasi formali unione iustus sanctificatur; dum alii e contra per *defectum* errantes, ne-

gant eam esse entitatem quandam animae iusti *habitualiter inhaerentem,* a Deo et ab ipsa animae substantia realiter distinctam, sed asserunt gratiam iustificantem nil aliud esse, quam merum *ius* ad auxilia Dei supernaturalia, vel ipsam divinorum auxiliorum *seriem,* vel *modum* quendam *relativum* ad Spiritum S. inhabitantem et auxiliantem non realiter ab animae substantia distinctum, sed cum ea entitative identificatum.

Nostrum igitur erit distinctis conclusionibus haec quatuor ostendere: *a*) Gratiam sanctificantem non esse substantiam, sed donum *accidentale* creatum; *b*) esse donum *permanens* in anima per modum qualitatis habitualis; *c*) ab anima cui inhaeret realiter *distinctum; d*) quo *esse deificum* formaliter et physice, etsi analogice tantum, animae iusti communicatur.

CONCLUSIO I.

Gratia, qua formaliter iuxtificamur est donum accidentale creatum, non autem Spiritus S. Persona, vel divina natura immediate animae iusti communicata.

Status quaestionis. — Haec conclusio in eo quod adstruit ad formalem sanctificationem requiri etiam *aliquod creatum donum accidentale,* defenditur communiter post Conc. Tridentinum tamquam doctrina fidei (1). In eo autem, quod a *formali causalitate* iustificationis excludit quodlibet donum *substantiale*, est *saltem* theologice certa. Huic doctrinae diversa ratione adversantur:

a) *Ossiander* ex Reformatorum secta, qui Lutheri theoriam de iustitia Dei iustificante logice evolvens, docuit,

---

(1) Cf. Bellarminum, *De gr. et lib. arb.*, 1, c. 3. - Suarez *De gr.*, l. 6, c. 3. - Gregor. De valentia, disp. I, q. 3, punct. ult. - Ripalda, *De ente super.*, disp. ult. n. 27. - Gotti, q. 13, dub. 2, § 1.

hanc fieri proprie formam intrinsecam nostrae iustificationis, inde inferens, gratiam qua iusti efficimur esse potius *substantiam,* quam accidens (1).

b) *Petrus Lombardus,* qui rationem formalem doni sanctificantis in ipsa Spiritus S. persona in iusto inhabitante statuisse videtur. Ipse nimirum concedit quidem esse in anima iusti habitus creatos fidei, spei aliarumque virtutum, quae sunt caritate inferiores, sed negat infundi habitum caritatis. Nullum enim, ut ipse putat, fingi potest tam excellens donum creatum, quod esse possit tamquam principium connaturale *dilectionis divinae.* Hinc asserit Spiritum S. per *seipsum immediate* animam iusti in qua permanenter inhabitat ad actus caritatis excitare, dum e contra ipse Spiritus S. ad actus aliarum virtutum eam movet mediantibus habitibus infusis. Cum autem sola caritas sit ex doctrina *Magistri,* divina virtus qua filii Dei efficimur et divinae consortes naturae, necessario consequitur donum gratiae vere sanctificans esse Spiritum Sanctum (2).

---

(1) Cf. Gotti, l. c. - Klee, *Dogmengesichte,* p. II, c. 5. - Calvinus quidem opinionem Ossiandri ut *monstrum* excludit (*Inst.*, III, c. 11, n. 5). Attamen non immerito inter fautores indirectos *substantialitatis* gratiae giustificantis ipse Calvinus et Lutherus recensentur. Gratia enim primi hominis ex eorum sententia ad essentialia ipsius naturae spiritualis spectabat; vel certe illi inerat tamquam naturalis *proprietas* ab anima non distincta. Gratia autem, qua homo lapsus iustificatur, est increata iustitia Dei, qua ipse iustus est. Haec quidem iustitia Dei, iuxta eosdem, non fit homini intrinseca, sed ipsi imputatur tantum; sed tamen ex eorum modo loquendi haberi debet ut vestimentum, vel tegmen quo impii peccata cooperiuntur.

(2) I, dist. 17. Haec singularis sententia ita exponitur a S. Thoma: « Magister ponit, quod caritas non est aliquid creatum in anima, sed ipse Spiritus S. mentem inhabitans; nec est sua intentio, quod iste *motus* dilectionis, quo Deum diligimus sit ipse Spiritus S., sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu S., non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu S. sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum ». II, II, q. 23 a. 2; cf. etiam I, dist. 17, q. 1 a 1.; II,

c) Ab hac Petri Lombardi sententia non multum absimilis videtur opinio Petavii, qui sanctificationem adoptionemque divinam non tam aliqua qualitate creata, quam per ipsam gratiam increatam, idest per Spiritum S. *quasi* per *formam* in nobis effici contendit. Is enim, adducto testimonio S. Cyrilli Alex. in quo Spiritus S. dicitur « per seipsum in nobis operans, vere sanctificans et uniens nos sibimetipsi dum nos secum copulat, ac divinae naturae participes reddens (1), subiungit: « Quod verum non esset si nos sanctos ac Dei filios qualitas aliqua, quantumvis excellens, at creata et Deo longe inferior, redderet ». Et subinde, relato simili eiusdem Doctoris asserto, concludit: « Manifestum est ex eo Deum Patrem nos per Spiritum S. sanctos facere, et in nobis habitare, adeoque nos ipsa Spiritus S. substantia tales exsistere, *non creatae* rei alicuius interiectu, tamquam formae praecipuae. Nunc illud e Cyryllo satis habemus effici: *Spiritum S. applicatione quadam substantiae suae, non interveniente re creata, nos veluti formare et in sanctitatis adoptionisque statu consistere* (2). - Idem docet Thomassinus (3).

---

dist. 26, q. 1 a 1. — Vega mitius explicat doctrinam Lombardi: « Si bene (scribit) perpendamus verba Magistri, liquidum sane erit ad actus caritatis illum existimasse Spiritum Sanctum immediate per se absque ullo habitu concurrere; sed nunquam potest satis ex eo constare an etiam crediderit per ipsum Spiritum immediate et absque ullo habitu nos esse iustos et Deo acceptos ad vitam aeternam ». *De Inst.*, l. 7, c. 1. Verumtamen, cum aliunde constet Lombardum docere nos *iustificari* formaliter per caritatem (cf. II, dist. 26), et subinde contendat *Spiritum S. esse caritatem*, negari nequit rationem formalem sanctificationis in Spiritus S. inhabitatione et excitatione ipsum reponere. - Cf. KLEUTGEN, *Theol. Vet.*, vol. 2, n. 263. - FRANZELIN, *De Deo Trino*, thes. 43. - MAZZELLA, *De gr.*, n. 910, sqq.

(1) *Thes.*, *ass.* 34, PG, 75, 597.

(2) *De Trin.*, l. 8, c. 4, n. 8.

(3) *De Incarn.*, l. 8, c. 4, 6.

Hi igitur auctores, etsi *forte* non negent (quemadmodum a pluribus incusantur) exsistentiam gratiae creatae accidentaliter iustis inhaerentis, causam tamen formalem et praecipuam nostrae sanctificationis, non ab illo dono creato repetunt, sed ex immediata eaque substantiali Spiritus S. applicatione (1).

d) Huc referri potest celebris sententia *Lessii*, qui distinguens inter *iustificationem*, et *filiationem* adoptivam, docet donum creatum gratiae inhaerentis *iustum* quidem et Deo gratum hominem constituere, non autem *filium Dei adoptivum*. Haec quippe divina adoptio formaliter efficitur per ipsum Spiritum S., cui suscipiendo gratia creata hominem disponit, illique quoddam ius ad immediatam coniunctionem cum persona divina confert. « Sumus ergo (ita Lessius) filii Dei (adoptivi) proprie et formaliter non tam per donum aliquod creatum secundum suam physicam entitatem consideratum, quam per inhabitationem et possessionem Spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras; sive per gratiam habitualem, quatenus haec facit nos possidere Spiritum Dei » (2).

e) Rosmini quoque theoria de ordine supernaturali huc tandem redit, ut sanctificatio nostra formalis non tam fiat dono accidentali creato, quam per immediatam coniunctionem Verbi in plenitudine suae formae realis cum intellectu iusti; ex qua coniunctione, seu supernaturali Verbi communicatione consequitur, tamquam effectus, in homine

---

(1) Cf. SCHEEBEN, *Dogm.*, vol. III, n. 840.

(2) *De perfectionibus div.*, l. 12, c. 11. - Idem docet *De Summo Bono*, l. 2, c. 3. - Cf. KLEUTGEN, l. c. n. 260. - Etiam SCHEEBEN huic opinioni substantialiter adhaeret. Duplicem enim distinguens sanctitatem, *nempe iustificantem* et *consecrantem*, illam gratiae creatae, hanc tribuit Spiritui S. animas iustorum inhabitanti. Cf. l. c., § 169 n. 832 sqq.

iustificato *sensus quidam* deiformis, qui praecise est lumen *gratiae* (1).

f) Demum ii omnes qui realem distinctionem inter substantiam creatam et accidens negantes, nullum accidens a substantia distinctum admittunt, cohaerenter asserere coguntur gratiam sanctificantem vel esse *meram relationem logicam*, vel esse quid substantiale. — De hac sententia infra.

Contra hos omnes igitur probandum est causam formalem et quidem *unicam* nostrae iustificationis esse donum creatum accidentale, non autem Spiritum S., vel substantiam sive increatam sive creatam.

I. **Probatur prima pars**: — *Nos sanctificari formaliter per accidens supernaturale creatum* legitime arguitur:

1° *Ex doctrina Conc. Tridentini;* quod explicite declarat: « *Unicam formalem causam* (nostrae iustificationis) esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae... iustitiam in nobis recipientes unusquisque secundum suam mensuram » (2). Haec autem iustitia Dei qua nos iusti efficimur exhibetur tamquam *gratia* et caritas per Spiritum S. infusa in cordibus iustorum atque illis inhaerens: « Si quis dixerit homines iustificari... exclusa gratia et caritate quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis *inhaereat* a. s. ». (3). Gratia itaque sanctificans ex Tridentino est forma inhaerens animae quae non est ipsa iustitia Dei, quaeque a Spiritu S. diffunditur. Atqui quod *inhaeret* alteri est *accidens;* nam propria accidentis natura est *inesse* alii (4).

---

(1) Haec theoria, quae ceteroquin quoad substantiam est corollarium Ontologismi, proscribitur in Decreto S. Officii 1888, prop. 36-37.

(2) Sess. VI, c. 7.

(3) Ibid. can. 11.

(4) Hanc vere fuisse Patrum tridentinorum mentem constat etiam ex iis quae narrat PALLAVICINI (*Hist. Conc. Trid.,* l. 8, c. 14, n. 3)

Item, ex eodem Concilio gratia est entitas quae *intrinsece* unitur animae; per eam enim « *renovamur spiritu mentis nostrae* ». Atqui haec entitas nequit esse forma *substantialis*; nam proprium est formae substantialis sic uniri subiecto a quo recipitur ut illius speciem mutet. Iamvero per susceptionem gratiae anima hominis non *specifice* mutatur. Ad rem S. Thomas: « Necesse est gratiam in genere accidentium poni. Cuius ratio est, quia omne illud quod advenit alicui post esse completum, *accidentaliter* se habet ad ipsum; unde cum gratia post esse animae sibi adveniat, non est aliquid de essentia eius; unde oportet quod accidentaliter ad ipsam se habeat... non enim invenitur aliqua forma in genere substantiae, quae alteri accidentaliter adveniat » (1).

2° *Ex ratione theologica.* — Gratia iustificans id homini restituit quod per Adae peccatum ablatum est. Atqui Adam per peccatum non quidem proprietate seu parte aliqua substantiali sive naturali privatus est, sed amisit tantum donum gratuitum elevationis ad ordinem supernaturalem et iustitiae originalis statum. Ergo.

II. Probatur secunda pars: — *Spiritus S. non est forma nostrae sanctificationis, sed est huius causa efficiens.*

1° *Ex S. Scriptura,* quae distinguit inter Spiritum S.

Postulantibus nempe quibusdam Patribus ut *ratio accidentalis* gratiae sanctificantis explicitius declararetur definiendo eam esse *habitum*, plerique responderunt hoc satis explicari per verbum *inhaerere.*

(1) II Sent. dist. 26, q. 1 a. 2. — In hoc autem art. ad 2, Angelicus probat intrinsece repugnare substantialitatem gratiae *creatae;* esset enim natura quaedam *supernaturalis in ratione naturae.* « Dicendum quod omnis substantia vel est ipsa natura rei, cuius est substantia, vel est pars naturae; secundum quem modum materia, vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse quod sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae ». Cf. SUAREZ, *De Gr.*, l. 6, c. 2, n. 2. GOTTI *De Gr.*, q. 3, dub. 2, § 1.

et gratiam ut inter causam et effectum. Sic Apostolus: « *Caritas Dei diffusa est* (ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται - idest, *effusa est*) *in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* (1): hoc testimonio *Caritas Dei* nequit intelligi, saltem *exclusive, caritas increata* quae est Spiritus S. persona. Nam: *a*) Haec interpretatio post Conc. Trid. non amplius videtur probabilis. Cum enim Conc. definiat nos iustos esse iustitia Dei « *non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit* » pari ratione dicendum est nos esse amicos et amatores Dei non amore et caritate, qua ipse se amat, sed qua facit ut nos illum amemus. *b*) Contextus ipse hunc sensum exigit; nam caritas Dei, quae dicitur effusa in cordibus nostris exhibetur ab Apostolo tamquam ratio, vel fundamentum cur *spes nostra non confundat*, idest firma sit, nec frustranea: *Spes autem non confundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Ergo sicut spes est in nobis habitus seu virtus, qua divina promissa nobis donari certo confidimus, ita et caritas et virtus, qua nos Deum amamus; neque enim fundamentum proximum nostrae spei esse potest caritas qua Deus se amat, sed utique est amor, quo nos Deum amamus. *c*) Hinc S. Ioa. Chrysostomus et alii pauci qui in allato testimonio sermonem esse putant de caritate *increata*, hanc spectant ut causam efficientem illius caritatis, quae est in nobis diffusa (2).

(1) *Rom.*, V, 5.

(2) Cf. Sa in h. v. — Joa. Chrysost., Ambrosius, Caietanus et Toletus censent quidem intelligendam hic esse caritatem, quae est in Deo, qua nos ipse diligit; attamen non excludunt caritatem creatam in nobis diffusam per Spiritum S. — S. Augustinus aliique Patres post ipsum intelligunt gratiam et caritatem, qua nos Deum diligimus. — De *utraque* caritate iunctim haec exponunt Origines, Theodoretus, Oecumenius et S Thomas. — Itaque iuxta hanc expositionem *primum* fundamentum nostrae spei est benevolentia Dei erga nos; *proximum* utem est caritas qua Deum diligimus et sumus amici Dei; Deus enim amicos suos in se sperantes non confundit. Cf. Tirini, Menocchi et Gordoni in h. v.

2º *Ex Conc. Trid.* quod expresse docet *unicam* causam nostrae iustificationis esse iustitiam Dei, qua nos iustos facit, quam in nobis recipimus « *unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem* » (1). Insuper definit hanc « *iustitiam acceptam conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera* » (2). Itaque, si Spiritus S. *est partitor,* seu distributor nostrae iustitiae, si haec datur nobis *unicuique propria* secundum mensuram; si haec *augeri* potest; haec iustitia nequit esse Spiritus S. Haec tamen *unica causa formalis* nostrae iustificationis asseritur. Ergo Spiritus S. est quidem *auctor* gratiae sanctificantis, non autem ullimode ipsa gratia formaliter sanctificans.

Corollaria. — *Ex dictis consequitur:* 1º Spiritum S. neque haberi posse tamquam *partialem formam* nostrae sanctificationis. Concilium enim Trid. nunquam reale discrimen inter gratiam *iustificantem,* et *gratiam sanctificantem* et *adoptantem* inducit; sed ipsam iustificationem exponit simpliciter tamquam *translationem a statu peccati primi Adam, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei* (3). Assertores quidem contrariae sententiae ut huius argumenti pondus eludant, contendunt scopum *Concilii* hunc tantum fuisse, ut realitatem iustificationis nostrae per interioris hominis renovationem assereret contra extrinsecam et mere imputatam iustificationem Reformatorum (4). Sed haec exceptio non valet. Licet enim concedamus exclusionem erroris *protestantium* fuisse praecipuum Concilii scopum, negamus tamen hunc fuisse *unicum.* Quin imo quaestio

(1) Sess. VI, cap. 7.
(2) Ibid. can. 24.
(3) Ib. cap. 4.
(4) Cf. LESSIUM et SCHEEBEN, ll. cc.

haec fundamentalis de iustificatione a tridentinis Patribus ample, integre, absolute et positivo modo exponitur. In hoc ipso cap. 7, Sess. VI, quod inscribitur: « *Quid sit iustificatio impii, et quaenam sint eius causae* » omnes iustificationis causae etiam quas Reformatores nobiscum admittebant, enumerantur, asserto unicuique earum proprio effectu. Itaque, quemadmodum ceterae iustificationis causae, v. gr. *efficiens, meritoria, finalis* etc., proprio sensu intelliguntur, sic quae designatur tamquam *unica causa formalis, sensu proprio* et *exclusivo* talis esse credenda est.

2° Item, consequitur gratiam formaliter sanctificantem non esse utcumque substantiam divinam, sive increatam; quin imo nequit omnino substantia divina fieri *forma sanctificans*. Ea enim concipi posset uniri animae nostrae vel per modum *speciei* seipsam intellectui nostro intentionaliter manifestando; vel per modum *hypostasis*; vel demum per modum *formae* ab anima receptae, et hanc intrinsecus modificantis. Atqui non unitur tamquam *species intentionalis*, quia iusti non vident Verbum, seu Deum, quod proprium est beatorum in patria; neque coniungitur *hypostatice*, quia iusto non communicatur ipsum *esse* et *subsistere* divinum substantialiter, quod uni humanitati Christi confertur; nec denique unitur per modum verae *formae*, quia proprium est formae *limitari* a subiecto in quo recipitur; nequit enim forma recipi nisi iuxta capacitatem subiecti. Ergo forma sanctificans est *accidens creatum*. Egregie S. Bonaventura hanc ipsam doctrinam contra Lombardum defendit, statuens hanc conclusionem: « Praeter donum increatum quod comparatur ad gratiam sicut principium effectivum, ponendum est donum creatum per quod anima informetur » (1).

---

(1) II Sent. dist. 26 art. un. q. 2, ubi ita rem declarat: « Circa hanc quaestionem (num scilicet gratia, quae in gratificato ponitur, sit

Scholia. — 1. *Doctrina Patrum de nostra sanctificatione per Spiritum Sanctum.* - Quae a Petavio, Thomassino, *Lessio* aliisque paucis theologis (1) congeruntur testimonia Patrum, praesertim graecorum, in quibus sermo est de Spiritu S. nos *immediate sanctificante,* ostendunt quidem per gratiam sanctificantem induci in anima iusti speciale ius ad inhabitationem Sp. S. et specialem relationem ad Ipsum, qui est *Caritas increata.* Ostendunt etiam hanc Sp. S. inhabitationem esse veluti *complementum, fastigium,*

---

aliquid creatum) sapientes opinantur contrarium sapientibus... Gratiae enim est *recreare*, *informare*, *vivificare, illuminare*, *assimilare, unire*, *stabilire, acceptum facere*, *sursum levare*. Hos igitur actus quidam (hoc est Petrus Lombardus aliique pauci ipsum ante declarationem Conc. Trid. sequentes) comparaverunt ad gratiam sicut ad principium effectivum. Et quoniam Deus sufficit ad hos actus, vel effectus perficiendos in rationali creatura, et solum Deum decent pro sua dignitate et soli Deo sunt possibiles pro sua difficultate; ideo dixerunt, quod donum creatum ponere ad hos effectus perficiendos in homine est superfluum et indecens et impossibile. Alii vero comparaverunt effectus praedictos ad gratiam, sicut ad *formam*; necessarium est enim quod vivificatio et informatio ab aliquo sit, sicut ab efficiente, et ab aliquo sicut ab informante. Et quoniam nec est possibile, nec decens Deum esse formam perfectivam alicuius creaturae; ideo praeter donum increatum, *quod comparatur ad hos actus,tamquam principium effectivum*, conveniens est et opportunum ponere donum creatum, per quod anima *informatur*. Hanc autem positionem praeferendam credo priori, tum quia *securior*, tum quia etiam *rationabilior*. *Securior*, quia consonat communitati magistrorum, et verbis expositorum, et pietati Sanctorum... *Rationabilior* quia tales actus et effectus (gratiae) non possunt cogitari in nobis esse, quin sint ab aliquo sicut *efficiente*, et ab aliquo sicut *informante*. Quomodo enim actus verus informationis, et vivificationis erit in anima, nisi sit aliqua forma complens, a qua anima informetur? Et ideo secundum hanc positionem comparatur *ipsa gratia* creata influentiae luminis, et *principium* eius comparatur soli... Quia sicut ab isto sole materiali influit lumen corporale in aere, per quod aer formaliter illuminatur; sic a sole spirituali, qui Deus est, influit lumen spirituale in animam, a quo anima formaliter illuminatur, et reformatur, et gratificatur, et vivificatur ». Cf. etiam I sent. dist. 17, p, 1, q. 1.

(1) Cf. Scheeben, op. c., vol. 2, n. 832, sqq.

et *terminum* nostrae sanctificationis, quatenus huius finis est unio creaturae rationalis cum Deo Summo Bono et ultimo fine supernaturali (1). Attamen minime probant ipsum Spiritum S., vel Deum esse gratiam formaliter sanctificantem. Dum enim asserunt Patres Spiritum S. « *per seipsum in nobis operari, vere nos sanctificare, uniendo nos sibimetipsi et divinae naturae participes nos reddendo* » (2) atque ex hac sanctificandi virtute quae Ipsi competit proprio iure arguunt eius divinitatem; nil aliud sibi volunt quam hoc: *Spiritum Sanctum* esse ex sese *sine alicuius creaturae interiectu vel ministerio causam efficientem sanctificationis et huius terminum:* non autem fieri per sui inhabitationem *causam formalem* sanctitatis nostrae. Quin imo S. Spiritus inhabitatio explicite exhibetur a Patribus tamquam *consectarium* et *effectus* gratiae, quae est proprie *forma sanctificans.* Ipse Cyrillus Alex., cuius auctoritate potissimum nituntur defensores sanctificationis formalis per Spiritum S., hoc sensu suam mentem explicat scribens: « Spiritus nos similes Deo reddit per *sanctificationis videlicet qualitatem* (διὰ τῆς ἐν ἁγιασμῷ ποιότητος) » (3). Et alibi loquens de diversis formationis gradibus, per quos homo evehitur usque ad recipiendam formam Christi, ait: « Formatur unusquisque (nostrum) in utero matris suae, et haec via terrae incolas ducit eo ut sint essentiae (naturae humanae) participes. Formatur item homo in filium Dei, intelligibiliter informatus divinarum legum scientia, ad speciem effigiemque excellentem, quae virtutum ornatu in animis hominum inhaeret et insidet. Formatur etiam veluti

---

(1) Cf. S. Bonav. II dist. 26 l c. - Scheeben, l. c., n. 873 sqq.

(2) Cyr. Alex., *thes.*, *ass.* 34, PG, 75, 597-98 et lib. 9 in *Ioa.* PG, 74, 259 etc. - Cf. Patavium, *De Trin.*, l. c. et *De Incarn.*, l. 2, c. 8. - Thomassinum, *De Inc.*, l. 6.

(3) *Hom. Pasch.*, 10, PG, 77, 618.

in Christo per Spiritus S. participationem ad ipsius speciem... *Formatur autem in nobis Christus, sancto Spiritu nobis divinam quandam formam per sanctificationem et iustitiam immittente.* Sic enim in animis nostris elucet character substantiae Dei et Patris reformante, ut dixi, S. Spiritu nos per sanctificationem in ipsum » (1).

2° *De inhabitatione Spiritus S. in anima iusti.* — Inter primarios gratiae sanctificantis effectus ex S. Scriptura et ex disertissima Patrum doctrina recensenda est inhabitatio S. Spiritus in iustis. Spiritus S. *mitti* dicitur in corda iustorum: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater* (2); dicitur *dari, donari* (3). Ipsi iusti *signati* dicuntur *Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis* (4). Iidem « *aguntur Spiritu Dei* » (5); et sunt *templum* Spiritus Sancti, qui *habitat in illis* (6). His testimoniis innixi Patres asserunt Sp. S. speciali modo in anima iusti insidere veluti in throno, ac templo suo: « In iis (ait Cyr. Alex.) qui credunt in Christum, non simpliciter illustrationem Spiritus

---

(1) *In Isai,* IV, or. 2: Μορφοῦται, γε μὴν ἐν ἡμῖν ὁ Χριστὸς, ἐνιέντος ἡμῖν τοῦ ἁγίου πνεύματος θείαν τινὰ μόρφωσιν, δι᾽ ἁγιασμοῦ καὶ δικαιοσύνης. P. G. 70, 936.

(2) *Gal.*, IV, 6.

(3) *Rom.*, V, 5; Ioa. XIV, 6.

(4) *Eph.*, I, 13-14, IV, 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. in quo signati estis in diem redemptionis.* II *Cor.* 22: *Qui et signavit nos et dedit pignus Spiritum in cordibus nostris.*

(5) *Rom.*, VIII, 14.

(6) *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* I *Cor.*, III, 16; *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo et non estis vestri?* I *Cor.*, VI, 19. Cf. *Rom.* VIII, 9. - Alia plura de hac invisibili missione Spiritus S. afferuntur a Petavio, *De Trin.*, VIII, c. 4, n. 6 et 12 et a Scheeben, *Dogm.*, vol. II, n. 853 sqq.: Horum tamen quaedam potius missionem extraordinariam respiciunt Spiritus S. per dona *gratis data,* quae a Christo Apostolis suis promittitur.

esse censemus, sed ipsum Spiritum penitus inhabitare et hospitari confidemus. Unde iure quoque templa Dei dicimur » (1).

Haec autem inhabitatio dupliciter considerari potest: scilicet vel *efficienter* prout denotat *actum* inhabitationis, vel *terminative* quatenus indicat *terminum* qui inhabitat. Itaque si sumatur *active* nemo ambigit eandem esse opus totius Trinitatis. Cum enim, ut arguit S. Thomas, « eadem virtus sit Patris et Filii et Spiritus Sancti, sicut et eadem essentia, oportet quod omne id quod Deus in nobis efficit sit sicut a causa efficiente simul a Patre et a Filio et a Spiritu Sancto » (2).

Quaestio itaque solum fieri potest de inhabitatione *terminativa*. Hanc esse *personaliter* propriam Spiritus S. Petavius, quem alii pauci sequuntur, contendit (3). Iuxta hanc sententiam Spiritus S. prout est persona distincta a Patre et a Filio est *terminus* proprius inhabitationis divinae in iustis, quatenus haec est formaliter *unio*. Non equidem (aiunt) talis unio *hypostatica* censenda est, sed utique haberi debet ad modum et secundum analogiam unionis hypostaticae. Sicut enim in Incarnatione sola Verbi persona humanae naturae *substantialiter* unitur tamquam terminus realis a quo ea habet *subsistere et esse*, ita in sanctificatione

---

(1) Lib. V *in Ioa.* c. 7, 39. PG. 73, 758. - Alia plurima Patrum testimonia lege apud PETAVIUM, l. c. - THOMASSINUM, *De Inc.*, l. 6, c. 8 sqq. - SCHEEBEN, l. c., n. 855.

(2) *C. Gent.* IV, c. 21. Hinc axioma illud ut doctrina fidei receptum: *actiones Dei ad extra sunt indivisae*, hoc est tres personae divinae una operatione efficiunt quidquid Deus extra se operatur. - Cf. SUAREZ, *De Trin.*, 4, c. 15, n. 5. - PETAVIUM *de Trin.*, l. 4, c. 12. - Vide huius axiomatis defensionem contra Günther apud FRANZELIN, *De Deo Trino*, thes. 12 et KLEUTGEN, *Theol. Vet.*, vol. I, disp. 3, c. 3, § 5.

(3) *De Trin.*, l. 8, c. 4, ubi auctor hanc « *suam opinionem privatam* » ut eam appellat, quibusdam Patrum graecorum effatis probare nititur. - Idem sentit etiam SCHEEBEN, l. c., n. 859 sqq.

Spiritus S. coniungitur animae iusti ut proprius terminus *affective.*

Attamen longe communior theologorum sententia docet inhabitationem divinam in iustis etiam *terminative* esse toti Trinitati communem, et per solam *appropriationem* Spiritui Sancto adscribi (1).

Huic doctrinae omnino adhaerendum censemus. Sane: *a*) S. Scriptura explicite etiam Patri et Filio hanc per gratiam habitationem in iustis tribuit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιησόμεθα) (2).

b) Hoc ipsum exigitur a *finalitate* gratiae sanctificantis, quae in hoc est, ut ea nos uniat inchoative Deo tamquam ultimo fini. Atqui non Spiritus S. ut persona distincta, sed Deus unus et trinus est ultimus finis noster.

c) Demum fide constat *omnia in divinis unum idemque esse ubi non obviat relationis oppositio.* Hinc omnes *respectus* Dei ad creaturas sunt toti Trinitati communes, praeter unum illum, qui fundatur in functione hypostatica, idest in substantiali communicatione *divini subsistere* Verbi. Atqui non unitur Spiritus S. animae iusti *hypostatice,* seu *unione formaliter substantiali,* sed coniungitur per unionem *moralem fundatam in operatione.* Ergo Spiritus S., non est terminus immediatus huius unionis quatenus est persona distincta (3).

Licet autem tota Trinitas iustis se donet atque in eis inhabitet, ideo tamen haec inhabitatio, et generatim opera sanctificationis, frequentius et praecipue Spiritui Sancto a Scriptura tribuuntur, quia ipse a Patre et Filio tamquam

---

(1) Cf. S. Thom., I, p. q. 39 a 7-8.
(2) Ioa., XIV, 23.
(3) Cf. Kleutgen, *Theol. Vet.*, t. 2, n. 272.

amborum *amor* procedit. Ex hoc fundamento specialis titulus exsurgit ut opera sanctitatis « per quam divino amori assimilamur, Deum amantes » ei *approprientur*, qui ex propria processione per modum amoris rationem habet principii omnis sanctitatis et *doni* omnium donorum (1). « Sciendum est (ait egregie Angelicus) quod ea quae a Deo in nobis sunt, reducuntur in Deum sicut in causam efficientem et exemplarem: in causam quidem efficientem, in quantum virtute operativa divina aliquid in nobis efficitur; in causam vero exemplarem, secundum quod id omne quod in nobis a Deo est, aliquo modo Deum imitatur. Quum ergo eadem virtus sit Patris et Filii et Spiritus S... oportet quod omne id quod Deus in nobis efficit, sit sicut a causa efficiente simul a Patre, Filio et Spiritus S.; verbum tamen sapientiae, quo Deum cognoscimus est proprie *repraesentativum Filii; et similiter amor, quo Deum diligimus, est proprium repraesentativum Spiritus Sancti.* Et sic charitas, quae in nobis est, licet sit effectus Patris et Filii et Spiritus S., *tamen quadam speciali ratione dicitur esse in nobis per Spiritum Sanctum* (2).

Objectiones. — 1° Accidens est inferius substantia. Atqui gratia perfectior esse debet anima, quae est substantia. Ergo eo magis gratia esse debet in genere substantiae.

(1) Cf. *S. Theol.*, I, q. 27, c. 4; q. 37 a. 2; q. 38 a 2.

(2) C. G. IV, c. 21, ubi profunde aeque ac pie ex charactere personali Sp. S. indicatur atque illustratur ratio cur effectus sanctificationis, quos Deus in iustis producit (scilicet quod his *se donet, in eis habitet, maneatque in eis et isti in ipso sicut amans in amato et vicissim, quod eos in filios adoptet* etc.), tertiae Personae attribuantur. - Etiam Doctor Seraphicus docet: « *auctoritates* quae asserunt substantiam donorum Dei esse Spiritum Sanctum, intelligendas esse *per causam* et *appropriationem, quia Sp. S. est donum, in quo omnia alia dona donantur et quia est fons omnium donorum* », II Sent. dist. 26, q. 2 ad 1.

Resp. Dist. mai.: Accidens est inferius substantia secundum suum *esse* et *subsistere*, *Conc.:* secundum rationem suae *speciei*, seu *essentiae*, *Subdist.*: accidens, quod causatur ex principiis essentialibus subiecti cui inhaeret: *Conc.*; quod causatur a principiis *superioris* subiecti, *Nego* (1). Ad rem S. Bonaventura: « Ad illud quod obiicitur... quod nullum accidens nobilius est substantia. dicendum, quod illa ratio deficit tripliciter. Primum quidem quia... bonitas substantiae et accidentis proprie non habent comparari. Accidens enim bonum dicitur non sibi, sed alii, non sicut ordinatum, sed sicut ratio ordinandi; sed ipsa substantia bona est tamquam bonitatis participativa. — Alius etiam defectus est ibi, quoniam etsi nullum accidens nobilius est substantia, prout accidens comparatur in se quantum ad essentiam generis, sive quantum ad esse primum; nihilominus tamen prout accidens consideratur in *subiecto*, et includit *esse* subiecti, quandam nobilitatem superaddit, quantum ad *esse secundum*. — Tertius etiam defectus est, quia quod gratia dicatur nobilior anima et perfectio animae hoc non est ratione sui tantum, *sed quia unit bono increato* » (2).

2° Atqui gratia etiam quoad suum *esse* est perfectior substantia animae. Gratia enim dat animae esse divinum. Atqui hoc perfectius est quolibet esse substantiae creatae. Ergo.

Resp. Dist. mai.: Gratia dat animae similitudinem τοῦ esse divini prout est in se, seu quatenus excedit capacitatem cuiuslibet naturae creatae et creabilis, *Conc.:* dat ipsum esse absolutum Dei in sua propria forma, *Nego. Contr. min.* etc. — Per gratiam enim « id quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam

---

(1) In h. art. ad 2.
(2) II dist. 26, q. 3 ad 1.

bonitatem... Secundum hoc ergo quod anima imperfecte participat divinam bonitatem, ipsa participatio divinae bonitatis, quae est gratia, imperfectiori modo debet esse in anima, quam anima in seipsa subsistat; est tamen nobilior quam natura animae, in quantum est expressio vel participatio divinae bonitatis, non autem quantum ad modum essendi » (1).

3° Atqui per gratiam communicatur ipsa essentia divina. Sicut enim anima unitur corpori, sic Deus per gratiam unitur animae. Atqui anima unitur corpori per suam propriam essentiam. Ergo.

Resp. Dist. mai.: Sicut anima unitur corpori *formaliter* ipsum vivificando, sic Deus unitur et dat vitam animae per gratiam *efficienter, Conc.;* eodem modo causalitatis *formalis, Nego.* Etc. (2).

CONCLUSIO II.

Gratia sanctificans est donum entitativum de se permanenter inhaerens animae iusti, ad instar qualitatis habitualis.

Status quaestionis. — 1° Cum igitur gratia sanctificans non sit substantia, sed sit in genere accidentis, ulterius determinanda est ratio huius specifica. Ea enim concipi posset accidens vel per modum *activitatis* cuiusdam, idest per modum *actionis* et *passionis transeuntis,* vel per modum entitatis permanenter in anima insidentis eique *novum quid esse* stabiliter conferentis.

2° Sunt itaque qui per gratiam *generatim* fieri immutationem atque innovationem quandam in ipso iusto ex

(1) Hic ad 2.

(2) Alias obiectiones vide apud S. Thom. II Sent. dist. 26, l. c.; Cf. Gotti, *De gr. habit.*, q. 3, dub. 2; Gonet, disp. 2, a. 2.

doctrina Concilii Trid. admittentes, negant tamen gratiam etiam perfecte iustificantem esse entitatem physicam et absolutam, habitualiter animam informantem; sed asserunt eam consistere in ipsis *auxiliis divinis,* atque in *actibus salutaribus* his respondentibus, vel ad summum in *modo quodam relativo* animae iusti ad Deum, ex quo, ius exsurgit ad superna auxilia. Haec conceptio (quam dicunt *dynamicam*) gratiae sanctificantis, cuius vestigia iam apparent apud *Nominales* mediae aetatis, quam maxime obtinuit in systemate haereticali Baii (1), eaque acriter propugnata fuit ab Hermesio aliisque eius scholae theologis. Hic nempe conqueritur in sententia *traditionali* [quae docet hominem iustificari per infusionem cuiusdam entitatis physicae *permanenter* animae inhaerentis] gratiam sanctificantem exhiberi ut *quid* mere *mechanicum,* et *exanime* (ἀδύνατον); dum e contra ea concipi debeat tamquam aliquid essentialiter *activum et vitale,* seu in exercitio functionum vitae divinae. Hinc essentiam gratiae sanctificantis in suo *momento meta-*

---

(1) Baius aufert quodcumque discrimen inter gratiam actualem et habitualem: « Distinctio duplicis iustitiae, alterius, quae fit per spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Sp. S. cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo caritatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur ». Prop. 63, Denz. 943. Hinc explicite affirmat gratiam sanctificantem nil aliud esse quam opera salutaria sub influxu vitali divinae motionis: « Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum iustitia; non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae consors naturae efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit » Prop. 42, Denz. 922. — Errorem Baii renovat Günther qui etiam iustificationis essentiam in subiectione hominis mandatis Dei collocat, qua ipse exemplo obedientiae secundi Adam (Christi) excitatus, *eiusque merita sibi per fidem* applicans concupiscentiam vincit et ethice rectus, iustus et sanctus fit. Cf. Vorschule, I, 393 sqq. - Cf. Kleutgen, op. c., n. 388 sqq. Katschthaler, *Zwei - Theses für dem algm. Concil.*, 1870.

physico, seu in actu primo consideratam, consistere docet in *extrinseca benevolentia Dei* hominem ob merita Christi gratum acceptantis, ex qua in ipso *homine ius* oritur ad auxilia actualia, quibus *actus salutares* perficiat; in hac autem *actuum salutarium operatione* per quam potentiae hominis ethice perficiuntur, seu rectificantur consistit gratia sanctificans *in actu secundo*, seu *status gratiae iustificantis* (1).

3° Contra hos omnes defendimus doctrinam S. Thomae et principum Scholae de entitativa *permanentia habituali* gratiae sanctificantis in anima iusti. Haec sententia post Conc. Trid. adeo a theologis probatur, ut modo non tam de ipsius veritate disceptetur, quam de gradu dogmaticae certitudinis quae illi competat. Sunt plurimi, qui gratiam sanctificantem esse qualitatem seu entitatem physicam in anima *permanentem* de fide definitum iudicent a Conc. Trid. Sic Catechismus Rom.: « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio. *sed divina qualitas in anima inhaerens* » (2). Idem sentiunt Bellarminus (3), Suarez (4), Va-

---

(1) *Dogm.* part. 3, § 279 sqq. - Cf. KLEUTGEN, *Theol. vet.*, vol. 2, n. 182 sqq. - SCHELL, *Dogm.*, vol. 3, l. 6, § 3, n. 3. — Etiam Hirscher quoad substantiam cum Hermesio convenit, in eo quod insurgens contra S. Thomam, qui gratiam veluti *qualitatem* animae superadditam intelligit, affirmat eam nil aliud esse quam *seriem auxiliorum* divinorum, quibus homo adiutus, concupiscentiam refraenat et Deo affectu cordis et bonis moribus adhaeret. - Cf. KLEUTGEN, l. c. - KATSCHTHALER, *De gr.*, n. 31 sqq. — Affinis quidem videtur sententia Hermesii errori Lutheri de *extrinseca* iustificatione: attamen essentialiter ab hoc differt, in eo, quod Hermes ipsius iustificati quamdam *renovationem internam* fieri admittit per gratiae actualis auxilia; insuper et peccata penitus *tolli* catholice docet.

(2) P. II, c. 2. *De eximiis baptismi effectibus.*

(3) *De gr. et lib. arb.*, I, c. 3.

(4) *De gr.*, l. 6, c. 3.

lentia (1), Tournelyus (2). — Alii autem, forte rectius, dicunt eam esse conclusionem ex principiis fidei *certam* (3).

Quidquid sit, licet concedi debeat nondum Ecclesiam explicite definivisse gratiam sanctificantem *esse qualitatem habitualem* sensu philosophico, certe tamen constat ex principiis fidei eam esse donum aliquod reale animae iusti permanenter inhaerens, distinctum tam ab auxiliis Dei actualibus, quam ab actibus salutaribus fluentibus ac transitoriis ipsius iustificati. Hoc autem donum non aliter explicari posse, quam per *habitualem qualitatem,* theologi iam a saec. XII communi fere consensu, iure statuerunt (4).

I. Probatur prima pars: — *Gratia sanctificans confert animae iusti novum quoddam esse permanens.*

1⁰. *Ex S. Scriptura,* quae iustificationis naturam et gratiae proprietates atque effectus exponens, hanc omnibus modis designat tamquam novum *essendi modum* creaturae rationali collatum ; scilicet: *a*) Dum rationem exhibet, qua nos gratia sanctificat *per novam generationem et nativitatem secundum similitudinem divinae naturae, ex qua filii Dei efficimur* (5). Atqui terminus generationis primae est esse fixum et substantiale; ergo etiam huius generationis spiritualis terminus haberi debet secundum *novum esse permanens,* non quidem substantiale, sed accidentale.

---

(1) Disp. 8, q. 2, punct. 1.

(2) *De Sacram. in genere*, q. 4, a. 1 sqq.

(3) Gonet, l. c. - Gotti, l. c.

(4) Quidam tamen vocabulum *qualitatis* non admittunt. - Cf. Berti, *Dscipl. theol.,* l. 19, c. 2, n. 4.

(5) Sic I Petr., I, 3: « *Benedictus Deus... qui secundum misericordiam suam regeneravit* (ἀναγεννήσας) *nos*; » et Tit. III, 5: « *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti* (διὰ λουτροῦ παλινγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως) ». Hinc per superna charismata dicimur effici « *consortes divinae naturae,* II Petr. I, 4; et *nova creatura* (καινὴ κτίσις) *in Christo* » *Gal.* VI, 15; ita ut « *filii Dei nominemur et simus* (ἵνα τέκνα θεοῦ κληθῶμεν) ». I, Ioa., III, 1.

b) Dum modum indicat, quo gratia conceditur per *infusionem* (1), quae intimum aliquod et formale donum dari exprimit; et per quandam *unctionem* (2) qua anima iusti *in templum Dei consecratur* (3), *ad quod divinae Personae veniunt* et *in eo mansionem faciunt* (4).

c) Dum de ratione loquitur, qua gratia animae *inseritur* atque *inhaeret* tamquam « *semen Dei* (5); *tamquam pignus haereditatis* (6); *signaculum Spiritus S.* (7); *lucis* (8); *vitae* (9). Haec autem omnia intelligi nequeunt nisi gratia insit animae tamquam proprietas vel principium vitale *permanens* (10).

d) Dum de *passione* ipsius gratiae agit, quae est *augmenti* et *decrementi capax* (11).

2° *Ex Concilio Trid.*, quod non solum docet gratiam iustificantem esse nobis *inhaerentem:* « Quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis *inhaerentem* iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum » (12); sed insuper tradit infantes per baptismum

---

(1) *Rom.*, V, 5.

(2) I Ioa. II, 20-27: « *Sed vos unctionem habetis a Sancto... Et vos unctionem, quam accepistis, ab eo, maneat in vobis* ». In quem locum Augustinus advertit. « *Unctio,* invisibilis caritas est, quae in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit, etc. », tract. 3, in I Ioa. II, PL, 35, 2001.

(3) I *Cor.*, III, 17, VI, 19: II *Cor.*, VI, 16.

(4) Ioa., XIV, 23.

(5) I Ioa., III, 9: « *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet* (ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει).

(6) ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας *Eph.* I, 14.

(7) Ibid., IV, 30.

(8) *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*, ibid. V, 8.

(9) Ioa. VI, 58; X, 10. *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

(10) Kleutgen, *Theol. vet.*, II, n. 174-75.

(11) I Tim. IV, 14; II Tim. I, 6; II Petr. III, 18.

(12) Sess. VI, cap. 16.

sanctificari (1). Atqui neque inhaerentia adscribi potest actibus *transeuntibus,* neque parvuli sanctificari possunt per *actus* caritatis, cuius capaces non sunt. Ergo ex Conc. gratia iustificans est quidditas physica de se *permanenter* animae insidens.

3° *Ex Patribus,* qui non aliter de gratia loquuntur, quam de *forma* quadam stabiliter animae superaddita. Hanc enim describunt veluti *spiritualem picturam a Deo in nobis expressam* (2); vel *effigiem* et *formam caelestem* in corde nostro a Spiritus S. *signatam* (3). Item eam comparant *formae* naturali, quae materiae dat esse specificum; aut ceteris nostri animi *dotibus,* atque *dispositionibus,* quae in nobis semper manent, etsi non semper per actus *explicentur* (4). Vel demum eam explicite appellant *divinam*

---

(1) Sess. VI, c. 7, Sess. VII, *De Baptismo,* can. 13. Hinc etiam gratia est veluti *stola* caelestis quam mox baptizati accipiunt et *conservare* iubentur. « Itaque veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu *primam stolam* pro illa, quam Adam sua inobendientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis *donatam,* candidam atque immaculatam iubentur statim renati *conservare,* ut eam perferant ante tribunal Domini N. J. C., et habeant vitam aeternam », Sess. VI, c. 7.

(2) Sic Ambrosius: « Utrum igitur secundum corpus, an secundum animam iustificatio tibi conferri videatur, quaeso, respondeas. Sed dubitare non potes; cum iustitia, unde iustificatio derivata est, mentis utique non corporis sit. *Pictus es, o homo, et pictus a Domino Deo tuo.* Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non *cera expressam,* sed *gratia* ». *De Mysteriis,* c. 7, PL, 16,399.

(3) Idem *De Spiritu S.,* I, 6, PL, 16,723: « *Signati* ergo Spiritu a Deo sumus. Sicut ergo in Christo morimur ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem eius atque imaginem eius et gratiam tenere possimus; quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur; ut spiritus exprimat in nobis imaginis caelestis effigiem ». - Cf. Cyr. Hieros. *Catech.,* 17, n. 35-36, PG, 33, 1010. - Greg. Nyss. *In Cantica,* hom. II, PG, 44, 791.

(4) Sic Basilius, *De Spiritu S.,* c. 26: « Forma dicitur esse in materia et potentia in eo, quod eius capax est, et habitus (ἡ ἕξις) in eo,

qualitatem qua sancti efficimur (1); eamque *parvulis* per baptismum inseri docent (2).

4° *Ex ratione.* Ob analogiam ad ordinem naturalem. « Non est conveniens (ait S. Thomas) quod Deus minus provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus... Multo igitur magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas for-

---

qui secundum illum affectus est, aliaque huius generis multa. Itaque quatenus Spiritus Sanctus *vim habet* perficiendi creaturam rationalem (καθὸ μὲν τελειωτικὸν τὸ ἅγιον Πνεῦμα τῶν λογικῶν) absolvens illius fastigium (ἀπαρτίξον αὐτῶν τήν ἀκρότητα), formae rationem habet... Et sicut cernendi vis est in oculo sano, sic operatio (ἡ ἐνέργεια) Spiritus in anima purgata... Et quemadmodum *ars* est in eo qui illam adeptus est, ita *gratia* Spiritus in eo qui recepit eam, *semper quidem praesens, et non* perpetuo operans (ἀεὶ μὲν συμπαροῦσα, οὐχὶ δὲ καὶ ἐνεργοῦσα διηνεκῶς). PG, 32, 179.

(1) Cyr. Alex. (διὰ τῆς ἐν ἁγιασμῷ ποιότητος), l. c. PG, 77, 618 Sic et Ammonius in *Caten.* ad Ioa. XIV, 17 ubi Spiritus S. in sanctis semper permanere dicitur ut *divina qualitas,* quousque ii in semetipsis caritatem servare studeant... ὥσπερ τις θειότητος ποιότης... ἀπομένει διαπαντὸς ἐν τοῖς ἁγίοις, ὅταν δι' ἀρετῆς καὶ καθαρότητος τηρεῖν ἐν ἑαυτοῖς σπουδάσωσι τὴν χαριν », PG, 85, 1489.

(2) « Hac enim gratia baptizatos etiam parvulos suo inserit (Christus) corpori qui certe imitari aliquem nondum valent... Ergo ille, in quo omnes vivificabuntur, praeterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam occultatissimam sui spiritus *gratiam,* quam latenter infundit et parvulis ». Augustinus, *De pecc. merit. et remiss.*, I, c. 9, PL, 44, 121. - Cf. Vega, *In Trid.*, l. 7, c. 24. - Domin. Soto, *De natura et gr.*, l. 2, c. 17 sqq. - Ripalda, *De Ente Super.*, disp. ultima. - Suarez, l. c. - Valentia, l. c. – Billuart, *De Iustific.*, diss. 4, a. 2. — Gotti, l. c. - Kleutgen, op. c. n. 173 sqq. - Mazzella, *De gr.*, n. 937 sqq. - Scheeben, *De gr.*, l. I, c. 10. - Katschthaler, *De gr.*, n. 179 sqq.

mas, seu qualitates supernaturales secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum; et sic donum gratiae qualitas quaedam est » (1). Hac ratione excluditur etiam metus, quo *Hermes* inductus fuit ad negandam entitativam *permanentiam* gratiae sanctificantis, quasi per hanc effingeretur mechanica quaedam atque iners iustificationis constructio, quae potius consistere debet in *exercitio* vitae moralis. — Verum per hanc Angelici et theologorum catholicorum doctrinam non solum *vitalitas* atque spiritualitas iustificationis non aufertur, sed imo profundius atque efficacius constituitur atque declaratur ex eo quod operationes vitae supernaturalis ex principio vitali in anima *permanente* oriri ponantur (2). Profecto gratiae donum tamquam supernaturalis *vita* animae etiam communi christianorum conceptu intelligitur. Attamen *vitae* nomine, non tam *vitales operationes transeuntes,* quam potius ipsum ontologicum harum operationum fundamentum atque principium designamus.

II. Probatur secunda pars: — *Gratia sanctificans pertinet ad praedicamentum qualitatis.* — Est fere corollarium antecedentis. Profecto:

1° *Qualitas* est modificatio, seu dispositio substantiae in seipsa, non in ordine ad alterum formaliter; seu est « *accidentalis determinatio substantiae in seipsa secundum quandam mensuram* » (3). Atqui gratia, ut probavimus, intrinsece modificat animam humanam, quia dat ei, nova regeneratione, novum esse accidentale in similitudinem essentiae divinae, prout haec est in se. Ergo.

2° Ceterum ex novem accidentibus praedicamentalibus *tria* tantum ens *spirituale* efficere possunt, nempe *actio;*

---

(1) Hoc. art.

(2) Etiam ipse SCHELL, l. c., tanquam inanem reiicit HERMESII timorem.

(3) Cf. *S. Theol.*, I, II, q. 49 a. 2.

relatio et *qualitas;* reliqua enim sunt modificationes entis corporei. Atqui gratia sanctificans non est *actio fluens* et *transiens,* sed est entitas permanens; neque est mera *relatio* denotans simplicem respectum animae ad Deum, sed ponit in anima aliquid *realis,* ex quo respectus relativus oritur. Ergo gratia dicenda est qualitas.

III. Probatur tertia pars: — *Gratia est qualitas pertinens reductive ad speciem habitus* (1). — Hoc etiam legitime arguitur ex dictis. Habitus enim (ἕξις) est affectio seu dispositio *stabilis,* nec facile amissibilis, secundum quam aliquis *bene* aut *male* disponitur vel *in se,* idest secundum naturam suam, vel in ordine ad aliud, hoc est in ordine ad operationem *quae perducit ad finem seu bonum* naturae (2). Si dispositio sit formaliter in ordine ad *se,* dicitur habitus *entitativus* (ut sanitas in animali); si ea primo et principaliter ordinatur ad *operationem,* vocatur *habitus operativus* (v. g. scientia, prudentia). Itaque cum donum gratiae immediate et *per se primo* disponat animam *in seipsa* communicans illi analogice divinam naturam, est *habitus entitativus.* Cum autem insuper ea fundamentaliter disponat animam in ordine ad operationem proportionatam τῷ *esse supernaturali* quod formaliter largitur, aptam eam reddens

---

(1) Quattuor, ut notum est, ponuntur qualitatis species: a) *habitus* et *dispositio;* b) *potentia* et *impotentia*; c) *passio* et *patibilis qualitas;* d) *forma* et *figura.* Duae priores respiciunt substantiam immaterialem: reliquae pertinent ad substantiam corpoream et sensitivam. Harum distinctos conceptus accurate et profunde inquirit ac determinat ANGELICUS. l. c., a. 1-2. — Si affectio seu modificatio substantiae sit tantum *inchoata* et de facili amissibilis dicitur simpliciter *dispositio*; si sit *stabilis* et perfecta vocatur proprio sensu *habitus.* Hinc *habitus* nil aliud addit supra *dispositionem* quam huius *stabilitatem.* Cf. I, II, q. 49 a. 1 ad 3. — *Potentia* determinat subiectum formaliter in ordine ad operationem, seu constituit illud *principium quo proximum* operationis, ut v. gr. *intellectus* et *voluntas.*

(2) I, II, q. 49 a. 3.

ad exercenda pietatis opera per virtutes infusas quarum est veluti principium et radix, haberi debet etiam ut *habitus radicaliter operativus.* — Advertit tamen S. Thomas, gratiam sanctificantem esse *habitum* tantum *reductive.* Habitus enim magis proprie dici solet ea dispositio, quae *immediate* et *per se* ordinat subiectum ad operationem, et hinc *proxime* informat eius *potentias;* gratia autem *per se* et *immediate* afficit ipsam, *substantiam* subiecti. « Dicendum quod gratia reducitur ad primam speciem qualitatis; nec tamen est idem quod virtus (idest habitus proprie dictus seu operativus), sed habitudo quaedam, quae praesupponitur virtutibus infusis sicut earum principium et radix » (1). Et iterum explicitius: « Dicendum quod gratia est in prima specie qualitatis, quamvis non proprie possit dici habitus, quia non immediate ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale quod in anima facit, et est sicut dispositio quae est respectu gloriae, quae est gratia consummata. Nihil tamen simile gratiae in accidentibus animae, quae philosophi sciverunt, invenitur; quia philosophi non cognoverunt nisi illa animae accidentia, quae ordinantur ad actus naturae humanae proportionatos » (2).

Scholion. — *Evolutio doctrinae de gratia habitualiter informante.* — Fatendum est non semper inter theologos mediae aetatis et Concilio Trid. anteriores doctrinam de infusione et informatione gratiae habitualis et virtutum supernaturalium eadem sententia propositam fuisse, neque ea certitudine propugnatam quam per huius Conc. declarationem eadem obtinuit. Sic Clemens V, in Conc. Viennensi (ann. 1311-12) declarat *probabiliorem* opinionem eorum, qui

(1) Ibid., q. 110 a 3. Cf. SUAREZ. *Disp. Metaphys.* 44, sect. 1.

(2) *De Verit.*, q. 27 a. 2 ad 7. - Cf. SUAREZ. l. 6, c. 4. - BELLARM. *De gr. et lib. arb.*, I, c. 3. SALMANTICENSES, tr. 14, disp. 4, dub. 1, § 5, n. 15 et dub. 5, § 6, n. 89. - GOTTI. *De gr.*, q. 3, dub. 2, § 2.

docebant infantibus per baptismum infundi gratiam sanctificantem habitualiter informantem: « Verum, quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis contra asserentibus... quod et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes tamquam probabiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam » (1). Tempore itaque Conc. Viennensi omnes quidem theologi (uno vel alio fortasse excepto) docebant adultis infundi gratiam et virtutes, sed plures adhuc putabant hanc infusionem non fieri in infantibus per baptismum. « Causa autem huius erroris fuit (ut observat S. Thomas) quia (illi antiqui) nescierunt distinguere inter *habitum* et *actum*, et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere » (2). Postquam autem Conc. Viennense sententiae affirmanti ut probabiliori adhaesit, omnes fere theologi ad hanc rediere. quam demum Conc. Tridentinum ut simpliciter veram etcatholicam adoptavit (3). Hoc egregie declaratur a Dom. Soto insigni in Conc. Trid. theologo: « Quod gratia baptismatis ablutis

---

(1) *Clementina, de fide cath.* Denz. 411.

(2) III, q. 49 a. 3.

(3) De omnibus sacramentis, sine exeptione definitur, Sess. VI, c. 7: « Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus quantum est ex parte Dei... sed aliquando et aliquibus, a. s. ». - Cf De Baptismo ead Sess. can. 13.

infundatur duplicem habere potest sensum: unus quod fiant *Deo grati*; et hic semper fuit habitus tamquam fides catholica: alter vero sensus est, quod illa gratia sit *qualitas* ab homine distincta, divinitus consecrata, qua fiat homo gratus, sicut est habitus scientiae et virtutis acquisitae; et hic sensus non est tamquam de fide adeo antiquus... Primum enim Innocentius III (in cap. « Maiores » de baptismo) tamquam rem inter theologos dubiam reliquit, utrum hoc secundo modo (per infusionem habituum) gratia et virtutes per baptismum infundantur; postmodum vero in Conc. Viennensi pars haec affirmativa, tamquam probabilior recepta est... nunc autem novissime in Conc. Trid. tamquam veritas certa decreta est. » (1).

Objectiones. — Videtur gratia sanctificans esse *relatio* quaedam, vel *potentia*, non autem *qualitas*, et multo minus habitus. — Sane; 1° Est *relatio*, quia est participata quaedam *similitudo* divinae naturae.

2° *Est potentia*, quia per gratiam iustus fit principium capax efficiendi actus supernaturales.

3° Non est *qualitas*, quia gratia agit in subiectum faciens in eo iustificationem; nulla autem qualitas agit in proprium subiectum, sed potius subiectum agit per eam.

4° Non est autem *habitus*, quia habitus est dispositio difficile mobilis, gratia autem uno actu graviter peccaminoso amittitur. Ergo.

Resp.: Nego Antecedens. Ad rationes allatas, *Resp.:*

Ad 1um. *Dist.:* Per gratiam exsurgit in anima relatio ad Deum, *Conc.;* ipsagratia est *relatio*, *subd.: realis, Trans;* mere

(1) In IV, dist. 6, q. 1 a. 5. — Adverte tamen, Conc. Trid. a vocibus *qualitatis* et *habitus* abstinuisse, sed directe sollicitum fuisse de gratiae entitativa inhaerentia animae iusti declaranda. Etiam Patres Vaticanos has appellationes « *qualitatis* et *habitus* in schematibus praeparatis, consulto non adhibuisse constat ex documentis ad illustrat. Conc. Vat. editis a Friedrich, vol. 2, p. 63.

logica, Nego. Itaque si concedatur iustum per gratiam referri novo *modo reali* ad Deum, eo ipso conceditur poni in homine entitatem realem, ex qua, tamquam ex fundamento, illa relatio realis oriatur. Quaelibet enim relatio *realis* supponit fundamentum reale.

Ad 2 *Dist.:* Gratia constituit hominem in ratione principii effectivi actus salutaris, *remote* et *radicaliter*, *Conc.; proxime et formaliter, Nego.*

Ad 3 *Dist.:* Gratia agit ut *causa formalis* constituendo per sui unionem hominem iustum, *Conc.:* agit ut causa *efficiens* producendo in anima entitatem realem a se distinctam, *Nego.* — Sane, ut diximus, gratia non *immediate* ordinat iustum ad operationem supernaturalem, sed illum constituit principium *quo remotum* (ad instar naturae) actuum salutarium, quorum principium *quo proximum* sunt virtutes infusae (1).

Ad 4 *Dist.:* Gratia est *mobilis,* hoc est destrui potest *per se*, propria corruptione, *Nego: per accidens*, idest per corruptionem, seu mutationem subiecti, *Conc.* — Itaque gratia in se est incorruptibilis; sed homo a quo recipitur, et cui inest, cum sit mutabilis voluntatis, graviter peccare potest. Peccatum autem mortale, nequit simul in eodem subiecto consistere cum caritate Dei. Ceterum, ut pie et sapienter monet S. Thomas, habens caritatem Dei et ex ea habitualiter operans, non facile peccat agendo contra habitum caritatis. « Dicendum, quod quamvis per unum actum peccati mortalis gratia ammittatur, non tamen facile gratia amittitur; quia habenti gratiam non est facile illum actum exercere, propter inclinationem in contrarium; sicut Philosophus dicit (V Eth. cap. 6) quod iusto difficile est operari iniusta » (2).

---

(1) Hic ad 1.
(2) *De Verit.*, q. 27, a. 1, ad 9.

CONCLUSIO III.

Gratia sanctificans est donum entitativum ab anima cui inest realiter distinctum.

Status quaestionis: — 1° Haec conclusio haberi debet ut corollarium antecedentis. Si enim gratia est habitus supernaturalis animae infusus, eo ipso, cum sit *realiter* infusus, est ab anima *realiter* distinctus. « Nullus enim (ait S. Thomas) opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animae sunt ipsa eius essentia » (1).

2° Attamen non defuerunt theologi qui, praesertim post invectam philosophiam *cartesianam,* quae iter sternens positivistis, omnia accidentia a substantia realiter distincta e medio abstulit, contenderent gratiam sanctificantem esse *modum quendam cum anima identificatum.* Concedunt equidem hi theologi: *a*) gratiam esse aliquid physicum, seu ontologicum in anima; *b*) per eam hominem intrinsecus renovari et ad ordinem supernaturalem elevari. Attamen negant eam esse entitatem ab anima distinctam, sed asserunt eam habendam esse tamquam simplicem *modificationem* animae, ut est *mutatio figurae* in eadém cerae massa inducta (2). Haec opinio tum philosophice, tum theologice erronea censenda est; imo, iuxta Suarez, est *magnus error* (3).

3° Nos realem distinctionem inter donum gratiae et eius subiectum asserentes, non tamen dicimus hanc distinctionem esse *adaequatam;* ita ut gratia per omnipotentem Dei virtutem seorsim ab anima conservari possit, ut conservantur *accidentia physica* in Sacramento Eucharistiae.

---

(1) *De spir. creatur.*, a. 11, ad 1.
(2) Cf. Berti, *Discipl. theol.*, l. 19, c. 1.
(3) *De gr.*, l. 3, c. 18, n. 12.

Quod si quibusdam theologis visum fuerit haud improbabile entitatem gratiae conservari posse a subiecto seiunctam, nos tamen censemus aliam omnino esse rationem accidentis *spiritualis,* ac sit ratio accidentis physici seu corporei. Hinc quemadmodum actus cognitionis et volitionis, licet realiter distinguantur ab intellectu et voluntate, tamen ab his potentiis separatim exsistere non possunt; sic etiam dicimus hoc accidens spirituale et saltem *radicaliter vitale*, quod est gratia sanctificans, non posse divisim ab anima conservari. — Verum ex eo quod gratiae minime competere possit exsistentia separata ab informatione animae, haud licet arguere eam non esse ab anima realiter distinctam.

Probatur conclusio. — 1° *Ex doctrina Ecclesiae circa modum quo gratia sanctificans ad animam refertur.* — Concilia enim (ut vidimus) generatim docent, gratiam esse *donum supernaturale* a Deo infusum, animae *inhaerens*, ipsique *superadditum* atque ei conferens *esse* quoddam *deificum.* Atqui haec omnia indicant donum supra naturam et a natura realiter distinctum. Omnes enim theologi usque ad tempora Conc. Trid. et usque ad philosophiae cartesianae innovationem nomine *doni* naturae *superadditi* aliquid entitative ab ipsa natura realiter distinctum significari intelligebant. Ergo. Hinc scite advertit Suarezius. « Nemo per has voces (gratiae, donorum, qualitatis et habitus) intellexit hactenus modos aliquos identificatos cum voluntate et intellectu, sed proprias formas et virtutes, quae sunt principia talium actuum » (1).

2° *Ex ratione.* — *a*) Ob *renovationem animae per gratiam inductam.* Gratia enim, adversariis fatentibus, inducit *physicam* et *realem* mutationem in anima, prout diserte docetur a Conc. Tridentino. Atqui *physica mutatio* alicuius subiecti nequit aliter concipi quam per *additionem,* vel subtractionem

(1) *De gr.*, l. 7, c. 15, n. 8.

physicae entitatis realiter a subiecto distinctae. Ergo gratia quae *intrinsece* animam innovat, ab hac realiter distinguitur. Huic autem argumento robur accedit ex eo quod gratia ita animae superadditur, ut in ea fiat radicale principium operationum, quae naturae facultatem excedunt.

b) Praecipue autem eo capite sententia haec nominalistica excludenda est, quia ordinem gratiae cum ordine naturae confundit. Si enim gratia non realiter distinguitur ab animae essentia, natura et gratia erunt unum quid *entitative identicum.* Ordo itaque supernaturalis identificabitur cum ordine naturae, et *unicum erit principium radicale* et *formale* utriusque vitae supernaturalis et naturalis.

Scholia. — 1° Adversarii ut suam sententiam tolerabiliorem reddant, gratiam sanctificantem exhibent ut causam *efficientem* iustificationis. Hinc inferunt Deum ex sese immediate supplere posse actionem quae gratiae tamquam causae distinctae a nobis tribuitur; cum id omne quod a causa secunda efficitur, a Deo ipso immediate, a fortiori, perfici possit. — Nos respondemus; erronee supponi gratiam esse causam *efficientem* in nobis iustitiam, tamquam effectum distinctum a se productum. Ex doctrina enim explicita Conc. Tridentini gratia est *causa formalis* iustificationis; causa autem formalis effectum suum proprium non producit per effectionem alicuius entitatis a se distinctae, sed per immediatam unionem suipsius cum subiecto. Sic anima spiritualis hominem efficit per ipsam unionem sui cum corpore, cuius est forma.

2° Comparatio, quae ab adversariis profertur mutationis intrinsecae in anima effectae per gratiam, cum mutatione inducta in cera per novam figuram, non est ad rem. Figura enim est forma quaedam *mere exterior* corporis ex diversa partium eiusdemque corporis positione resultans. Hinc optime concipimus hanc mutationem *modalem* in corpore fieri posse absque additione vel subtractione alicuius

partis seu entitatis intrinsecae. Verum haec mutatio mere *modalis* concipi nequit in forma simplici et spirituali, qualis est anima, in qua non sunt partes integrantes varia dispositione locandae. Eoque *magis* quod gratia talis est forma, quae animam constituit principium novae vitae supernaturalis (1).

CONCLUSIO IV.

Gratia sanctificans est ens essentia sua supernaturale, quo rationali creaturae communicatur divinae naturae participatio physica et formalis, licet analogica.

Status quaestionis. — Priusquam supernaturalitatem gratiae sanctificantis probemus, inquirendum est in quo praecise ponenda sit *supernaturalitas formalis* tum generatim entis creati, tum in specie gratiae sanctificantis.

1° Iamvero non videtur sufficiens explicatio exhiberi ab iis, qui propriam rationem supernaturalitatis gratiae statuunt in habitudine, quam ipsa ponit, animae ad Deum, *quatenus ipse non est cognoscibilis ex creaturis;* vel in entitate quae *nulli creaturae est connaturalis.* Haec quidem et alia similia, quae proferuntur, vera sunt, sed ea potius indicant *notas*, quae sunt entis supernaturalis creati propriae, non autem explicant formalem rationem *supernaturalitatis* (2). Ut hanc rationem investigemus altius resolutionis principium desumendum est. Scilicet, cum omnes conveniant supernaturalitatem entis creati sitam esse in expressione seu participatione supernaturalitatis *entis increati*, prius statuendum est quid sit supernaturalitas in Deo.

---

(1) Cf. Suarez, l. c.

(2) De his ample disserit Ripalda. *De ente super.*, disp. III-IV etc.

2º Itaque Deum esse ens absolute supernaturale nil aliud sibi vult, quam divinam naturam *transcendere* omnem naturam creatam vel creabilem et quidem quod omnia quae in natura creata vel creabili *connaturaliter* reperiri possunt. Sicut angeli respectu omnis creaturae corporeae supernaturales dici debent *secundum quid,* quia super universam naturam corpoream elevantur; sic Deus *simpliciter* est supernaturalis, quia eius natura omnem naturam creatam vel creabilem ita transcendit ut nulli creaturae in sua propria forma, seu in ratione naturae sit communicabilis.

Iam vero, sicut ipsa natura divina sic etiam omnia attributa Dei sunt absolute supernaturalia. Cum enim omnes Dei proprietates et perfectiones unum idemque sint re cum divina essentia, ab hac *proprium essendi* modum sortiuntur, hoc est *infinitatem* et *rationem actus puri*, quo elevantur super omnem naturam creatam et creabilem, ita ut nulli creaturae iuxta illum modum communicari queant.

3º Attamen non omnia attributa divina eodem modo creaturae incommunicabilia a nobis concipiuntur; sunt enim quaedam inter haec attributa, quae ab hoc modo *infinitatis* et *actus puri* praescindere nequeunt, eo quod conceptum seu rationem infinitatis et actus puri in sua definitione formaliter includunt et exprimunt. Talia sunt v. g. in linea entitatis, *esse actum purum* seu esse *a se;* in linea veri, *esse summum verum absolutum:* in linea boni, *summum bonum absolutum:* in linea intellectiva, *esse ipsum intelligere:* in linea operativa, *esse omnipotentem:* in linea durationis, *esse ens essentialiter aeternum:* in linea locativa, *esse immensum, etc.* — Haec omnia attributa neque substantialiter, neque accidentaliter, per modum formae, ulli creaturae communicari possunt; quia divina *infinitas* et ratio *actus puri,* quam formaliter exprimunt, concipi nequit communicabilis enti creato et essentia sua potentiali.

At vero, alia quaedam ex divinis attributis ita a nobis concipiuntur ut a modo *subiectivo,* quo sunt in Deo, seu a ratione actus puri et infiniti praescindere possint. cum hanc rationem formaliter non explicent. Huiusmodi est proprietas qua Deus est principium videndi se immediate. et suam essentiam directe amandi tamquam adaequatum suae voluntatis obiectum. Haec attributa, quamvis *secundum modum quo Deo insunt,* incommunicabilia prorsus sint, non ita tamen formaliter hunc modum includunt, ut ab hoc praescindi nequeat, adeo ut ea *inadaequate* sumi possint, scilicet prout *obiective* tantum, non autem *subiective* considerantur. Etsi itaque *modus* quo proprietates hae in Deo sunt, incommunicabilis omnino sit, tamen nulla apparet contradictio in eo quod eaedem sine tali modo, seu sub ratione *terminativa* tantum et *obiectiva* creaturae rationali communicentur. Entia igitur quae talia praedicata divinae naturae participant et communicant, dicenda sunt entia creata *entitative* supernaturalia (1).

3° His praemissis circa naturam formalem *entis supernaturalis creati* dicimus: Gratiam sanctificantem esse ens *essentia sua* supernaturale; eamque esse participationem divinae naturae, et quidem non moralem tantum et virtualem, sed *obiective physicam* et *formalem;* licet *subiective analogicam.*

I. Probatur prima pars: — *Gratiam sanctificantem esse ens essentialiter supernaturale* ex eo directe arguitur quod per eam habetur communicatio praedicati in quo Deus excedit omnem naturam creatam et creabilem. Sane: esse principium videndi divinam essentiam *immediate* unius Dei proprium attributum est quod transcendit omnem naturae creabilis facultatem et exigentiam. Atqui per gratiam creatura rationalis particeps fit huius attributi. Ergo.

(1) Cf. Gotti, *De gr.,* q. 3, dub. 3, § 1.

Prob. min.: Licet gratia sanctificans non conferat actualem cognitionem immediatam Dei, atque amorem beatificantem, qui ex hac cognitione consequitur, sed talis actus proxime conferatur per *lumen gloriae*, tamen ea est *radicalis* perfectio cui cognitio illa et amor beatificus *connaturaliter* debetur; ita ut lumen gloriae nil aliud sit, quam connaturalis *consummatio,* seu *complementum* gratiae sanctificantis, quae idcirco eiusdem naturae et speciei esse debet (1). Hinc per gratiam sanctificantem constitui dicimur *haeredes vitae aeternae* (2); et ipsa vita aeterna exhibetur nobis veluti *apparitio,* hoc est manifestatio, et actuatio potentiae, seu *aptitudinis* videndi Deum *sicuti est*, quae actuatio nunc nobis inest per gratiam santificantem: « *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus... Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit* (quid erimus) *similes ei* (Deo) *erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* » (3).

II. Probatur secunda pars: — *Gratia sanctificans est participatio divinae naturae.* - Est corollarium primae partis, quod tamen praestat explicitius confirmare:

1° *Ex S. Scriptura:* Conceptus enim biblicus gratiae infert entitatem per quam veluti per causam formalem divinae naturae participes efficimur, et iuxta novum esse

(1) « Finis (ait S. Thomas) comparatur ad id quod ordinatur ad finem, sicut forma ad materiam: unde sicut materia non potest consequi formam, nisi sit debito modo disposita ad ipsam, ita nihil consequitur finem nisi sit debito modo ordinatum ad ipsum » I, II q. 4 a. 4. Et iterum: « Vita nostra ad divinam fruitionem ordinatur et dirigitur secundum participationem divinae naturae, quae est per gratiam », II, II, q. 19 a. 7. Hinc *gloria* dici solet *gratia consummata.*

(2) *Tit.* III, 5-7: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (Deus) *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti... quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificat gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae* ».

(3) I Ioa., III, 1-2.

regeneramur quod nos filios Dei constituit speciali *quodam modo*, qui est supra exigentiam cuiuslibet naturae creabilis. Sic Petrus scribit: *Per quem* (Christum, graece tamen sensu identico - δι' ὧν - per quae divinae virtutis dona) *maxima ac pretiosa promissa nobis donavit* (Deus) *ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* (1). Hanc autem divinae naturae communicationem fieri per regenerationem quandam, secundum altiorem similitudinem naturae ac vitae divinae saepe declarat Scriptura. Sic Ioannes: *Dedit eis* (Verbum caro factum) *potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, qui... ex Deo nati sunt* (2). Et iterum: *Nisi quis renatus fuerit* (ἐὰν μή τις γεννηθῇ) *ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (3). Et explicitius: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (4). Gratia igitur est veluti *semen* divinitatis; ac proinde sicut semen virtualiter continet novam plantam similem illi cuius est fructus, ita et gratia continet virtutem nos transformandi in similitudinem τοῦ esse divini.

2° *Ex doctrina Patrum*, qui hunc ipsum conceptum biblicum gratiae sanctificantis mox expositum eloquenter aeque ac profunde evolvunt. Docent enim:

a) Nos per gratiam et Spiritus S. inhabitationem *sublevari in vitam Dei; transformari in similitudinem Dei, in imaginem Christi, qui est filius Dei naturalis; induere Christum; deificari* (5). Sic Irenaeus: « Quotquot (ait) per

---

(1) II Petr., I, 4.

(2) Ioa. I. 12-13.

(3) Ibid. III, 5.

(4) I Ioa., III, 9. Cf. ibid. V, 18; *Rom.*, VIII, 15 *ad Tit.* III, c. 5 sqq.

(5) Plurima testimonia lege apud Petavium, *De Trin.*, VIII, c. 4, *De Incarn.*, II, c. 8. - Thomassinum, *De Inc.*, l. VI. - Ripalda,

fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales iusti homines dicentur, et mundi, et spirituales, et viventes Deo: quia habent spiritum Patris, qui emundat hominem, et *sublevat in vitam Dei* » (1). Et Cyrillus Alex. explicans v. 13, cap. I, Ev. Ioa., scribit: « Quum potestatem a naturali Filio datam iis esse dixisset ut filii Dei fierent, adoptione nimirum et gratia, tandem tutissime subiicit: *ex Deo nati etiam sunt,* ut ipsius gratiae ostendat magnitudinem, quippe quae in *naturale consortium* (οἰκειότητα φυσικήν) nos colligat et in id quod a Deo et Patre alienum et servum sit, ad dominicam nobilitatem evehat » (2). Et alibi: « Formatur in nobis Christus dum Spiritus S. suos characteres quodammodo nobis imprimit, *humanam naturam divinitatis pulchritudine insigniens* » (3).

b) Ex hac analogica deificatione quae in nobis fit per gratiam, arguunt divinitatem substantialem Verbi et Spiritus Sancti, qui sunt huius deificationis auctores: « Si Spiritus Sancti communicatione (ait Athanasius) efficiamur divinae naturae consortes, insanus sane esset, qui diceret Spiritum S. ad creatam naturam, non ad divinam pertinere. Propter hoc enim in homines venit et per ipsum deificantur. Si vero deificat, haud ambiguum est naturam eius Dei naturam esse » (4). Et Cyr. Alex.: « Nunquam concipietur creatura deifica. Verum id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus suae proprietatis (τῆς ἰδίας ἰδιότητος)

De ente super., disp. 152, sect. 7 sqq. - CASINI, *Quid est homo*, art. 6, § 2. - SCHEEBEN, *Dogm.*, vol. II, n. 677 sqq. - Ex Patribus graecis copiosiora exhibentur a KIRSCHKAMP, *Gnade und Natur*, Würsburg, 1878. Cf. et MAZZELLA, *De gr.*, n. 1005 sqq.

(1) *Haer.*, l. V, c. 9, n. 2, PG, 7, 1144.

(2) In IOA., l. 1, cap. 14 apud, SCHEEBEN, n. 869.

(3) ἀναγραφῶν εἰς τό τῆς θειότητος κάλλος τὴν ἀνθρωπου φύσιν. *Thesaur.* 34, PG, 75, 609. Confer etiam testimonia allata in hoc art. concl. 2.

(4) *Ad Serap.*, I, n. 24, PG, 26, 585 sqq.

illam per Spiritum participationem, per *quam etiam conformes facti naturali Filio, dii secundum ipsum et filii vocati sumus* » (1).

c) Probe distinguentes inter filiationem naturalem, quae Verbo Incarnato unice competit, et filiationem analogicam, quae ceteris hominibus communicatur per gratiam, docent illam factam esse per *descensum* (exinanitionem) Verbi ad humanam naturam, hanc autem fieri per *ascensum,* seu per elevationem hominis ad Deum, et per adoptionem divinam. Sic Augustinus in illud Ioa.: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri;* ita disserit: « Haec quippe nativitas spiritualis est; ideo non ex sanguinibus... sed ex Deo. Haec etiam *adoptio* vocatur. Eramus enim aliquid antequam essemus filii Dei... et ab hac generatione gratiae discernitur ille filius, qui cum esset filius Dei venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filii hominis filios Dei fieri... Descendit ergo ille, ut nos ascenderemus, et manens in natura sua factus est particeps naturae nostrae, ut nos manentes in natura nostra participes efficeremur naturae ipsius. Non tamen sic: nam illum naturae nostrae participatio non fecit deteriorem, nos autem facit naturae illius participatio meliores » (2).

d) Deificationis per gratiam conceptum evolventes, eam esse docent assimilationem Deo et unionem ineffabilem, qua creatura participat modum *intellectualitatis divinae.* Sic Dionys.: « Divinae beatitudini, trinae unitati... in votis est rationalis creaturae salus... quae quidem non aliter potest contingere, nisi deificentur hi qui salvantur. Est autem haec deificatio, Dei quaedam, quatenus fieri potest,

---

(1) *De Trin.,* I, c. 4. Cf. Petav., *De Trin.,* l. c.
(2) *Ep.,* 140, c. 3, n. 9 sqq.

assimilatio et unio » (1). Et Maximus Confess.: « Deificationem quod efficiat nihil in creatis est... Id enim divinae solummodo gratiae proprium est, ut certa quadam ratione deificationem rebus tribuat, quae nimirum naturam luce supernaturali illustret supraque proprios fines excellentia gloriae ac claritatis elevet » (2). Et explicitius Ioa. Damascenus: *Deificatur*(homo per gratiam et gloriam) *participatione divinae illuminationis,* non in substantiam Dei conversus » (3). Hinc Leo Magnus concludit: « Agnosce o christiane dignitatem tuam et *divinae consors factus naturae,* noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire » (4).

3° *Ex ratione.* Hanc iam praeoccupavimus, et inde ducitur a S. Magistro quod homo per gratiam aptus fit ad operationes vitae divinae exercendas. Ut autem hae operationes connaturaliter ab homine fiant, exigitur nova quaedam eius naturae *aptatio,* quae non aliter fieri posse concipitur quam per communicationem quandam divini esse: « Cum nullius operatio (ita profunde arguit) supra facultatem naturae operantis extendatur, oportet quod si operatio alicuius supra id quod naturaliter potest extenditur, etiam natura quodammodo supra seipsam elevetur... Et ideo dicit Dionysius (c. 2 *Eccl. Hierach.*), quia sicut in rebus naturalibus est, quod illud quod non habet speciem per generationem adeptam, non potest habere operationes speciei debitas; ita ille qui non est adeptus divinum esse

---

(1) ἡ δὲ θεωσίς ἡστιν ἡ πρὸς Θεόν, ὡς ἐφικτὸν ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις. *Eccl. Hierar.* I, § 3, PG. 3, 373 sqq.

(2) μόνης γὰρ τῆς θείας χάριτος ἴδιον τοῦτο πέφυκεν εἶναι, τὸ ἀναλόγως τοῖς οὖσι χαρίζεσθαι θέωσιν· τῆς λαμπρυνούσης τὴν ρύσιν τῷ ὑπὲρ φύσιν φωτὶ, καὶ τῶν οἰκείων ὅρων αὐτὴν ὑπεράνω κατὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θοξης, ποιουμένης. Diversa capita theol. et œcumenica 500. cap. 76 P. C. 90, 1212.

(3) θεούμενον δὲ μετοχῇ τῆς θείας ἐλλάμψεως, καὶ οὐκ εἰς τὴν θείαν μεθιστάμενον οὐσίαν. De fide cath. l. II, c. 12, P G. 94, 924.

(4) *Serm. in Nativ. Dom.*, I, n. 5, PL, 54, 192.

per spiritualem regenerationem non potest participare divinas operationes. *Oportet ergo, quod primum donum, quod gratis homini infunditur, hunc habeat effectum, ut ipsam essentiam animae in quoddam divinum esse elevet, ut idonea sit ad divinas operationes* » (1).

III. Probatur tertia pars: — *Haec participatio est physica et quasi formalis; non antem mere moralis et virtualis.*

Praenotanda. — Participatio alicuius rei esse potest *physica* vel *moralis;* item *formalis* vel *virtualis* tantum:

a) *Moraliter* dicitur aliquis participare alterius perfectionem, cum huic assimilatur per conformitatem voluntatis, vel imitatione virtutum. Sic imitatores Abrahae eius filii dicuntur, quia eius vitae et fidei moraliter participes fiunt. - *Physica* autem habetur participatio, si *reali* aliquo *modo* communicatur participanti perfectio, quae alteri inest.

b) Haec vero *physica* participatio est *virtualis* tantum, cum perfectio participata invenitur in participante non in eadem forma, seu *ratione obiectiva*, ac est in exemplari, sed *diversa ratione.* Sic lumen rationis humanae est *virtualis* tantum participatio divinae intellectualitatis, quia *ratio formalis* cognitionis divinae est etiam *obiective* diversa a ratione cognitionis humanae: per naturale enim lumen intellectuale nulla creatura Deum ut *in se est* in sua propria forma attingere potest, sed illum in *specie* seu *forma aliena* ex effectibus creatis desumpta cognoscit. - Est autem *formalis* participatio, cum perfectio participata inest participanti in eadem ratione, saltem obiectiva, quae est in exemplari, licet *modo* et *gradu essentialiter diverso.* Dicimus itaque hominem per gratiam sanctificantem effici *physice* et *quasi formaliter* participem essentiae divinae (2). Profecto:

---

(1) II sent. dist. 26, q. 1 a. 3. Cf. *S. Theol.*, I, q. 93 a. 4.

(2) Haec sententia communiter a theologis defenditur contra *Nominales.* - Cf. Suarez, *De gr.*, l. 6, c. 2 et 12; l. 7, c. 1, n. 26 sqq. -

1° Gratiam esse participationem non moralem tantum, sed physicam divinae naturae, iure evincitur iis omnibus argumentis quibus probavimus eam esse *qualitatem realem animae* nostrae inhaerentem eique communicantem *novum intellectualitatis gradum,* qui uni Deo est connaturalis, seu aptitudinem radicalem intuitive videndi divinam essentiam eamque immediate possidendi. Et equidem, per gratiam nos *fieri vere* et *esse* filios Dei, illamque esse in nobis ut *semen* Dei, nequit prorsus intelligi de participatione per solam extrinsecam voluntatis conformitatem, vel per imitationem moralem virtutum Dei. *Nativitas* enim ex *semine* et *filiatio* exigunt ut filius *realiter* naturam patris participet; *substantialiter* quidem si filiatio sit *naturalis*, *accidentaliter* vero si filiatio sit adoptiva et accidentalis (1).

Gotti, op. c., q. III, dub. 3. - Ioa. a S. Thom., I, II, disp. 22, a. 1 etc. Inter recentiores in hanc gratiae conceptionem quam scholastici post Patrum vestigia exornarunt plures post hermesianos invehunt. - Cf. Kuhn, *Die gottliche Gnade Vorrede,* p. IX etc. Attamen ex difficultatibus quas opponunt apparet hos erronee admodum intellexisse hanc doctrinam scholasticorum; quasi nempe isti docerent per gratiam fieri homini *physicam* et *substantialem* comunicationem naturae divinae, non autem mere *accidentalem.* Itaque eatenus nos dicimus gratiam esse participationem *physicam* divinae naturae, quatenus gratia est donum *reale* per quod animae confertur novum *esse accidentale,* quo ipsa aptatur et *radicaliter* proportionatur ad eliciendos actus vitales, qui proprii sunt Dei, idest ad attingendum directe *proprium obiectum cognitionis* divinae, quod est ipse Deus, ut in se est. Hi tamen actus, qui in Deo sunt *substantiales* et *infinit*, in nobis sunt *accidentales*, et ipsum obiectum divinae intellectionis attingunt *finito modo.* Hoc solum sensu contendimus gratiam esse participationem *physicam similitudinis* divinae naturae. - Cf. Katschthaler, op. c., n. 209.

(1) Hoc ipsum non incongrue arguitur ex II Petr. I, 4, ubi divinae naturae *consortes*, κοινωνοί, fieri dicimur: κοινωνία enim communicationem physicam significat. Cf. I, Cor. X, 16. Quod insuper insinuatur ab Ecclesia in oratione lithurgica : « Da nobis per huius aquae et vini mysterium illius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps I. C. D. N. ».

Hinc S. Thomas simpliciter affirmat: « Lumen gratiae est participatio quaedam divinae naturae » (1). Et iterum conferens gratiam sanctificantem cum gratia *unionis hypostaticae* docet hanc esse non quidem participationem *similitudinis* divinitatis, sed *coniunctionem substantialem* ipsius divinae naturae in persona Filii; illam autem esse proprie participationem *accidentalem* similitudinis divini esse: « Gratia quae est accidens, est *quaedam similitudo divinitatis participata in homine.* Per Incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae in persona Filii. Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata » (2).

2° Ex his etiam apparet hanc participationem divinitatis per gratiam *aliquo sensu formalem dici posse:* quatenus nimirum: Gratia sanctificans nos *idoneos* radicaliter efficit ad Deum cognoscendum *eadem ratione formali* ac Deus seipsum cognoscit, idest *intuitive.*

IV. Probatur quarta pars: — Est autem participatio *obiective* tantum *formalis,* modo superius declarato, sed *subiective* est *analogica.* Hoc statuimus contra plures *thomistas* qui gratiam dicunt participationem Dei in ratione *entis infiniti* et *actus puri;* et hanc participationem appellant *subiectivam*, quasi in se habentem *receptive* eundem infinitatis modum, qui proprius est essentialiter unius naturae divinae (3). Hoc autem nullimode admitti posse videtur. Dicimus igitur gratiam esse participationem divinitatis formalem, *non subiectivam*, sed *obiectivam* tantum; quatenus est similitudo *analogica* divinae naturae in anima formata, qua haec elevatur ad rationem principii fundamentaliter proportionati ad eliciendas operationes divinas intuendi Deum ut est *actus purus* et *infinitus.* Et sane qui-

(1) Heic, a. 3.
(2) P. III, q. 2 a. 10, ad 1.
(3) Ita Gonet, disp. 2, § 10.

dem: Duplex in divinis attributis infinitas distinguenda est: *subiectiva* idest iuxta modum quo haec in subiecto sunt et a subiecto adaequate et substantialiter possidentur: et *obiectiva*, prout haec concipiuntur tamquam simplex *terminus* attingibilis cognitione creata. Atqui repugnat omnino infinitatem primo modo sumptam alii communicari; non autem apparet repugnantia communicabilitatis divinae infinitudinis *terminative* acceptae. Ergo.

Prob. Min.: Infinitas *subiectiva* exigit *ipsum infinitatis modum* absolutum prout in Deo est. Atqui talis modus cum includat rationem *actus puri, infiniti* et *irrecepti*, incommunicabilis prorsus est enti *potentiali, finito* et *recepto*, ita ut nec concipi possit creatura in qua sit utcumque ratio *actus puri*, *entis a se* et *infiniti* (1). Ergo gratia nequit esse participatio subiectiva divinitatis. E contra nulla apparet contradictio in eo quod creaturae rationali communicetur infinitas *terminative*, quatenus illa elevetur ad attingendum immediate per actum *potentialem, accidentalem, distinctum* a propria natura, illud obiectum infinitum quod Deus attingit actu substantiali. Haec quidem communicatio obiectiva divinae naturae est ipsum *mysterium ordinis supernaturalis creati;* illa vero communicatio subiectiva est absurdum, oletque pantheismum (2).

Scholion. — Duplex generatim scopulus in declaranda hac sublimi atque ineffabili unione creaturae rationalis cum Deo, quam gratia efficit, praecavendus est. Scilicet, hinc *nominalismi,* qui eam in mera *relatione amicali* ad Deum in animam iusti per gratiam inducta collocat: inde vero eorum, qui per quandam veram *informationem,* vel quasi mixtionem naturae divinae cum natura creata illam explicare videntur. Egregie Angelicus hanc participationem

(1) Cf. Suarez, l. 7, c. 5.

(2) Cf. Ioa. a S. Thom., I, II, disp. 22 a 5. - Gotti, l. c. qui hanc sententiam contra ceteros thomistas defendunt.

obiective tantum, non autem *subiective* formalem his verbis exprimit: « *Id quod substantialiter est in Deo accidentaliter fit in anima participante* (per gratiam habitualem) *divinam bonitatem* (1).

Obiectiones. — Fundamentalis ratio qua asseritur, gratiam esse *physicam,* non autem moralem tantum participationem divinae naturae, inde ducitur quod gratia est entitas quaedam per quam vere constituimur filii Dei adoptivi. Atqui haec ratio nulla est. Ergo.

Prob. min.: — 1° Sic dicimur filii Dei, ut vocamur *fratres* Christi. Atqui fratres Christi dicuntur qui Christum imitantur in conformitate Dei voluntati, iuxta illud: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est; ipse meus frater et soror et mater est* (2).

2° Quin imo per ipsam *fidem* fieri dicimur filii Dei. Fides autem non profecto inducit similitudinem physicam divinitatis in credentes (3).

3° Ipsae creaturae irrationales ex Patre Deo esse dicuntur iuxta illud Iob: *Quis est pluviae pater? aut quis genuit stillas roris?* (4).

4° Demum ipsa ratio *adoptionis* excludit communicationem naturae adoptantis, sed infert tantum *ius* ex lege positiva ad haereditatem. Ergo.

Resp. Nego min.: ad rationes allatas *resp.:*

Ad 1. *Dist. min.:* Etiam dicimur fratres Christi ob conformitatem voluntati Patris, *Conc.*: tantum ob hanc conformitatem, *Nego.* — Addo neminem posse in omnibus voluntatem Dei facere nisi per *gratiam*, et ideo qui implet hanc voluntatem est frater Christi et filius Dei adoptivus, non

(1) Hic, cart. 2 ad 2.
(2) Matth., XII, 50.
(3) *Omnes enim filii De estis per fidem, quae est in Christo Jesu. Gal.*, III, 26.
(4) XXXVIII, 28.

formaliter quia implet eam, sed ratione gratiae, per quam illam adimplet.

Ad 2. *Dist.: Ex beneficio fidei*, seu doctrinae evangelicae et *ex redemptione* Christi provenit in nos cooptatio in filios Dei, *Conc.:* per fidem formaliter efficimur filii Dei, *subdist.:* per fidem vivam caritate formatam, *Conc.;* ex fide *sola,* iterum *dist.: initialiter et dispositive, Conc.; perfecte, Nego.* — Ex contextu evidenter apparet fidem ab Apostolo hic sumi *non subiective,* prout est virtus, sed *obiective* prout indicat legem Christi in oppositionem ad legem Moysis.

Ad 3. *Dist.:* Creaturae irrationales analogice *natae* ex Deo dicuntur, idest *factae*, *Conc.:* vera aliqua generatione etiam secundum esse accidendale productae, *Nego.* — E contra iustus ita ex Deo nasci per gratiam dicitur, ut ei connaturaliter obveniat ius ad haereditatem, nec non ceterae conditiones habeantur quae sunt filiorum propriae.

Ad 4. *Dist.:* Communicatio naturae non est de ratione adoptionis, si adoptio fiat ab alio homine, *Conc.:* si a Deo, *Nego.* — Ratio disparitatis stat in hoc, quod adoptio inter homines supponit adoptatum eiusdem esse naturae ac est adoptans, et hinc iam eum esse naturaliter aptum ad percipiendam haereditatem. Sed adoptio divina cum non supponat in homine naturalem aptitudinem seu capacitatem ad percipiendam Dei haereditatem, quae consistit in intuitione et possessione immediata essentiae Dei, debet illam efficere tribuendo adoptato similitudinem naturae divinae prout est in se (1).

§ 2. — *De natura gratiae actualis.*

Praenotanda. — I. *Variae denominationes et descriptio gratiae actualis.* — Gratia actualis, quae a Patribus latinis vocatur etiam *auxilium, adiutorium Dei*, vel *divina motio,* et a Graecis τοῦ Θεοῦ ἐνέργεια (vis divina), ἡ τοῦ Θεοῦ ῥοπή

(1) Cf. Gotti, *De gr.*, q. 3, dub. 3, § 3.

(inclinatio divina), ἡ θεία κίνησις (motio divina), ἡ τοῦ λόγου χείρ etc., est, ut iam diximus, internum auxilium quod a Deo per modum actus transeuntis vel motionis homini datur ad illustrandum supernaturaliter eius intellectum eiusque voluntatem ad bonum salutare inclinandam. — Quae sit gratiae actualis natura nunc est inquirendum.

II. *Errores*, qui gratiae actualis genuinum conceptum pervertunt ad tres classes reduci possunt:

1° Eorum qui gratiae supernaturalitatem non admittunt, vel vim eius *subiective* motivam negant.

Hi sunt: *a*) *Pelagiani*; qui vel nullam, praeter dotes naturales hominis et extrinsecam propositionem doctrinae et exemplorum Christi, gratiam agnoverunt; vel ad summum illustrationem quandam mere obiectivam *intellectus* admiserunt, sine ulla voluntatis interna *motione* et facultatum naturalium *elevatione*. Contra hos iam egimus defendentes doctrinam catholicam de necessitate gratiae supernaturalis intellectum illustrantis atque interius voluntatem moventis ad opus salutare.

b) *Semi-rationalistae* et plures theologi scholae *hermesianae* et *guntherianae,* qui licet motionem internam facultatum nostrarum per gratiam fieri concedant, hanc tamen motionem non profitentur tamquam *medium sine quo* opus salutare fieri non possit, sed eam habent veluti meram *excitationem* ethicam, idest tamquam robur additum ad id volendum atque agendum, quod natura per se quidem posset, sed ob infirmitatem ex peccato et concupiscentia contractam, *non vult* et *non facit*. Iuxta hos gratia actualis non est entitative supernaturalis sed tantum quoad modum (1).

c) His addendi sunt quidam theologi, qui gratiae actualis indolem ita exponunt ut eam habere videantur

---

(1) Cf. Kleutgen, *Theol. der Vorzeit,* vol. II, n. 209 sqq. - Katschthaler, *De gr.*, n. 31 sqq..

tamquam illustrationem et inspirationem *mere obiectivam*, scilicet per simplicem propositionem obiecti supernaturalis, nulla virtute intrinsecus addita intellectui et voluntati (1).

2° Eorum qui gratiae actualis vim exaggerantes eam cum divina voluntate vel omnipotentia confundunt. Sic *Lutherani*, *Janseniani* et *Quesnellus* (2).

3° Eorum qui gratiae influxus ad quosdam actus salutares coarctant. Ita *Arnaud* docens, gratiam esse « ipsum actum (supernaturalem) creaturae *deliberatum* » (3). Qua definitione gratia operans, *quae in nobis sine nobis libere concurrentibus,* producit primas intellectus illustrationes et voluntatis inspirationes, omnino negatur. — Huc etiam referri potest manca gratia actualis descriptio quam Berti sic exhibet: « Gratia est actus intellectus et voluntatis, sive mentis illustratio et inspiratio caritatis » (4). Iamvero non per solam caritatis inspirationem movet Deus voluntatem nostram ad actus salutares, sed et inspirando timorem divini judici, spem, etc.

III. *Conceptus gratiae actualis in quem omnes catholici theologi conveniunt.* — Iuxta doctrinam catholicam gratia actualis concipienda est tamquam interior influxus Dei realiter distinctus ab eius voluntate immanente, *elevans transeunter* potentias nostras easque movens ad omnes actus salutares tum indeliberatos, tum deliberatos, licet diversa ratione.

IV. *Variae sententiae circa propriam essentiam gratiae actualis.* — In determinanda autem qualitativa entitate influxus vel motionis in quo gratia consistit, ipsi theologi

---

(1) Cf. HURTER, *Theol. Dogm.*, v. III, § 18.

(2) « Dei gratia nihil aliud est quam eius omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis ». Prop. 19, *Quesnelli damn. a Clem. XI.*, DENZ. 1234.

(3) Cf. *Clericum a Belliberone* apud MIGNE, *Curs. theol.*, v. 10, 807. – KATSCHTHALER, op. c., n. 37.

(4) *Discipl. theol.*, t. 3, l. 14, c. 7.

inter se disputant: Thomistae enim generatim, asserunt eam esse vim distinctam realiter etiam ab ipsis actibus vitalibus qui in nostris potentiis producuntur: Alii autem, praesertim Molinistae, ipsos actus vitales tantum, prout sub motione Dei supernaturali producuntur a nostris potentiis, esse gratias actuales contendunt.

Nos itaque asserta doctrina catholica, quid verisimilius de his Theologorum sententiis tenendum sit, innuemus.

CONCLUSIO I.

Gratia actualis est illuminatio supernaturalis in intellectu hominis a Deo intrinsecus, novoque etiam et altiori addito lumine effecta. — Item est motio supernaturalis humanae voluntatis, non solum moralis, per obiectivam boni supernaturalis propositionem; nec solum mediata per illuminationem intellectus vi legis psicologicae in voluntatem influentem; sed physica et etiam immediate a Deo exercita, nova immissa voluntati virtute.

I. Probatur prima pars: — Gratiae actualis naturam *ex effectibus* definientes, dicimus in primis eam esse illuminationem intrinsecam intellectus distinctam ab extrinseca praedicatione, seu obiectiva propositione veritatis, qua mens naturaliter illustratur. Haec autem intrinseca illuminatio, si spectetur gratia naturam sauciatam *sanans*, utique esse potest simplex *corroboratio facultatis naturalis* contra tenebras mentis ex peccato et concupiscentia obortas, qua ipsa expeditior redditur ad cognoscendas veritates morales et religiosas ordinis naturalis. Si vero gratia *elevans* attenditur, est novum quoddam lumen intellectui transeunter inditum, quo elevatur ad cognoscendum supernaturaliter ea quae ad salutem spectant. Hoc evidenter constat:

1° *Ex Magisterio Ecclesiae.* Concilia expliciter docent gratiam esse illustrationem intrinsecam intellectus humani

a Deo supernaturaliter immissam (1). Sic Araus. II: « Si quis per naturae vigorem evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti: a. s. (2). Et conc. Carth. IV: « Per ipsam (gratiam) revelatur et aperitur *intelligentia* mandatorum ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus » (3).

2° *Ex Sacra Scriptura,* quae saepe loquitur de aliquo auxilio a praedicatione Evangelii *distincto,* quo intellectus noster indiget ut fidei assentiat et ad hoc auxilium implorandum nos hortatur. Sic Apostolus: « *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis; ut Deus Domini Nostri Iesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius:* (ἐν ἐπιγνώσει) *illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius,* » etc. (4). Hinc Deus qui « *sapientiam* et *intellectum praestat parvulis* » (5) non solum extrinsecus adiuvat *plantando* et *rigando*, sed intrinsecum *incrementum* dat (6); non solum forinsecus praedicat, sed « *trahit* » (7) et « *aperit cor intendere* » his quae praedicantur (8). Ut hoc intrinsecum auxilium obtineamus Deum adprecamur: « *da mihi intellectum et scrutabor legem tuam* » (9).

3° *Ex Patribus,* Augustinus in controversia contra Pelagianos saepissime insistit in asserenda necessitate et ra-

(1) Cf. quae supra attulimus, q. I, a. 5 et 9.

(2) Can. 7 Denz. 150.

(3) Can. 4. Denz. 68, cfr. Coelestini I Epist., c. 9. Denz. 93; Bullam « *Auctorem fidei* », prop. 21 in qua, contra errorem Pistoriensium qui negabant in illuminatione supernaturali intellectus inesse rationem verae gratiae, declaratur: *esse etiam proprie gratiam Christi, eam gratiam, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti.* Denz. 1384

(4) *Eph.*, I. 16-18.

(5) Psal. XVIII, 8.

(6) I *Cor.*, III, 7.

(7) Ioa. VI, 44.

(8) Act. XVI, 14.

(9) Psal. CXVIII, 34.

tione verae gratiae auxiliis intrinsecus illuminantibus in ordine ad actus salutares: « Legant ergo (Pelagiani) et intelligant et intueantur atque fateantur non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed interna et occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum non solum veras revelationes (illustrationes) sed bonas etiam voluntates » (1). Hanc ipsam doctrinam sic breviter aeque ac efficaciter exprimit Ioa. Chrysost.: «Spiritus Sanctus novos dat oculos... ut in carne caelestia intueamur» (2).

4° *Ex Ratione. — Ob supernaturalitatem cognitionis salutaris.* — Nunquam enim cognitio foret entitative supernaturalis si Deus ipse non fieret comprincipium nostrae cognitionis, superaddendo intellectui nostro novum lumen altioris ordinis vel novam motionem. Cognitio enim quae ex extrinseca veri propositione habetur non est supernaturalis in se, sed ex virtute naturali procedit.

II. Probatur secunda pars: — Non defuerunt ex theologis catholicis, qui dicerent gratiam divinam immediate quidem intellectum afficere, non autem ipsam voluntatem immediate movere. Cum enim voluntas ex lege psychologica influxum sequatur intellectus, ad illius elevationem et motionem supernaturalem hunc ipsum influxum moralem intellectus supernaturaliter illustrati sufficere putabant (3). — Haec tamen sententia omnino reiicienda videtur.

Immediatam enim *voluntatis* motionem fieri per gratiam, saltem praevenientem, certo arguitur:

1° *Ex magisterio Ecclesiae.* Conc. Carth. IV anathematizat negantes: « Per gratiam nobis praestari ut quod fa-

---

(1) *De gr. Chr.*. l. I. c. 24. PL. 44. 373: cf. alia testimonia allata q. I a. a. 5, 9.

(2) *Hom. in Ioa.*, n. 2, PG. 59. 27.

(3) Cf. Petavium. *De haer. Pel.*, c. 10. n 12. - Bossuet. *Défense de la tradition.* l. 10. c. 6.

ciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus... cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus (1). Et Coelestinus I approbat doctrinam Episcoporum Africae scribentium: « Praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant paternis *inspirationibus* suorum ipse tangit corda fidelium » (2). Ergo actio Dei qua voluntatem inspirat, distinguitur ab actione qua intellectum illustrat.

2° *Ex S. Scriptura,* quae a divino influxu non solum mentis nostrae illustrationem, sed distinctim etiam voluntatis nostrae *inclinationem* repetit. Sic rogare docemur: *Inclina cor meum* (Domine) *in testimonia tua* (3). Et iterum: *Inclinet* (Dominus) *corda nostra ad se. ut ambulemus in universis viis eius* (4). Et ipse Dominus statuens ad resipiscentiam revocare reliquias populi Israel in terris gentium dispersi, ait: *Dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum; ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant* (5).

3° *Ex doctrina Augustini,* qui non solum semper distinguit gratiam illustrantem intellectum ab influxu *directe* exercito in voluntatem per *gratiam inspirantem,* sed insuper docet illustrationem quandoque dari, quin detur efficax voluntatis inspiratio: « Intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere *vel certam scientiam,* vel victricem delectationem, ut cognoscant non a sepsis, sed ab illo sibi esse *lucem* qua illuminentur tenebrae eorum, et *suavitatem* qua det fructum suum terra eorum » (6).

---

(1) Can. 4, Denz., 68.
(2) *Epist. ad Epos Galliae,* cap. 8. Denz. 92.
(3) Psal. CXVIII, 36.
(4) III Reg. VIII, 58.
(5) Ezech., XI, 19-XXXVI, 26, etc.
(6) *De Peccat. mer. et remiss.,* l. 2, c. 19, n. 32 PL, 44, 170.

4° *Ex ratione.* — Ut actus voluntatis sint salutares procedere debent a *principio* supernaturali et a potentia elevata. Atqui voluntas *mediate* tantum per illustrationem, etiam supernaturalem, intellectus excitata ad actum nequit esse principium ipsius operationis *supernaturale*: propositio enim obiectiva boni supernaturalis non immutat vim volitivam, nec voluntatem evehit ad dignitatem principii supernaturalis, sed se habet ut *mera conditio extrinseca*. Itaque si voluntas ipsa intrinsecus non elevetur per gratiam, actus inde consequens non excedet sphaeram actuum naturalium. Ergo requiritur *immediatus* gratiae influxus in ipsam voluntatem (1).

CONCLUSIO II.

Formalis essentia gratiae actualis praevenientis, saltem pro nondum iustificatis, reponenda videtur in vi quadam supernaturali a Deo transeunter impressa nostris potentiis, qua hae elevantur ad dignitatem comprincipii actuum vitalium supernaturalium.

Status quaestionis. — 1° *Sententia Thomistarum.* — Circa formalem essentiam gratiae actualis, celebris exstat controversia inter plerosque Thomistas (2) et Molinistas (3). Thomistae censent gratiam actualem consistere in

---

(1) Cf. Suarez, l. 3, c. 7.

(2) Cf. Bannez, I. p. q. 12. a. 5. dub. 3; II. II, q. 23, a. 5. dub. 2. - Alvarez, *De Auxiliis*, disp. 74. n. 4 sqq. - Ioa. a S. Thoma, I. II, disp. 24, a. 1. - Salmanticenses, tract. 14, q. 119, disp. 5, dub. 2. - Ledesma, *De Aux.*, art. 5, concl. 1 sqq. - Gotti, *De gr.*, q. 2, dub. 2. - Billuart, *De gr.*, dissert. 4. a. 2. - Inter recentiores thomistas cf. Scheeben, *Dogm.*, vol. 2, n. 762 sqq. - Schaetzler, *Natur und Uebernatur*, p. 197 sqq. - Glossner, *Doctrina S. Thomae de Gratia*, cap. 5.

(3) Cf. Molina, q. 14. a. 13. c. 37. - Lessius, *De gr. effic.*, c. 15. n. 13 sqq. - Ripalda, *De Ente Super.*, tom. I, disp. 34. t. III. disp. 104-110 et inter

quadam *vi physica transeunte*, qua Deus operatur et cooperatur in nobis ea quae ad salutem pertinentia volumus et facimus (1). Hinc gratia actualis est entitas realiter distincta ab actibus vitalibus supernaturalibus, quorum est principium et causa (2). Addunt insuper *entitative* distingui ex sua propria specie gratiam praevenientem a gratia adiuvante (cooperante): prior enim operatur *in nobis sine nobis* actus *indeliberatos* et potentias nostras complet tantum in *actu primo*, conferens illis *posse* agere supernaturaliter; altera autem est nova entitas, quae confert ipsum *actum secundum*, physice praedeterminando consensum liberum voluntatis (3). — Hanc autem suam sententiam Thomistae his fere argumentis adstruunt:

a) *ex modo loquendi sacrae Scripturae et Patrum*; gratia enim actualis ab his communiter dici solet: *pulsatio, tactus, excitatio, vocatio, tractio*, etc. Atqui *pulsatio*, etc., non vitaliter a nostris potentiis efficiuntur, sed ab eis recipiuntur: ergo ipsi actus vitales non sunt formaliter gratia;

b) *ex origine gratiae*. Gratia a Deo tantum est. Atqui actus vitalis est etiam a nobis: Ergo actus vitalis est effectus gratiae, non ipsa gratia formalis;

c) *ex supernaturalitate actus salutaris*, qui supponit facultatem iam elevatam ad ordinem potentiae supernaturalis. Ergo elevatio ipsius potentiae, saltem natura prior, praesupponenda est ipsi actui vitali. Non itaque actus vitalis formaliter est gratia, sed illa entitas quae potentiae vitali confert elevationem: « Quamvis igitur (scribit Gotti) bonae actiones nostrae (cogitationes et volitiones) sint quae-

---

modernos: - Mazzella, *De gr.*, n. 143, sqq. - Palmieri, *De gr. act.*, th. IX-X et praesertim th. XVI. - Schiffini, *De gr.*, disp. 3, sect. 1, thes. 11, n. 136.

(1) Cf. Gotti, l. c.

(2) Sylvium, I, II, q. 111 a. 3, concl. 2 sqq.

(3) Cf. Billuart, l. c.

dam gratiae quatenus gratuito donantur; proprie tamen non sunt gratia actualis, quia gratia actualis est illa per quam Deus nos movet, vel nobiscum cooperatur ad actiones bonas, seu salutares faciendas; et per consequens ea esse debet quoddam istarum actionum principium, et istae actiones illius gratiae effectus esse debent » (1).

d) *ex auctoritate S. Thomae,* qui docet gratiam actualem esse « divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum et agendum » (2). Ergo non ipsa volitio, sed aliquid prius ipsa est gratia. Item hoc ipso art. tradit: « hominem per gratiam operantem adiuvari a Deo ut bonum velit » (3). Ergo *bonum velle* est effectus gratiae, non ipsa gratia.

2° *Sententia Molinistarum.* Hi opinantur in ipsa *operatione vitali* potentiae rationalis a Deo motae ad actum supernaturalem inesse rationem formalem gratiae actualis: hinc gratiam *excitantem* seu *praevenientem* esse ipsos *actus vitales indeliberatos* prout sub *motione Dei supernaturali producuntur,* quin aliud donum internum animae inditum ad adaequatam rationem gratiae requiratur. — Gratia vero *adiuvans* sunt ipsi actus vitales *supernaturales liberi* prout sub motione Dei efficiuntur. Gratia itaque *excitans* et gratia *adiuvans* non *entitative* inter se distinguuntur, sed tantum per diversam habitudinem ad actum salutarem (4). — *Suarezius* tamen hanc sententiam sic temperat ut affirmet: Deum, seu Spiritum Sanctum immediate supplere defectum alterius principii intrinseci, specialiter assistendo facultatibus nostris, et omnipotenti sua virtute earum potentiam obedientialem excitando ad actum supernaturalem (5).

(1) Loc. cit. § 2, n. 11.

(2) Hic, q. 111 a. 2.

(3) Hic, ad 3.

(4) Cf. Palmieri, th. XX.

(5) *De gr.*, l. 3, c. 19. Suarezium sequuntur Tanner, I, II, disp. 6 q. 3, dub. 10. - Amicus, *De gr.*, disp. 28, sect. 2. - Cf. Mazzella l. c. n. 144.

Ad hanc suam doctrinam evincendam isti theologi arguunt:

a) *Ex natura gratiae actualis.* Gratiam actualem intelligimus generatim omnes actiones Dei moventis animam hominis ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, relate ad finem supernaturalem. Atqui « actus moventis in moto (in mobili) est motus (idest ipse motus mobilis) ». Ergo gratia actualis (ut concludit ipse S. Thomas), non est qualitas (1), sed *motus quidam animae,* idest ipsa eius operatio, prout elicitur sub motione Dei supernaturali. — Aliis verbis: gratia actualis est actio Dei supernaturaliter moventis animam. Actio autem Dei considerari potest vel *in se,* prout est in Deo (formaliter activa), vel *terminative,* quatenus aliquid ponit in subiecto. Primo modo actio Dei est ipsa divina dilectio *formaliter immanens* et *virtualiter transiens* quae est principium efficiens gratiae. Alio modo est effectus gratuitus, ab hac dilectione per modum motionis productus qui *formaliter* dicitur gratia. Atqui motio moventis passive considerata, seu iuxta suum effectum formalem in *mobili,* est ipse motus *mobilis.* Ergo.

b) *Ex subiecto gratiae actualis.* Gratia actualis recipitur ab *intellectu* et *voluntate,* hinc est motio harum potentiarum. Atqui motio intellectus et voluntatis non alia esse potest, quam ipse *actus vitalis* cogitationis et volitionis. Ergo ipsi actus vitales prout eliciuntur sub motione Dei active sumpta, habent rationem gratiae actualis (2).

c) *Ex modo quo a S. Scriptura et a Patribus exhibetur gratia actualis tamquam bona cogitatio, scientiae illuminatio, locutio, voluntas bona, pium desiderium, deliberatio sancta;* etc. Hae autem denominationes indicant actus vitales.

---

(1) Hic q. 110 a. 2.

(2) Cf. Palmieri, l. c.

d) *Ex repugnantia qualitatis fluentis.* Qualitas enim per se infert quid *stabile* et permanens, non autem transiens (1).

e) *Ex auctoritate S. Thomae*, qui non solum ipsam actionem vitalem sub motione Dei elicitam appellat gratiam actualem, sed a gratia actuali excludit explicite rationem qualitalis. « Dupliciter (scribit) ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum; et *hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae* » (2).

3° *Crisis.* Utraque sententia probabilibus, ut apparet, fulcitur momentis. Tamen sententia *thomistica* quoad gratiam *operantem,* seu *praevenientem*, saltem pro nondum iustificatis, videtur praeferenda. — Quoad gratiam autem *adiuvantem* verior apparet opinio Molinae, etiam praescindendo a physica praedeterminatione quam Thomistae huic gratiae communiter adscribunt.

Probatur conclusio. — Ad statuendam formalem rationem gratiae actualis, saltem excitantis, et pro nondum iustificatis, in aliqua entitate seu *vi transeunte* potentiis animae impressa et tum ab ipso Deo, cum ab operationibus salutaribus realiter distincta, tamquam earum causa et principium; non tam inducimur a testimoniis S. Scripturae et S. Patrum quae pro hac sententia afferuntur, quam po-

(1) « Forte (scribit Suarezius, l. 3, c. 4, n. 11) non est possibilis spiritualis qualitas, quae non sit actus vitalis, sed per modum actus primi, et sit natura sua transiens, et quasi dependens a suo effectu. Nam si ab illo non pendet, cur cessante illo, statim corrumpitur, cum sit in subiecto incorruptibili et a nullo contrario expellatur, neque habeat aliam causam corruptionis, praeter suspensionem influxus divini »?

(2) Cf. Palmieri, l. c., qui etiam reiicit tamquam figmentum explicationem Billuart (l. c.) asserentis ideo gratiam actualem ab Angelico non proprie vocari *qualitatem,* quia est *qualitas incompleta*, habens in se modum *passionis transeuntis.*

tissimum ex necessitate praeviae elevationis potentiae naturalis ad dignitatem principii supernaturalis, quo capax ipsa fiat eliciendi actus salutares. Et sane quidem :

1° Actus salutaris ex una parte est vitalis, et hinc totus procedit a potentia vitali, tamquam a principio intrinseco; ex altera parte idem actus est supernaturalis, et hinc *entitative* differt ab actu naturali. Atqui impossibile est ut a potentia naturali eliciatur actus supernaturalis, nisi prius ipsa potentia fiat *intrinsece* idonea per elevationem ad hunc actum producendum. Sicut enim actus vitalis exigit potentiam vitalem a qua procedit, ita actus supernaturalis exigit potentiam vitalem *supernaturaliter elevatam*. Ergo debet in ipsa potentia, quae est mere naturalis, praesupponi aliquod elementum intrinsece superadditum, quod ipsam elevet ad dignitatem principii supernaturalis.

2° Nec sufficere videtur extrinseca *elevatio* potentiae per actionem immediatam Dei et per assistentiam Spiritus Sancti. In hac enim hypotesi potentia vitalis esset non con causa principalis, sed vera *causa instrumentalis*, actus salutaris. - Sane : nisi per hanc actionem et assistentiam Dei fiat intrinseca elevatio ipsius potentiae, qua haec constituatur principium intrinsecum actus salutaris, numquam actus hoc modo productus procedet ab ipsa potentia, tamquam ab *unica causa principali* obedientiam creaturae movente, et ipsa utente tamquam instrumento ad actum supernaturalem producendum. — Atqui admitti nequit intellectum et voluntatem esse causas *instrumentales* actuum vitalium, qui ab ipsis procedunt; quin potius, iuxta modum loquendi *Doctoris Seraphici,* gratia est instrumentum quo utitur Deus ad movendas potentias : « Gratia enim (scribit ipse egregie in rem nostram) est sicut quaedam *influentia* procedens a luce superna, quae semper habet coniunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole; et quia semper suae origini coniungitur, ideo non tantum attribuitur ei

operatio ratione *subiecti in quo* est, sed etiam ratione *subiecti a quo* est. Unde sicut lumen non solum operatur *cum* aere, sed etiam operatur *in* ipsum aerem ratione continuationis cum suo fonte; sic et gratia non solum operatur *cum* libero arbitrio, sed etiam operatur *in* liberum arbitrium, et liberum arbitrium movet. — *Unde non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse Spiritus S. instrumentum ad movendum liberum arbitrium* » (1). Praerequiritur ergo elevatio intrinseca potentiae, qua haec fiat principalis concausa actus salutaris (2).

Scholia. — 1° Cum in iustificatis habeatur per gratiam sanctificantem et virtutes infusas elevatio animae et potentiarum ad ordinem supernaturalem, non apparet pro his necessitas praeviae elevationis entitativae per gratiam excitantem. Hinc bona cogitatio et salutaris volitio a Deo immediate immissa in potentiam iusti iam elevatam, est ex se sola formaliter *gratia actualis*.

---

(1) II, dist. 26, q. 6.

(2) Quomodo intelligi debeat S. Thomae dictum « gratiam actualem non esse qualitatem » lege apud Sylvium, I, II, q. 110, art. 2, concl. 1. - Alvarez, *De aux.*, disp. 19. - Cf. etiam Scheeben, t. 2, l. c., n. 771. - Salmanticenses sic rem exponunt: « Respondetur, S. Doctorem eam rationem qualitatis denegare gratiae actuali, quam in habituali concedit, ut sic salvetur diversitas, quam intendit constituere inter utramque. Gratia autem habitualis est qualitas, non utcumque, sed fixa, permanens et stabilis; unde cum denegat gratiae actuali rationem qualitatis, solum intendit quod non sit qualitas permanens sicut habitus. Qualitates enim fluidae non solent absolute appellari qualitates, sed magis *passiones et mobiles impressiones*. Et hac ratione Aristot., I *Ethic.*, cap. 3, dixit: « Non enim virtutis operationes qualitates sunt, nec facilitas » non quia vere qualitates non sint, sed quia habent esse fluidum et transiens. Et similiter in *Praedicam.* cap. *De Qualitate* dicitur quod esse pallidum ex timore vel rubicundum ex verecundia non sunt qualitates: quia videlicet, quamvis pallor et rubor... verae qualitates sint, tamen cum oriuntur ex praedictis passionibus non habent esse permanens, sed fluidum ad instar ipsarum passionum ». trac. 14, q. 111, disp. 5, dub. 3, § 4, n. 55.

2° Item, elevata potentia nondum iustificati per virtutem collatam a gratia excitante, nulla alia nova vis, seu entitas requiri videtur *pro gratia adiuvante;* cum eadem virtus excitans conservata, influat in potentiam cooperantem motioni Dei. Hinc novam entitatem gratiae adiuvantis distinctam ab actibus vitalibus productis a potentia elevata per gratiam excitantem non admittimus; eoque minus concedimus, hanc novam vim entitative distinctam, quam Thomistae conferri dicunt a gratia adiuvante, physice praedeterminare potentiam ad actum. — Sed de hac re fusius quaestione sequenti. Hoc unum demum adnotandum volumus: sententiam de entitativa distinctione gratiae actualis tum a Deo, tum ab ipsis actibus vitalibus optime componi posse cum systemate Moliniano de concordia liberi arbitrii cum gratia, dummodo excludatur *physica praedeterminatio*.

Articulus III.

Utrum gratia sit idem quod virtus.

Praemittenda. — 1° Inquiritur distinctius num gratia *sanctificans* sit habitus *entitativus*, vel sit formaliter operativus, idest virtus. Pluribus quidem theologi visum est gratiam habitualem esse virtutem ipsam caritatis, vel gratiam et caritatem inter se non realiter sed virtualiter tantum distingui secundum diversa munera. Una quippe eademque entitas dicitur gratia quatenus *gratis datur* et *gratum facit*, vocatur autem *caritas* prouti est principium diligendi Deum supernaturaliter. Hanc sententiam sequuntur: Scotus (1), Aureolus (2), Durandus (3). Inter recentiores: Vega (4),

---

(1) II sent. dist. 26 a. 1. q. 1. - Montefortino, I, II, q. 110, a. 3.
(2) II, dist. 26, q. 1.
(3) Ibid.
(4) *In Conc. Trid.*, l. 6, c. 25,

Bellarminus (1), Estius (2) aliique plures. Realem distinctionem e contra tuentur S. Thomas (3), Albertus M. (4), Aegidius Rom. (5), Suarez (6) et plerique ex theologis praesertim post Conc. Trid.

Etiam S. Bonaventura admittit hanc realem distinctionem, licet opinetur gratiam perinde ac caritatem inhaerere tamquam proprio et immediato subiecto *voluntati*, non autem essentiae animae (7).

3º Etsi sententia Scoti tuta fide defendi possit, tamen omnino adhaerendum esse censemus sententiae S. Thomae, tum quia haec magis convenire videtur modo loquendi S. Scripturae et Conc. Trid., tum quia melius respondet conceptui biblico iustificationis, tum demum et *praecipue,* quia hanc exigit analogia inter ordinem naturalem et supernaturalem.

CONCLUSIO

Gratia sanctificans est habitus realiter distinctus a caritate, ut huius fundamentum et radix.

Probatur. — 1º *Ex magisterio Ecclesiae.* — *a*) Licet Conc. Trid. hanc quaestionem *domesticam* dirimere noluerit, eo tamen loquitur modo quo nostrae sententiae favere omnino videatur. Concilium enim semper distinguit *gratiam a donis, gratiam a virtutibus, gratiam a caritate* (8).

---

(1) *De gr. et lib. arb.*, l. 1, c. 6.

(2) II, dist. 26, § 4-6

(3) Hoc art. et II sent. d. 26, a. 4. - *De Ver.*, q. 27, a. 2.

(4) II sent., q. 26, a. 11.

(5) II sent., q. 2, a. 1.

(6) *De gr.*, l. 6, c. 12.

(7) II sent. dist. 27, art. 1, q. 2. — De hac Seraphici sententia cf. Scheeben, l. c., n. 807 et Scholion in h. l. edit. Quaracchi.

(8) Sic Sess. 6 c. 7 docet: « Iustificationem fieri per voluntariam susceptionem *gratiae et donorum* » et can. 11 definit: « Si quis dixerit homines iustificari... exclusa *gratia* et *caritate,* quae in cordibus eorum diffundatur per Spiritum Sanctum, a. s. ».

Hinc Catechismus Rom. hanc distinctionem explicite statuit: « Est autem gratia... divina qualitas animae inhaerens... Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus quae in animam divinitus cum gratia infunduntur » (1).

b) Doctrina Ecclesiae desumi etiam potest ex damnatione propositionum Baii, quibus negatur per gratiam conferri iusto *esse deificum*, quo adoptatur in filiationem Dei et consors fit divinae naturae, ut sic renovatus bene vivere et mandatis Dei obedire possit (2).

2° *Ex S. Scriptura,* quae de gratia et caritate ut de duobus distinctis donis loqui videtur. Sic Apostolus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus per Spiritum S., qui datus est nobis* (3). « Ergo (dicit S. Thomas) datio Spiritus S. praecedit caritatem sicut causa effectum. Sed Spiritus S. datur secundum aliquod donum suum... et hoc non videtur esse aliud quam gratia. Ergo gratia est aliud quam caritas » (4). Et iterum: *Gratia D. N. J. C., et caritas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis* (5). Demum ita *gratia* a *dilectione* distingui videtur ab eodem Paulo, ut ea a fide secernitur. Ait enim: *Superabundavit gratia D. N. J. C. cum fide et dilectione* (μετὰ πὶστεως καὶ ἀγάπης) (6). Atqui omnibus consentientibus *fidei habitus* realiter distinguitur ab *habitu gratiae,* remanet enim *fides* et *spes* in peccatoribus fidelibus. Ergo.

---

(1) P. II, c. 2, q. 49.

(2) Cf. prop. 17 (Denz. 897) et 42 (Denz. 922).

(3) *Rom.*, V, 5.

(4) *De Verit.*, q. 27, a. 2, arg. 2.

(5) II *Cor.* XIII. - Fatendum tamen est haec S. Script. testimonia non esse cogentia. Nec defuerunt qui hoc ultimum testimonium, quod graece ita legitur: « ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος », ita urgerent, ut arguerent quamque ex Trinitate personam nobis quandam gratiae speciem largiri, ita ut Filius det nobis *gratiam*, Pater (ὁ θεός) *caritatem*, et Sp. S. *consortium* (κοινωνίαν) sui et perinde divinitatis.

(6) I *Tim.* I, 14.

3° *Ex conceptu biblico iustificationis,* quae eo modo fieri exhibetur ut per gratiam regeneremus in filios Dei. Atqui generationis terminus non tam est *virtus*, quam potius *novum esse* ex quo *novae virtutes* resultant. Ergo.

4° *Ex Ratione,* quam praeeunte S. Thoma deducimus:

a) *A conceptu* seu natura *virtutis*, quae supponit subiectum in *suo* esse, vel in suo connaturali ordine iam *constitutum*. Prius enim est principium τοῦ esse, vel *forma*, quam principium immediatum operationis. Atqui *caritas* est principium *proximum* ex quo actus amoris Dei supernaturalis procedunt. Ergo ea praesupponit aliud principium conferens elevationem supra naturam.

b) *Ab analogia ad ordinem naturalem.* Rationi enim consonum est, ut Deus eodem proportionali modo perficiat animam in ordine supernaturali, quo naturam perficit in ordine naturali. Atqui Deus creaturis prius naturam confert, deinde potentias et virtutes agendi tamquam in ipsa natura radicatas et ab ea resultantes. Ergo conveniens est ut in elevatione naturae ad ordinem supernaturalem prius ipsam formam supernaturalem (τὸ esse supernaturale) scilicet *gratiam habitualem* conferat, post autem virtutes operativas ipsi gratiae tamquam radici connexas (1).

c) Demum hanc ipsam distinctionem arguit Angelicus solide aeque ac eleganter *ex perfecta praeparatione*, seu *coaptatione* creaturae rationalis ad finem supernaturalem ad quem haec destinatur: « Cum diversarum natu-

---

(1) Hoc art. – Etiam S. Bonaventura cum Angelico convenit in eo quod *gratia* respiciat *primum esse*, *virtus* vero *secundum esse*. « Sicut enim (ait) principium productivum (Deus creator) sua summa perfectione in dando vitam naturae non tantum dat vivere quantum ad *actum primum*, verum etiam quantum ad *actum secundum*, qui est operari: sic necesse est quod principium reparativum (Deus per gratiam iustificantem) vitam tribuat spiritui in esse gratuito, et quantum ad *esse* et quantum ad *operari* ». *Brevil.*, p. V, c. 4. – Cf. et l. c. ex *Comment.*

rarum diversi sint fines, ad consecutionem alicuius finis in rebus naturalibus *tria* praeexiguntur: scilicet *natura proportionata* ad finem illum; et *inclinatio ad finem* illum quae est naturalis appetitus finis; et *motus in finem*... Sed est aliquis finis ad quem homo a Deo praeparatur, naturae humanae proportionem excedens, scilicet vita aeterna, quae consistit in visione Dei per essentiam, quae excedit proportionem cuiuslibet naturae creatae, soli Deo connaturalis exsistens. Unde oportet quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur eius appetitus in finem illum; sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens: et ad hoc datur *gratia*; ad inclinandum autem affectum in hunc finem datur caritas; ad exsequendum autem opera quibus praedictus finis acquiritur, dantur aliae virtutes. Et ideo, sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa, quam inclinatio naturae et eius motus vel operatio, ita et in gratuitis est aliud gratia a caritate et a ceteris virtutibus. Et quod haec comparatio sit recte accepta, patet per Dionysium in *II cap. cael. hierarch.;* ubi dicit quod non potest aliquis habere spiritualem operationem, nisi prius esse spirituale accipiat, sicut nec operationem alicuius naturae, nisi prius habeat esse in natura illa » (1).

Scholion. — Discrimen inter doctrinam S. Thomae circa naturam gratiae habitualis et theoriam semi-nominalisticam Scoti ex eo potissimum repetendum est, quod Scotus sanctificationem per gratiam effectam in anima, formaliter considerat ut *coniunctionem amicalem creaturae cum Deo:* hinc gratia est essentialiter *caritas* seu *amor*, et eius *subiectum* immediatum est potentia volitiva (voluntas), aut potius *anima ipsa prout exercet munus appetendi et volendi;*

(1) *De Verit.*, q. 27. a. 2.

notum est enim Scotum non admittere *realem distinctionem* inter *essentiam animae* et eius *potentias*, sed tantum *virtualem* seu *formalisticam;* quatenus eadem anima prout *exercet munus intelligendi* est ipse intellectus; prout autem se protendit in obiectum appetibile, est voluntas. — E contra S. Thomas iustificationem exhibet veluti *elevationem creaturae rationalis ad esse deificum,* quo haec adoptatur in filiationem Dei et ius accipit ad beatitudinem: « *si filii et heredes* » (1). — Hinc gratia seu forma sanctificans non est virtus, sed *qualitas divina* seu habitus *entitativus*, ex quo tamquam ex connaturali radice virtutes seu habitus proxime *operativi* emanant. — Nemo non videt profundam hanc S. Thomae iustificationis conceptionem magis proprie convenire testimoniis sacrae Scripturae, et doctrinae Patrum, et praesertim sublimius, verius ac felicius explicare illam interioris hominis renovationem, quam per gratiam fieri docet Tridentina Synodus.

Objectiones. — 1° Sacra Scriptura eosdem effectus tribuit gratiae et caritati (2). Atqui iidem effectus nequeunt produci a duabus causis, seu habitibus realiter distinctis. Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Eo quod gratia sanctificans et caritas inter se connexae *inseparabiliter* sint, *Conc.;* eo quod non sint distinctae, *Nego.* — *Contradist. Min.: eodem modo, Conc. diversa ratione, Nego.* — Sane iidem effectus procedunt a gratia tamquam a principio *quo remoto*, seu a natura ad

(1) *Ad Gal.*, 45.

(2) Sic caritati tribuitur *remissio* peccatorum. « *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* ». Luc. VII, 47. Cf. I Ioa. III, 14. Item tribuitur *sanctificatio:* « *Elegit nos in ipso ut essemus sancti et immaculati, in conspectu eius in caritate* » (ἐν ἀγάπῃ). *Eph.* I, 4. Item *regeneratio ex Deo et amor Dei:* « *Qui diligit, ex Deo natus est,* » I Ioa. IV, 7. « *Ego diligentes me diligo* »: Prov. VIII, 7. *Qui diligit me diligetur a Patre meo.* Ioa. XIV, 21. Demum ipse Deus est caritas qui manet in iusto: « *Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo* ». I Ioa. IV, 16.

esse supernaturale elevata; a caritate vero producuntur, tamquam a principio quo *proximo*. Cum autem haec duo principia licet distincta, sint inseperabiliter inter se connexa iidem effectus quandoque alteri simpliciter tribuuntur. Sic dicimus animam intelligere et velle, quamvis intelligat per intellectum et velit per voluntatem.

2° Atqui gratia et caritas, non solum connexa, sed *identica* sunt. Quae enim in *eadem definitione* conveniunt, sunt identica. Atqui virtus et gratia eandem definitionem habent; nam *virtus* est « *qualitas*, quae bonum facit habentem et opus eius bonum reddit »; gratia autem est pariter bona qualitas mentis, bonum faciens hominem eiusque opus. Ergo.

Resp. Dist. mai.: Identica sunt, quae eandem definitionem participant *formaliter,* seu eadem ratione, *Conc.*: quae *materialiter* tantum, *Nego.* etc. — Ad rationem allatam respondeo, bonitatem modo seu respectu diverso praedicari de virtute et de gratia. De virtute enim enuntiatur secundum convenientiam ad praeexistentem naturam, vel essentialem, vel participatam; de gratia vero praedicatur tamquam de radice huius bonitatis (1).

3° Atqui gratiae et caritati *formaliter* eadem definitio convenit. Utraque enim sunt in *eadem specie* qualitatis, quae est *habitus.*

Resp.: Nego antec.; ad rationem allatam, *Dist.:* ita tamen ut *virtus perfecte* et formaliter ad speciem *habitus* pertineat, et e contra *gratia* sit habitus tantum *reductive,* eo quod non dicat ordinem immediatum ad actum, *Conc.:* quia ambae *eadem ratione* sint in specie *habitus*, *Nego.* Explicatio ex dictis in art. praecedenti.

4° Denique argui potest ex facto quod cessante gratia, etiam caritas cessat; dum e contra ceterae virtutes v. gr.

---

(1) Hic ad 2.

fides, *spes* etc. etiam in peccatore inesse possunt. Ergo videtur caritas identificari cum gratia.

Resp.: Nego paritatem inter caritatem et ceteras virtutes. Caritas enim est talis virtus, quae formaliter unit Deo, quaeque proinde inveniri nequit nisi in eo, qui iam sit filius Dei adoptivus, Deo gratus et consors divinae naturae. Ceterae autem virtutes non formaliter Deo uniunt, nisi caritate *formentur*; hinc eaedem etiam in peccatore remanere possunt, non quidem tamquam *virtutes supernaturales perfectae* et formatae, sed tamquam dispositiones ad formam caritatis recuperandam (1).

Articulus IV.

Utrum gratia sit in essentia animae sicut in subiecto, an in aliqua potentiarum.

Praenotanda. — Ista quaestio (ait hic S. Thomas) ex praecedenti dependet. Si enim gratia sit idem quod virtus necesse est quod sit in potentiis animae; nam potentia animae est subiectum proprium virtutis: si autem gratia differt a virtute, non potest dici quod potentia animae sit gratiae subiectum; quia omnis perfectio potentiae animae habet rationem virtutis. — Haec quaestio, ut patet, fit de sola *gratia habituali*; nam nemo dubitat gratias *actuales* recipi tamquam in subiecto in illis potentiis, quas ipsae elevant, vel adiuvant ad supernaturaliter operandum. Hinc *fides* in intellectu, *caritas* in voluntate residet, etc.

Itaque Scotus (2) et qui cum eo gratiam habitualem a caritate non realiter, sed *virtualiter* tantum distinguunt, ipsius gratiae perinde ac caritatis immediatum subiectum

(1) Cf. Gotti, l. c.
(2) Cf. Montefortino, I, II, q. 110 a. 4.

voluntatem esse contendunt. E contra qui cum S. Thoma gratiam tamquam habitum *entitativum*, non autem immediate *operativum* habent, eam in ipsa animae *essentia* veluti in suo proprio subiecto inesse asserunt. Huic sententiae, ut probabiliori adhaeremus.

CONCLUSIO

Immediatum subiectum gratiae habitualis est animae rationalis essentia.

Probatur. — *Ex effectibus formalibus gratiae sanctificantis.* Illud enim profecto dicendum est subiectum immediatum gratiae, cui *primo* et *per se* insunt effectus eius formales. Atqui effectus formales gratiae directe et immediate respiciunt ipsam animae essentiam. Ergo.

Prob. min.: Duo sunt effectus formales, quos gratia habitualis *necessario* producit in eo cui unitur; scilicet conferre *esse deificum*, idest *vitam in actu primo* supernaturalem, et reddere Deo *gratum* (1). Iam vero *esse primum principium vitae*, et *esse gratum,* primo et per se conveniunt ipsi *substantiae,* seu naturae.

Obiectiones. — 1° Illud est subiectum gratiae, quod est subiectum peccati. Atqui huius subiectum est voluntas. Ergo.

2° Item: gratia esse debet in eodem subiecto ac *gloria*, quae est gratiae consummatio atque perfectio. Atqui gloria est in intellectu et voluntate. Ergo.

---

(1) Hos duos effectus, qui *semper* in collatione gratiae sanctificantis habentur, consequitur tertius in homine iustificato, id est *adoptio* in filiationem divinam. Hic tamen effectus in anima Christi a gratiae plenitudine qua perficitur, non causatur, quia Christus etiam quatenus homo, est filius Dei *naturalis;* hinc non est subiectum capax adoptionis.

Resp. ad 1um *Dist. min.:* Voluntas, seu potentia est subiectum peccati *actualis,* prout hoc est offensa Dei et deordinatio a lege, *Conc.;* peccati habitualis, prout est *macula* seu *status aversionis a Deo, Nego* (1).

Ad 2um *Dist. mai.*: Prout *gloria* consideratur in *actu primo* seu ut est perfectio elevationis ad esse supernaturale, *Conc.; in actu secundo* quatenus est *exercitium* perfectae vitae supernaturalis per intuitum divinae essentiae eiusque immediatam possessionem, *Nego.* — Gloria enim in *actu primo* est ipsa gratia consummata, ut *causans lumen gloriae* eique indissolubiliter connexa (2).

QUAESTIO III.

De divisione gratiae.

Praenotanda. — 1° Iam in superioribus quaestionibus de exsistentia et essentia gratiae non semel varias gratiae species commemoravimus. Nunc de his *distinctius* agendum est. Tria tamen advertenda sunt:

a) divisionem gratiae in *gratum facientem* et *gratis datam* supponere priorem distinctionem gratiae *increatae* et *creatae.* Nomine gratiae increatae intelligitur, vel *actus ipse divinae voluntatis* eligentis et ab aeterno praedestinantis aliquas creaturas rationales ad gratiam et ad gloriam (3); vel *persona Verbi* quatenus communicata humanitati Christi per unionem hypostaticam; vel tandem *persona Spiritus Sancti* in anima iusti speciali quodam modo inhabitantis. « Gratia enim (ut ait Augustinus) Dei donum est; donum autem maximum, ipse Spiritus Sanctus est,

(1) Cf. Gotti, l. c. Sylvium, in h. l.

(2) Cf. Caietanum, in h. l.

(3) I, II, q. 110 a. 1. - Cf. Suarez, *Proleg. De gr.*, l. 3, c. 3. - Kleutgen, vol. II, n. 99.

et ideo gratia dicitur » (1). — Gratia autem *creata* generatim sunt omnia ea dona, quae a Deo nobis in ordine ad finem supernaturalem in tempore conceduntur.

b) Praesupponimus item gratiam creatam vel *internam* esse vel *externam*. Interna gratia sunt ea dona seu effectus benevolentiae divinae, qui *in nobis* efficiuntur, et in anima hominis vel in eius potentiis resident: ut supernaturales Dei motiones in intellectu et voluntate receptae; *gratia* formaliter *sanctificans, virtutes infusae* et *dona Spiritus Sancti*. — Gratia externa sunt ea dona supernaturalia, quae *extra nos* efficiuntur et hinc animam vel eius potentias non *intrinsece*, sed *extrinsece* tantum afficiunt, ut sunt media omnia vel obiecta externa, quibus excitamur ad res divinas cognoscendas et amandas: v. gr. Incarnatio, praedicatio Evangelii, exempla Christi, miracula, Ecclesia, *protectio* singularis divinae *providentiae,* qua electi a peccati occasione liberantur et in sanctitate servantur, etc.

c) Demum supponimus divisionem gratiae internae *in actualem* et *habitualem;* quae inter se comparantur sicut *motus* ad *terminum.*

2° In hac questione de *gratia interna* sermo est, eamque in *quinque* articulos distribuimus. Haec enim gratia *in genere* considerari potest respectu ad *finem* ad quem datur, et sic habetur distinctio in gratiam *gratum facientem* et in gratiam *gratis datam* (art. 1). — Gratia autem *gratum faciens in specie* considerari potest per ordinem ad effectum, quem ponit in anima, et ad *diversam habitudinem*, quam dicit ad eumdem effectum, et ita exsurgit distinctio inter gratiam *operantem* et *cooperantem, praevenientem* et *subsequentem, excitantem* et *adiuvantem* (art. 2°., apud S. Thom. 2-3). Si autem eadem gratia attenditur in ordine ad *efficaciam*,

(1) *Serm. De Verbis Dom*, c. 1. - Cf. *De Fide et Symb.*, c. 9, PL, 40, 191.

oritur distinctio nostra aetate omnium celeberrima inter gratiam *sufficientem* et *efficacem* (art. 3). — Similiter et gratia gratis data iuxta multiplex magisterii extraordinarii munus ad quod confertur multipliciter dividitur (art. 4). — Demum comparatio ratione *dignitatis* inter utramque gratiae speciem, idest inter gratiam gratum facientem, et gratis datam instituenda est (art. 5).

Articulus I.

Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem et gratiam gratis datam.

Praenotandum. — Quamvis omnis gratia sit *gratis data*, non enim esset gratia si *ex debito* daretur, tamen haec denominatio a theologis cuidam speciei gratiae internae tribuitur, ut haec a gratia gratum faciente distinguatur. Haec divisio sumitur *ex fine*, ad quem gratia interna a Deo dirigitur; vocatur enim *gratis data* si principaliter ad bonum *commune* Ecclesiae ordinatur; dicitur vero *gratum faciens* si ad bonum supernaturale recipientis confertur. Cum prior sit infima species gratiae internae, nomen genericum gratiae idest doni *gratis dati*, retinuit, non secus ac in naturalibus accidit, v. gr., cum bruta seu irrationalia animalia, simpliciter animalia nuncupantur. Ut huius divisionis fundamenta indicemus sit haec:

CONCLUSIO

Gratia interna creata iure dividitur per gratiam gratum facientem et per gratiam gratis datam.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae duplicem supernorum charismatum classem distinctim exhibet. Horum quaedam ad finem socialem Ecclesiae ordinantur, ut v. gr.

facultas miracula patrandi, vaticinandi aliaque id genus dona, quae (ut ait Apostolus) fidelibus dantur *ad utilitatem* (πρὸς τὸ συμφέρον) (1) scilicet aliorum, ut explicat S. Thomas.

Alia vero respiciunt proprium recipientis bonum, sicut est sanctificatio; et de his loquuntur innumeri S. Scripturae textus, cum explicite agunt « *De gratia trahente* « (2) « *revelante parvulis abscondita sapientibus et prudentibus* » (3) « *aperiente corda* » (4) « *iustificante* » (5) « *gratificante nos in dilecto filio Dei* » (6) etc., quae profecto in salutem privatorum redundant. — Ergo satis clare in S. Script. notio utriusque gratiarum classis exhibetur, quamvis nomina technica non inveniantur.

2º *Ex ratione congrua.* Huius divisionis convenientiam S. Magister ostendit ex duplice modo quo homo potest Deo supernaturaliter coniungi: scilicet *formaliter* et *ministerialiter.* Atqui gratia gratum faciens perficit unionem formalem, gratia autem gratis data huic unioni ministerialiter cooperatur. Ergo. Unio enim formalis cum Deo habetur per donum permanens supernaturale in anima infusum, quod est ipsa gratia sanctificans qua homo gratus formaliter efficitur et ad quam gratia actualis disponit; huic autem unioni cooperatur homo *ministerialiter,* mira patrando, in confirmationem fidei, per quae alii ad conversionem inducuntur et ad unionem cum Deo.

Scholion. — Apud veteres theologos gratia gratum faciens cum gratia habituali identificatur. Sed Angelicus Doctor, quem posteriores theologi secuti sunt, denominationem gratiae *gratum facientis* ad gratiam actualem exten-

(1) I *Cor.* XII, 7 sqq.
(2) Ioa., VI, 44.
(3) Matth., XI, 25.
(4) *Act.* XVI, 14.
(5) *Rom.*, III, 24.
(6) *Eph.*, I, 6.

dit. — Nec immerito: nam ratio formalis, quae includitur in conceptu *facientis* est generatim, iuxta vim vocis, « *operari iustitiam* ». Porro operari iustitiam, seu sanctitatem dupliciter intelligitur: *dispositive* per auxilia preparatoria, quae gratia actuali constant; et *formaliter* per formam constitutivam sanctitatis, quae est gratia habitualis. Utraque igitur gratia quamvis diversimode, notionem formalem gratiae *gratum facientis* sibi vindicat; utraque enim *suo modo* ad hominis sanctificationem effective concurrit.

Articulus II.

Utrum gratia convenienter dividatur in operantem et cooperantem; in praevenientem et subsequentem; in excitantem et adiuvantem.

Praenotanda. — 1° In hoc articulo trina gratiae gratum facientis divisio consideratur, quae apud Patres et theologos frequentius occurrit. Gratia igitur gratum faciens dividitur:

a) in *operantem* et *cooperantem*. — Iuxta S. Thomam dicitur operans gratia quidem *actualis* prout operatur *in nobis sine nobis* (libere concurrentibus), scilicet prout movet ad bonum salutare mentem et voluntatem nostram, quin ipsae se moveant: *habitualis* autem prout animam *formaliter sanat, iustificat* et *Deo gratam facit*. — Item *cooperans* vocatur gratia actualis, prout operatur *in nobis cum nobis,* idest quatenus simul cum libero arbitrio movet potentias ad exsecutionem boni supernaturalis; et habitualis prout est *principium operis meritorii*, quod a libero arbitrio procedit.

b) In *praevenientem* et *subsequentem*. Haec etiam divisio desumitur a diversis gratiae *effectibus*. Hinc *praeveniens* dicitur gratia quae primum effectum operatur respectu

alterius; *subsequens,* quae operatur effectum posteriorem respectu prioris. Effectus autem gratiae ita recensentur a S. Doctore: *Sanatio liberi arbitrii* sauciati per peccatum; *volitio boni supernaturalis; exsecutio* per potentias externas boni voliti; *perseverantia finalis;* et *gloriae aeternae adeptio* (1).

c) *In excitantem et adiuvantem: - ex diverso statu, seu conditione subiecti - Excitans* vocari solet, quae hominem a *morte* peccati ad vitam supernaturalem primo excitat; *adiuvans*, quae hominem iam excitatum roborat in opere salutari perficiendo.

2° Haec quidem apud omnes fere rata sunt. Verum licet theologi omnes in admittenda quadam distinctione inter gratiam *operantem* et *cooperantem* conveniant, inter se tamen discrepant in definienda huius distinctionis ratione formali. Nemo, profecto, dubitat gratias *operantem* et *praevenientem* et *excitantem logice* tantum non *re* inter se distingui ex diversa *habitudine* ad eundem effectum. Eadem quippe gratia quae *operans* dicitur, habita ratione suae activitatis, vocatur *praeveniens* ratione prioritatis respectu ad effectum, et *excitans* ratione habitudinis ad terminum *a quo* idest ad subiectum, quod ante gratiae motionem torpescit somno mortis (2). Idem dicatur de distinctione gratiae *cooperantis* ab *subsequente* et *adiuvante. Cooperans* est, quatenus cum libero arbitrio ad actum salutarem concurrit; *subsequens*, quatenus supponit elevationem; *adiuvans* prout supplet et obfirmat sufficientiam potentiarum ad actus salutares (3).

---

(1) Hic art. 3. - Cf. *De Verit.*, q. 27, a. 5, ad 6, ubi distinctius varii gratiae praevenientis et subsequentis effectus considerantur.

(2) Cf. hic art. 3, ad 2.

(3) Harum gratiarum explicationem, quam Angelicus proponit plerique ex theologis sequuntur. Sunt tamen qui alio modo, licet affini, eas exponunt. - Cf. Bellarm., *De gr. et lib. arb.*, l. 1, c. 14. - Ripalda, *De Ent. Supern.*, disp. 112, sect. 2-4.

3° Sed quaestio inter *Thomistas* et *Molinistas* maxime fervet circa distinctionem gratiae *operantis* et *praevenientis*, a gratia *cooperante* et *subsequente*. — *Thomistae* eas *entitative* distingui contendunt. Cum enim *quaelibet* actualis gratia sit *entitas qualitativa* transiens, quae datur ad diversos effectus, evidens est *aliam* esse entitatem gratiae operantis, quae complet potentiam in *actu primo*, et aliam entitatem gratiae *cooperantis*, quae confert *actum secundum liberum*, seu deliberatum. Gratia enim operans dat proprie *facultatem volendi bonum*, *cooperans* vero adfert ipsum actum bonae voluntatis (1).

Molinistae e contra animadvertunt, gratias *operantem* et *cooperantem* sumi posse vel *adaequate* prout includunt formaliter unionem cum actu voluntatis, vel *inadaequate*, quatenus denotant auxilium ipsum Dei moventis voluntatem. Itaque si gratia *adaequate* vel *terminative* accipiatur, concedunt utique *re* differre gratiam *operantem* et *cooperantem*; cum primae respondeat actus indeliberatus, alteri actus liber. Cum igitur realis sit differentia inter actum indeliberatum et actum liberum, etiam gratia operans *adaequate* sumpta, a cooperante realiter distinguenda est. Attamen si gratia *inadaequate* sumatur, idest est parte *principii*, prout denotat ipsum influxum supernaturalem, contendunt, gratiam operantem non *re* sed tantum secundum diversam relationem ad diversum effectum differre a gratia cooperante (2).

Huic sententiae, quam in art. 3 explicite docere videtur S. Thomas, adhaeremus. Sit itaque:

---

(1) Cf. SALMANTICENSES, *De gr. act.*, disp. V, dub. 7, § 3.

(2) Cf. BECANUM *De Aux. gr.*, q. 2 a 1-2. - PALMIERI, *De gr.*, th. 18. - MAZZELLA, *De gr.*, n. 176 sqq.

CONCLUSIO

Legitima est divisio gratiae gratum facientis in operantem et cooperantem; in praevenientem et subsequentem: item in excitantem et adiuvantem. Hae autem divisiones, quae primario respiciunt gratiam actualem, desumuntur ex diverso effectu, quem ipsae in anima pariunt, et ex diversa habitudine ad eundem effectum.

I. Probatur prima pars: — 1° Divisio gratiae in *operantem* et *cooperantem* arguitur:

a) *Ex S. Scriptura*, quae non obscure eam indicat. « *Deus est enim* (ait Apostolus) *qui operatur in vobis et velle et perficere* » (1). Et iterum: « *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit... non ego autem sed gratia Dei mecum* » (2). Prout itaque gratia quae operatur in nobis, *sine nobis*, est gratia operans; ita quae operatur *nobiscum* iure dicitur gratia *cooperans*. De hac etiam intelligi potest illud ad Rom.: « *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* » (3).

b) *Ex Traditione:* Augustinus in controversia contra Pelagianos frequenter hac distinctione utitur. Sic ut unum testimonium adferamus, ex quo potissimum theologi hanc terminologiam thecnicam sumpserunt, loquens de bona voluntate quam Petrus ostenderat Christum sequendi ait: « Quis istam etsi parvam dare coeperit (Petro) caritatem, nisi ille qui praeparat voluntatem et *cooperando* perficit quod *operando* incepit: quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... ut ergo velimus, *sine nobis* operatur, cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, *nobiscum cooperatur:* tamen sine illo vel

(1) *Philipp. II,* 13.
(2) I *Cor.* XV, 10.
(3) *Rom.*, VIII, 28.

operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus » (2).

Hanc eandem distinctionem diserte commemorant Concilia Africana: sic Araus. II: « Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur » (3). Et iterum: « Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo (gratia operans): nulla vero facit homo bona, quae non praestet Deus ut faciat homo (gratia cooperans) » (4).

c) *Ex Ratione*. — Cum divinum auxilium necessarium nobis sit tum ut bonum incipiamus, tum ut ipsum perficiamus, congrue auxilium illud quod nullo nostro merito aut libera cooperatione nobis confertur, vocatur gratia *operans;* aliud vero cui libere cooperamur, dicitur gratia *cooperans*.

2° *Divisio* item gratiae *praevenientis* et *subsequentis* frequenter occurrit apud S. Augustinum, qui eam ex S. Scriptura se desumpsisse declarat. Ostendens enim, Deum *hominis voluntatem bonam et praeparare adiuvandam, et adiuvare praeparatam*, ait: « Praecedit enim voluntas hominis multa Dei dona; sed non omnia: quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in s.s. Eloquiis: et *misericordia eius praeveniet me* (psal. LVIII, 10); et *misericordia eius subsequitur me* (psal. XXII, 6). Nolentem *praevenit*, ut velit; volentem *subsequitur*, ne frustra velit » (1).

Haec eadem distincta denominatio apparet in Conc. Trid., eaque utitur Ecclesia publice orans: « Tua nos

---

(2) *De gr. et lib. arb.*, l. I, c. 17, n. 33, PL. 44, 901.

(3) Can. 9, Denz., 152.

(4) Ibid. c. 20. - Cf. *Epist. Coelest. I adv. Semipel.*, cap. 8-10. Denz., 92-93. Adverte autem non ideo dici Deum operari in nobis *sine nobis*, quasi nostrae potentiae mere passivae atque inanes sint, sed quia nulla nostra merita praecedunt, quae largitionem divinae motionis exigant, et etiam quia liberam arbitrii deliberationem gratia operans praevenit: « Certum est (ait Augustinus) nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum », l. c., c. 16, 31, PL. 44, 900.

(1) *Enchirid.*, c. 32, PL, 80, 252.

(Domine) gratia *praeveniat*, et *subsequatur:* Actiones nostras... aspirando *praeveni* et *adiuvando prosequere* ».

Hoc demum et ipsa congruentiae ratio dictat. Omnis enim causa sumit prioritatem et posterioritatem secundum ordinem effectuum. Atqui in ordine causalitatis gratiae plures inveniuntur effectus quorum alii praecedunt, alii sequuntur. Ergo (1).

3° Partitio demum gratiae *excitantis* et *adiuvantis* notissima est ex Augustino, qui generatim adfirmat: « Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso *excitante* atque *adiuvante* non possumus » (2). Hanc etiam respicit S. Bernardus dum ait: « Cuius (lib. arb.) conatus ad bonum et cassi sunt si gratia non *adiuventur,* et nulli si non *excitentur* » (3). Etiam Conc. Trid. non semel hac distincta denominatione utitur, dum docet aversos a Deo « per eius *excitantem* atque *adiuvantem* gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem » disponi (4).

II. Probatur secunda pars: — Hae divisiones *primario* conveniunt *gratiae actuali.*

1° *Ex auctoritate Conciliorum et Patrum,* qui dum loquuntur de gratia *operante* et *cooperante*, *praeveniente* et *subsequente*, tamquam earum effectum ut plurimum indicant intellectus *illustrationem* et voluntatis *inspirationem.* Atqui illustratio atque inspiratio, *primario* saltem et *per se,* deno-

---

(1) Hic a. 3. - Adverte tamen ex mente Augustini gratiam *praevenientem* potius dici, *quae operatur ut homo bene velit; et subsequentem* quae homini exsequi praestat bonum *quod volebat.* Hanc etiam explicationem admittit Angelicus, *De Verit.*, q. 27, a. 5, ad 6. Addit tamen secundum hunc modum « *idem videri esse gratiam praevenientem et subsequentem quod operantem et cooperantem* ».

(2) *De pecc. mer. et remiss.,* l. 2, c. 18, n. 42 PL, 44, 168.

(3) *De gr. et lib. arb.*, c. 13, n. 42.

(4) Sess. VI, cap. 5-6. — S. Thomas non explicite hanc divisionem commemorat, quia gratia excitans et adiuvans iam implicite continentur in gratia operante et cooperante, vel praeveniente et subsequente. Cf. Suarez, *De Auxiliis,* l. 3, c. 20-24.

tant entitatem *transeuntem*, qualis est gratia actualis, potius quam permanentem qualitatem, qua constituitur gratia habitualis. Ergo.

2° *Ex ratione.* — *Operari* et *cooperari, praevenire* et *subsqui, excitare* et *adiuvare* in suo conceptu implicant motionem aliquam. Atqui agere per *modum motionis* sensu proprio ad gratiam actualem pertinet, et improprie tantum ad gratiam habitualem extenditur. Ergo. — Hoc tamen non impedit, quominus etiam gratia habitualis has denominationes accipiat, ut supra declaravimus ex doctrina Angelici. Sic gratia sanctificans dicitur *operans* et *praeveniens* prout dat *esse formale* iustificationis, et exercitium operis meritorii praecedit; vocatur vero *cooperans* et *subsequens* prout simul cum libero arbitrio concurrit ad opus meritorium, postquam hominem in esse supernaturali constituit (1).

III. Probatur tertia pars: — Distinctio inter gratiam *operantem* et *cooperantem* seu *excitantem* et *adiuvantem* non desumitur intrinsece ab *entitate diversa* gratiae actualis, sed a diverso effectu, quem in anima haec auxilia producunt.

1° *Ex Conc. Trid.*, a quo gratia cui homo *cooperatur*, dicitur *excitans* et *vocans*. Atqui nemo dubitat gratiam cui homo cooperatur et a qua dissentire potest, esse gratiam *adiuvantem*: Ergo gratia *adiuvans* et *excitans* non entitative differunt sed solum secundum diversum effectum (2).

2° *Ex auctoritate S. Thomae*, qui obiicienti divisionem gratiae in *operantem* et *cooperantem* non esse per opposita membra, respondet: « Dicendum quod gratia operans et

---

(1) Gotti, op. c., q. 2, dub. 2, § 2. - Greg. De Valentia disp. 8, q. 3, punct. 5-6.

(2) « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo *motum* et *excitatum* nihil cooperari assentiendo Deo *excitanti* ac vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, nec posse dissentire, si velit, a. s. » Sess. VI, can. 4.

cooperans est *eadem gratia;* sed distinguitur secundum diversos effectus » (1).

3° *Ex ratione.* Gratia *cooperans.* quae sit *qualitas entitative* distincta a gratia *operante*, superflua videtur. Et equidem: facultates naturales per gratiam operantem iam elevatae supponuntur ad ordinem supernaturalem. Ergo ut actum salutarem exerceant non exigitur nova *qualitas* supernaturalis, sed sufficere videtur *continuatio* gratiae elevantis et *concursus Dei* ad ipsum actum quem voluntas elevata ponit. — Egregie hoc exprimit S. Bernardus: « Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur; *ad hoc utique praeveniens, ut iam sibi deinceps cooperetur* » (2). Itaque praeter elevationem atque excitationem, quae fit a gratia operante, necessarium esse concursum Dei auxiliantis, quo potentia elevata *physice adiuvetur* ad ipsum bonum perficiendum, negari nequit. Hoc etiam auxilium esse numerice et reali quodam modo distinctum a gratia *elevante* et *excitante* concedi potest (3).

---

(1) Hic a. 2, ad 4. — Salmanticenses (disp. V, dub. 7, § 2, n. 166) censent hanc Angelici responsionem referendam tantum esse ad gratiam *habitualem* et nullimode *actualem* respicere. Verum hoc arbitrarie omnino fingitur; heic enim sermo est de gratia generatim accepta et hinc etiam de gratia actuali; imo, cum hae divisiones magis proprie gratiae actuali conveniant, de hac potissimum S. Magistri verba intelligenda sunt.

(2) *De gr. et lib. arb.*, n. 47.

(3) Etiam Suarez, affirmat: « Negari non posse, quin gratia adiuvans, proprie sumpta, sit speciale auxilium gratiae ab excitante aliquo modo distinctum ». *De aux.*, l. 3, n. 4. Addit etiam: « Necesse esse gratiam diuvantem aliquid addere excitanti, in quo ab illa distinguatur ». Ibid., n. 7. — Demum putat gratiam adiuvantem, saltem pro his qui habituali gratia et virtutibus infusis carent, consistere in *speciali assistentia* Spiritus S., qui ut principale principium proxime et

Sed tamen ex hac numerica atque adeo reali distinctione non consequitur *auxilium adiuvans esse qualitatem entitative diversam* a gratia elevante et operante; eoque minus sequitur hanc entitativam distinctionem in eo sitam esse, quod *qualitas transiens* gratiae adiuvantis talis sit, *quae in se contineat actum secundum quem causat* per physicam praedeterminationem voluntatis humanae.

Articulus III.

De divisione gratiae actualis in sufficientem et efficacem, et de concordia liberi arbitrii cum gratiae efficacis auxiliis.

Licet de hac divisione S. Thomas explicite non agat, tamen implicite in eius doctrina continetur; et ceteroquin in evolutione doctrinae catholicae *de gratia*, et in defensione liberi arbitrii contra haereticos, praesertim Iansenianos, haec divisio classica evasit, ita ut cognitio genuini conceptus et naturae gratiae *sufficientis* et *efficacis* theologiae disciplo sit omnino necessaria. Dicemus itaque tribus paragraphis:

1° De conceptu et exsistentia gratiae sufficientis.

2° De natura gratiae efficacis.

3° De diversis systematibus, quae a theologis catholicis proponuntur ad conciliandum liberum arbitrium cum infallibilitate effectus gratiae efficacis.

---

physice supernaturalem actum producit. Op. c., c. 19. — Quidquid sit de hac Suarezii sententia (quam sequitur ex modernis Schiffini, *De gr.*, n. 148 et 153) iam ex ea apparet hanc quaestionem de *reali distinctione* gratiae adiuvantis a gratia operante seu excitante, non tanti momenti esse, si ab auxilio adiuvante *physica praemotio* ad actum romoveatur.

§ 1.

De conceptu et exsistentia gratiae sufficientis.

Praenotanda. — 1° *Notio gratiae sufficientis.* Gratia *sufficiens* sumi potest dupliciter; idest *generice* prout convenit tamquam genus speciebus subiectis tum auxilio efficaci, cui effectus secundus coniungitur, tum illi auxilio quod effectum non consequitur; et *specifice* prout gratia sufficiens opponitur *efficaci* in actu secundo.

Primo modo sufficiens dicitur gratia, quae vires ad bene operandum, et ad salutem obtinendam proportionatas tribuit, *abstrahendo* ab actuali boni operatione, et a consecutione finalis salvationis. — Hoc sensu gratia, qua Paulus tentationes vincebat *sufficiens* vocatur: *Sufficit tibi gratia mea* (1). Hanc gratiae sufficientiam respicit Angelicus, dum obiicit: « Gratia gratum faciens est una tantum in homine, cum sit sufficiens » (2).

Altero modo, seu *specifice* gratia *sufficiens* est, quae veram confert *facultatem* agendi bonum salutare, quin tamen illi coniungatur cooperatio liberi arbitrii, qua bonum perficiatur; et haec dicitur simpliciter, seu *pure* sufficiens per oppositionem ad gratiam *efficacem,* cui de facto voluntas libere consentit, et quae proinde effectum ad quem datur in actu secundo attingit. Nos in hac quaestione gratiam sufficientem sensu *specifico* assumimus (3).

---

(1) ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. II. *Cor.* XII, 9.

(2) I, II, q. 113, a. 3, in obj. 2.

(3) Haec appellatio, qua gratia actualis, quae in actu secundo vacua remanet et dicitur *sufficiens*, primum invecta asseritur saec. XVI ab Hadriano Florentii professore Lovaniensi, qui postea fui Hadrianus VI Summus Pontifex (Cf. Katschthaler, *De gr.*, n. 17). Vox quidem *sufficiens* minus apta videtur ad designandam vim, seu virtutem, quae effectu careat. Sed usu factum est, ut eo nomine gratia non attingens

2° *Errores.* Gratiae sufficientis iuxta sensum expositum exsistentiam negant *Lutherani*, *Calviniani* (1) et *Janseniani* (2). Hi omnes gratiam unice et semper efficacem in actu secundo esse docent. Etsi autem Janseniani quandoque gratiae sufficientis nomen usurpent, eam tamen sic explicant, ut illam esse dicant, quae *tenuem* vim et ad praecepta adimplenda tentationesque superandas prorsus *imparem* homini in praesenti conditione praebeat, quaeque idcirco *semper* et *necessario* a concupiscentiae vi, seu a maiori delectatione terrena vinci debeat. Imo gratiam sufficientem, seu parvam, homini a Deo dari *in perniciem* affirmare non verentur; quia licet ea suapte natura *sufficiens* non sit, utpote quae facultatem agendi, seu cooperandi homini non tribuat, eum tamen qui illi minime cooperatur. divinae vindictae obnoxium reddit (3).

3° *Doctrina catholica.* Contra hos theologi omnes catholici, cuiusvis scholae, exsistentiam tuentur gratiae quae sit *vere*, *relative* et *pure* sufficiens. *Vere* quidem sufficiens eo quod subiecto cui datur praestat vel proxime, vel saltem remote potestatem expeditam perficiendi opus salutare. *Relative* etiam sufficiens eo quod potentia, quam praestat, par sit vincendis tentationibus, quae homini a concupiscentia in praesenti statu obveniunt. Demum *pure* sufficiens eo quod ex defectu liberae cooperationis hominis cui datur effectu careat. Sit itaque:

---

effectum appellaretur. Forte quaestio sic melius proponeretur: num detur gratia, quae licet ex se sufficientes vires ad bonum operandum praebeat, tamen frustretur effectu, qui in eius largitione intenditur. Certe hoc sensu exsistentiam gratiae sufficientis defendimus.

(1) De his cf. Bellarmin., *De gr. et lib. arb.*, l. I, c. 15; l. II, c. 1

(2) Horum doctrinam ample exponit st egregie refutat Tournellyus, *De gr.*, q. 7, a. 3-4.

(3) Alexander VIII, Decr. 7 Dec. 1690 hanc propositionem inter Jansenianos pervulgatam damnavit: « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos Domine ». Denz. 1163.

CONCLUSIO

Admittenda est gratia vere et relative sufficiens, quae expeditam confert facultatem agendi bonum salutare, quae tamen ex defectu consensus liberi arbitrii caret effectu.

Probatur conclusio. — 1° *Ex Magisterio Ecclesiae,* quae semper docuit a Deo conferri omnibus, praesertim baptizatis, gratiam, qua possint, si velint, in iustitia perseverare et salvi fieri (1). Atqui de facto non omnes baptizati in accepta iustitia perseverant. Ergo exsistit gratia, quae ob humanae voluntatis *renitentiam* non obtinet effectum ad quem datur.

---

(1) Sic Conc. Araus. II: « Hoc *secundum fidem catholicam* credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent possint, si *fideliter laborare* voluerint, adimplere ». Can. 25, Denz. 169. Et Conc. Trident. « In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere ». Sess. VI,, c. 13. Et iterum: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil operari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quod ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, *neque posse dissentire si velit,* a. s. » ibid. can. 4. Cf. et Cap. 11, c. 16 et can. 18 eiusdem Sess. — Item *Conc. Vatic.* Const. de Fide, cap. 3, Denz. 1640. Hanc doctrinam Ecclesia denuo vindicavit damnans plures propositiones, quae ex agmine ianseniano prodierunt. Sic tamquam *haereticae* damnantur hae pp. Jansenii: « *Aliqua Dei praecepta* hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque *illis gratia,* qua possibilia fiant ». « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ». Denz. 966-967. Item haec alia Quesnelli: « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare ». Denz. 1225. Cf. etiam p. 21 Syn. Pistoriensis, Denz. 1384. Ex his directe conficitur gratiam Dei, quae nobiscum operari posset bonum salutare, esse posse *vacuam,* et hinc dari, ut loquitur *Bulla, Auct. Fidei,* l. c. « Gratiam interiorem cui resistitur ».

2° *Ex S. Scriptura*, quae saepissime homines increpat eo quod auxiliis Dei etiam abundantioribus annuere recusaverint. Sic:

a) In Isaia, cap. V, Dominus populum iudaicum comparat vineae, quam ipse plantaverat, ac provido amore excoluerat, quae tamen fructus non dedit; hinc ipsos habitatores Jerusalem compellit ut iudices sedeant inter se et vineam suam: « *Nunc vero habitatores Jerusalem et viri Juda iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae et non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas et fecit labruscas?* » (1). Unde sic arguitur: Deus uberiores gratias Judaeis dederat ut bonum agerent; hae autem gratiae ob malam eorum voluntatem effectum minime sunt consecutae. Ergo datur gratia ex se sufficiens, quae defectu cooperationis remanet *pure* sufficiens seu sine effectu.

b) Item in Proverb. Deus generatim ait: « *Convertimini ad correptionem meam... Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis* » (2). Cui testimonio consonat illud Isaiae: « *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas* » (3). Quod testimonium sic affertur ab Apostolo: « *Ad Israel autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* » (4). Haec profecto per ludibrium dicerentur, si gratia *vere* sufficiens populo Israelito concessa non fuisset; haec tamen gratia *pure* sufficiens ex defectu liberi consensus remansit.

c) Nec minus diserte docetur in N. Foedere gratiam a Deo dari, quam homines ex pravae voluntatis resistentia

(1) Is., c. V, 3-4.
(2) *Prov.*, I, 23-25.
(3) C. LXV, v. 2.
(4) *Rom.*, X, 21.

irritam reddere possunt. « Sic S. Stephanus Judaeos improbat quod, « *Spiritui Sancto semper resistant* » (1); et Paulus fideles hortatur « *ne in vacuum gratiam Dei recipiant* » (2). Idipsum invicte arguitur ex obiurgatione a Christo Corozaitis facta : « *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentam egissent* » (3). Itaque non severius Corozaitae punirentur ac Tyrii et Sidonii, si gratia ad conversionem sufficiente caruissent.

3º *Ex Patribus*, qui ore concordi docent ideo impios puniri, quia bonum operati non sunt, quod ex divino auxilio operari potuissent (4). Sic Irenaeus: « Hi qui non operantur bonum, iudicium iustum recipiunt Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud » (5). Et Ioa. Chrys.: « Gratia dei in omnes diffusa est. Non Judaeum, non Graecum, non Barbarum, non Scytam, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non iuvenem, excipit aut dedignatur; omnibus *eadem est, omnibus se facilem* exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem eius munere frui *negligunt*, hanc suam caecitatem sibi ipsis imputent: cum enim omnibus detur, omnibus pateat, et a nemine prohibeatur, perditi quidem et nequam homines *propria dumtaxat malitia ingredi recusant* » (6). Et Ambrosius: « Numquid si quis ostia domus suae claudat, solis

(1) Act. VII, 51.

(2) II *Cor.*, VI, 1.

(3) Matth. XI, 21-22.

(4) Doctrinam Patrum cum Ecclesiae definitionibus in agnoscenda gratia sufficiente semper concordem fuisse amplissime ostendunt, quoad Patres *Graecos*, Habert, *Theol. P.P. graecorum*, l. 2, c. 7-9, quoad omnes generatim Tournelyus, disp. 7, c. 2 - De-Champs, *De haer. Jans.*, l. 3, disp. 3. - Palmieri, *De gr. thes.* 47 etc.

(5) *Adv. Haer.*, l. IV, c. 37, n. 1, PG; 7, 1100.

(6) *In Ioa.*, hom. 8, 1. PG, 59, 65.

est culpa quod non illuminet domum eius? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam iudicaverit, et Verbi a se splendore stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit quod sol iustitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis celestis arguere? » (1) Etiam ipse Augustinus, cui fere uni insistunt Janseniani, utpote qui efficacissimam gratiae virtutem maxime commendat, haud semel auxilium Dei ex se sufficiens, ob hominis culpam *pure sufficiens* manere posse docet, et sua ipsius experientia gratiae interioris motionibus diu resisti posse, confirmat: « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt cum eius Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius *in donis misericordiam contempserunt* » (2).

4° *Ex ratione.* Deus (ut infra agentes de gratiae distributione probabimus) qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quantum ex se est gra-

---

(1) Serm. 19. *In Psalm.* 118, n. 40, PL, 15, 1482.

(2) *De Spir. et litt.*, c. 3, PL, 44, 238. — Sic agens de gratuitate gratiae et causam cur per gratiam vocati ad fidem non veniant inquirens, eam invenit in ipsorum qui vocantur negligentia. « Ad illam coenam. quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt; nec illi qui venerunt venire possent, nisi vocarentur... Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia *vocati* venerunt; nec illi, qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent *vocati erant in libera voluntate...* Propterea et si quisquam sibi tribuit, quod veniat vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui autem *vocatus non venit*, sicut non habuit meritum praemii ut vocaretur, sic *inchoat meritum supplicii,* cum vocatus venire *neglexerit* ». L. *83 qq.*, quaest. 68, PL, 40, 73. - Cf. *Confess.*, l. 8, c. 5, PL, 32, 753 sqq.

tiam vere et relative sufficientem omnibus concedit. Atqui certum est non omnes homines ad salutem pervenire: ergo concludendum est gratiam ex mala hominis voluntate mere sufficientem manere (1).

Obiectiones. — 1° Gratia Dei est voluntas Dei. Atqui voluntati Dei non est qui resistat. Ergo omnis gratia obtinet effectum, et hinc nulla est gratia *pure* sufficiens.

Resp. Dist. mai.: — Est *a* voluntate Dei, *Conc.;* est *ipsa voluntas* Dei, *Subdist.:* Prout in *Deo est*, *Conc.* Prout est in nobis, *Nego. Contrad. min.:* voluntati absolutae *Conc.;* conditionatae, *Nego.* — Itaque gratia prout est in nobis, est *effectus voluntatis Dei*, seu donum gratuitum divinae benevolentiae. Hoc autem donum sic a Deo gratuite datur, ut effectum, ad quem datur non consequatur, nisi cooperante hominis voluntate.

2° Atqui nulli voluntati Dei, quae per effectum gratiae applicatur, resisti potest. Sane: gratia Dei est ipsius *motio.* Atqui motio Dei semper movet mobile ad actum ad quem datur.

Resp. dist. mai.: quae semper confert *posse velle, Conc.;* quae confert *actum ipsum, Subdist.:* cum liberae voluntatis concursu, *Conc.;* ipsam voluntatem determinando, *Nego.* — Aliquo vero sensu semper gratia effectum consequitur, illuminando intellectum et conferendo potentiae naturali facultatem supernaturaliter agendi.

3° Saltem gratia sufficiens (ut arguit Jansenius) est effectus *velleitatis* divinae, quae non confert expeditam potestatem volendi. Ergo gratia sufficiens est inutilis (2).

---

(1) Cf. Suarez, *De gr.*, l. 4, c. 1 et 6.

(2) Jansenius, l. III, *De gr. Chr.*, c. 3, scribit: « Illud a recentioribus probatum gratiae sufficientis genus, quo adiuvante nullum umquam opus factum est aut fiet umquam... videtur monstrum quoddam singulare gratiae, solummodo peccatis faciendis maiorique damnationi accersendae serviens, ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam

Revera: Gratia sufficiens nunquam actui secundo coniungitur. Ergo non confert veram potestatem ad opus salutare.

Resp.: Nego ant. Ad rationem allatam *dist. ant.:* gratia sufficiens *entitative* vel *generice* sumpta, *Nego: reduplicative* sumpta, *Subdist.:* - nunquam coniungitur actui, eo quod *de facto* desit liber voluntatis assensus, *Conc.;* - eo quod non conferatur ab illa *posse agere, Nego.* - Gratia sufficiens igitur non est inutilis sed semper est verum beneficium, cum semper dat potentiam agendi, quae si effectum non obtinet, perversae hominis voluntati est tribuendum. Addo quod etiamsi gratia sufficiens effectum non consequatur producendo actum salutarem a Deo intentum, tamen semper excitat illuminationes supernaturales in intellectu et pia desideria in voluntate, quae sunt veluti dispositiones ad conversionem et hinc non sunt inutilia (1).

§ II.

De exsistentia et natura gratiae efficacis.

Praenotanda. — 1° Quaelibet gratia vero aliquo sensu *efficax* dici potest, cum quaevis gratia in *actu primo* effectum consequatur, *illuminandi* intellectum, *movendi* voluntatem, *elevandi* ad ordinem supernaturalem, saltem initialiter et dispositive, et *conferendi* veram facultatem supernaturaliter agendi. Veruntamen in hac quaestione gratiam efficacem dicimus, quae talis est in *actu secundo,* quae scilicet secum infallibiliter adfert liberam hominis cooperationem. Haec antonomastice et stricte vocatur gratia *efficax.*

---

damnandis excogitatum». At serius Janseniani, ut diximus, nomen adoptarunt gratiae sufficientis, non genuinum conceptum. - Cf. Tournelyus, l. c. - Sardagna, *De gr.*, n. CXCVIII

(1) Alias obiectiones earumque solutionem lege apud Sardagna, *De gr.*, n. CCV. - Mazzella, *De gr.*, n. 517 sqq.

2º Contra efficaciam gratiae in actu secundo erraverunt *defectu* Pelagiani docentes, hominem nunquam indigere gratiae supernaturalis efficacia ad quodlibet bonum salutare peragendum. Hinc vel nullam omnino dari gratiam, vel dari tantum ad opus *facilius* perficiendum. *Excessu* autem peccaverunt novatores omnes saec. XVI et *Janseniani* adscribentes gratiae *vim necessitantem* humanam voluntatem. Mysticus iste determinismus, qui iam viguit penes *Gnosticos* plerosque (*Simonem Magum, Valentinum, Marcionem*, *Bardesanem* etc.) *Manichaeos* et *Praedestinatianos,* necessario consequitur theoriam fundamentalem Reformatorum circa effectum peccati originalis, per quod et Dei imago in homine deleta et voluntatis libertas extincta fuit (1).

3º Doctrina catholica hinc *gratiae infallibilem efficaciam,* inde vero voluntatis humanae sub gratiae influxu *libertatem* docet.

CONCLUSIO II.

Exsistit gratia efficax, seu cui effectus salutaris infallibiliter coniungitur in actu secundo. Haec autem non tollit liberum arbitrium neque necessitatem infert.

I. **Probatur prima pars:** — Dicimus dari gratias ita efficaces, ut *infallibiliter* effectum salutarem consequantur, ob quem a Deo conferuntur. Hoc evidenter constat:

1º *Ex S. Scriptura*, quae directe gratiae divinae *obiective* infallibilem efficaciam respicit, dum docet: « *Deum in-*

---

(1) Huic doctrinae cohaerenter LUTHERUS semper docuit hominem lapsum quoad bonum agendum esse ad instar trunci prorsus inanimis: « In spiritualibus et divinis (sic ipse) quae animae ad salutem spectant, homo est ad instar statuae salis in quam uxor patriarchae LOTH est conversa, imo est similis trunco et lapidi statuae vitae carenti, quae neque oculorum, oris aut ullorum sensuum cordisque usum habet ».

clinare cor hominis quocumque voluerit » (1). Deum « *cor novum tribuere, auferre lapideum, et dare cor carneum, et facere ut in praeceptis ambulemus* » (2). « *Deum operari in nobis et velle et perficere* » (3). « *Deum aperire cor intendere* » (4). « *Deum incrementum dare* ». Apostolicae praedicationi » (5). — Hanc etiam auxilii divini infallibilem efficaciam facto comprobant mirabiles conversiones *Pauli, Magdalenae, latronis* in cruce etc.

2° *Ex traditione.* Concilia contra *Pelagianos* et *Semipelagianos*, non solum gratiae necessitatem sed et eius efficaciam tuentur (6). Augustinus vero hanc, quam ipse appellat *indeclinabilem* atque *insuperabilem* (ratione effectus, cui de facto coniungitur) gratiae *energeiam*, saepe inculcat: « Qui (ita scribit) porro tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit,

In *Gen.*, c. 19. - Cf. Moehler, *Symb.*, § 21. - Calvinus licet voluntatem hominis a *coactione* liberam asserat, attamen eam *interna necessitate* determinari vel ad malum a concupiscentia, vel ad bonum a gratia Christi contendit. *Inst.*, l. II, c. 3, n. 5 sqq. - Janseniani post Baium ad eundem errorem deveniunt ex doctrina *terrenae delectationis relative victricis*, quae non aliud est quam applicatio facta ordini supernaturali theoriae *motivi praeponderantis* in determinismo philosophico. - Cf. Tournelyum, l. c.

(1) « *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud* ». Prov. XXI, 1.

(2) Ezech., XXXVI, 26-27.

(3) *Philipp.* II, 13.

(4) *Act.* XVI, 14.

(5) I *Cor.*, III, 6

(6) Cf. Araus., II, c. 25. Denz.. 169. - Toletanum III, c. 2, in quo dicitur: « Nec prorsus ulli malo praescientiam Dei (credimus) imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex *propria voluntate*, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, praesciit ex sua omnipotenti et incommutabili maietate. Nec ex praeiudicio eius aliquem, *sed ex merito propriae iniquitatis* credimus condemnari. *Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio* in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt ». Denz., 284.

ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » (1) Et iterum : « Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur » (2). Ipsa Ecclesia hanc gratiae efficaciam commendat dum nos docet orare Deum ut « nostras etiam rebelles ad se *compellat voluntates* » (3).

3° *Ex Ratione,* quae manifeste ex supremo Dei in res omnes dominio atque ex eius infinita sapientia arguit nullam concipi posse vim creatam, quae effectum a se efficaciter intentum, modo naturae suae consentaneo, non infallibiliter consequatur (4).

II. Probatur secunda pars: — Fidei dogma est humanam voluntatem liberam remanere etiam sub influxu gratiae efficacis. « Si quis (definit *Conc. Trid.*) dixerit liberam hominis voluntatem a Deo motam et excitatam nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque *posse dissentire* si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: a. s. » (5).

---

(1) *Enchir.*, c. 98, PL, 40, 277.

(2) *De Praedest. Sanct.*, c. 8, PL, 44, 971. Et generatim ait: « Deo volenti salvum fecere nullum hominum *resistit* (de facto) arbitrium ». *De Corrept. et gr.*, c. 11, PL, 44, 942. — Hoc idem iam expresserat TERTULLIANUS: « Erit vis divinae gratiae potentior utique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem ». *De Anima*, c. 21, PL, 2, 727.

(3) *Secreta* in Dom. IV post Pentec.

(4) Cf. SUAREZ, *De gr.*, l. 4, c. 1.

(5) Sess. VI, c. 4. DENZ. 695. Ut hanc formalem definitionem eluderent Janseniani Concilium hoc unum docuisse asserebant; nos *posse* dissentire si *velimus*, non autem definivisse nos *posse velle dissentire.* Hoc frivolum sophisma, praeter sensum communem, vel ipsum Conc. in cap. 5 eiusdem Sess. praecludit, asserens absolute nos posse abiicere gratiam: « Ita ut tangente Deo cor hominis per Sp. S. illumina-

Quod idem declarat *Conc. Vaticanum*: « Fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo *liberam praestat* ipsi Deo obedientiam, *gratiae eius, cui resistere posset,* consentiendo et cooperando » (1).

Hoc autem invicte ostenditur:

1° *Ex S. Scriptura*, quae diserte docet humanam voluntatem etiam sub influxu gratiae efficacis:

a) *Vere agere et operari:* - « *Gratia Dei* (ait Apostolus) *sum id quod sum; et gratia eius in me vacua non fuit* (οὐ κενὴ ἐγενήθη); *sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem* (idest per hebraicismum - *non ego solus*) *sed gratia Dei mecum* » (2). Et iterum: « *Unusquique autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Dei enim sumus adiutores* (συνεργοί - cooperatores) (3). Item: « *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (ἑαυτῶν σωτερίαν κατεργάζεσθε) (4). In his testimoniis de *gratia efficaci* (quae *vacua* non fuit, quae *mercedem* accipit, quae *operatur*) agi in dubium verti nequit. Sub hac itaque gratia voluntas *laborat,* et merces datur secundum laborem.

b) *Voluntatem se ad agendum determinare:* - « *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* » (5). Haec cohortatio licet praesupponat primam gratiam, seu vocationem divinam, quae sit in nobis sine nobis, indicat tamen esse in nobis potestatem libere ei consentiendi, vel dissentiendi. Hanc liberam voluntatis nostrae sub influxu Dei

---

tionem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem recipiens, quippe qui *illam abiicere potest* ». Denz. 679.

(1) Sess. 3, cap. 3, Denz. 1646.

(2) I *Cor.* XV, 10. - Cf. Corluy *Spicileg. dogm.,* vol. II, p. 286.

(3) I *Cor.* III, 8-9.

(4) *Philipp.* II, 12.

(5) Zach. I, 3.

activitatem subinfert etiam Apostolus, dum ait: « *Exerce autem teipsum ad pietatem* » (1).

c) *Voluntatem nostram ita sub gratia agere, ut possit non agere.* Sic Ecclesiasticus: « *Qui probatus est in illo* (auro, scilicet qui post aurum non desipuit) *et perfectus est, erit illi gloria aeterna; qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino* » (2).

d) *Sic hominem sub gratia agere ut inter contraria eligere possit:* « *Testes* (ait Dominus Israeli) *invoco hodie coelum et terram quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum et diligas Dominum Deum tuum, atque abedias voci eius et illi adhaereas* » (3). Haec eadem voluntatis libertas sub gratiae motione eruitur legitime ex *praeceptis*, *hortationibus* et *minis* quibus tota repletur Scriptura, per quae homines ad malum fugiendum et ad bonum efficiendum excitantur (4). Haec enim inani studio ponerentur si gratia efficax necessario determinaret voluntatem ad actum.

2° *Ex Patribus.* — Determinismo mystico Reformatorum tum Graecos cum Latinos admodum contrarios fatetur candide Calvinus: (5) Et equidem iam *Origenes* huius doctrinae in Ecclesia fundamentalis, testis illustris est: « Est

---

(1) γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. I *Tim.* IV, 7.

(2) XXXI, 10-11. - Cf. I *Cor.* VII, 37.

(3) Deut., XXX, 19-20.

(4) Sic II *Cor.* VI, 1: « *Adiuvantes* (συνεργοῦντες) *autem exhortamur, ne in vacuum* (εἰς κενὸν) *gratiam Dei recipiatis* ». Et *Ephes.* V, 14: « *Surge, qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit et Christus* ».

(5) Deus (scribit) voluntatem movet, nec qualiter multis saeculis traditum est et *creditum*, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficiendo: ... Nam, medium, quem sophistae imaginantur motum cui obsequi, et quem repellere liberum sit aperte excludi (a S. Script.) videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia ». Inst. II, c. 3, n. 10.

illud (scribit) definitum in ecclesiastica praedicatione omnem animam rationalem esse liberi arbitrii et voluntatis... Unde et consequens est intelligere non nos necessitati esse subiectos, ut omnimodo etiamsi nolimus vel mala vel bona agere cogamur » (1). Unus fere Augustinus pro suo impio dogmate a sectariis citatur, cuius quidem quandoque phrases severiores occurrunt, si materialiter spectentur, abstractione facta a contextu et a scopo auctoris; sed quae tamen nullimode doctrinae catholicae libertatis humanae sub gratia adversantur si iuxta mentem auctoris, prout ex eius scribendì scopo et ex aliis locis plurimis, in quibus libertas humana clarissime asseritur, exponantur. — Hoc adnotasse sufficiat numquam Augustinum negasse liberum arbitrium, sed *ex professo*, etiam sub gratiae influxu, hoc asseruisse ut explicitum catholicae fidei dogma et quidem non solum (ut contendit Jansenius) in libris, quos scripsit contra Manichaeos ante Pelagianam haeresim exortam, sed etiam et praecipue in illis quos Pelagianis et Semipelagianis opposuit. — Sic initio libri *De Gr. et lib. arb.* scopum scribendi ita exprimit: « Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt ut negent liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur negari existimant liberum arbitrium, hinc aliquid scribere... compellente mutua caritate, curavi » (2). In eodem libro saepe repetit: « *Vocare* hoc vel illo modo esse solius Dei, *venire* autem semper esse in voluntate, vel *sola* si non venit, vel *adiuta* si venit » (3). Et in lib. *De Spir. et littera*, scribit: « Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? — Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus... Sicut lex non evacuatur sed statuitur per fidem... ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur; quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia libere di-

(1) *Periarch.*, l. I, n. 5, PG, 11, 118.
(2) C. 1, n. 1, PL, 44, 881.
(3) Ibid. c. 14.

ligatur » (1). Et iterum: « In omnibus misericordia eius (Dei) praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est » (2). — Item in expositione super Ps. 78, explicans versiculum: « *Adiuva nos, Deus salutaris noster* », scribit: « Cum adiuvari vult, nec ingratus est gratiae, nec tollit liberum arbitrium; qui enim adiuvatur etiam per seipsum aliquid agit » (3). — Demum in celebri epistola scripta *Valentino* et monachis *Adrumetinis* simul eis traosmittens librum *De Gr. et lib. arb.*, ait: « Quantum potuimus, egimus cum istis vestris et nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverarent, quae neque liberum negat arbitrium, sive in malam vitam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia aliquid valeat » (4).

Scholion. — Doctrina Augustini circa *adiutorium sine quo* et adiutorium *quo.* — Janseniani ex Augustino praecipue obiiciunt celebre discrimen inter adiutorium *sine quo* salus obtineri nequit, et adiutorium *quo* salus infallibiliter obtinetur (5). De hoc discrimine agit S. Doctor praesertim in libro *De Corrept. et grat.*, ad Valentin. antistitem Monasterii Adrumetini, cuius monaci ex lectione quorumdam scriptorum Episcopi Hypponensis contra Pelagianos et Semipelagianos scandalum passi, hoc modo conquerebantur: « Ut quid nobis praedicatur atque praecipitur ut declinemus a malo et faciamus bonum: si hoc nos non agimus, sed id velle et operari Deus operatur in nobis? » (6).

(1) C. 30, n. 52, PL, 44, 233.
(2) Ibid., c. 34, n. 60. PL 44, 240.
(3) *In psal.* 78, n. 12, PL, 36, 1016.
(4) *Ep.*, 215, n. 4, PL, 33, 973. - Cf. De-Champ., *Haer. Jans.*, l. 3, disp. 3, *De gr. effic.*
(5) Distinctio (scribit Jansenius, *De gr. primi hominis et Angelorum*, c. 17) « auxilii *quo* et *sine quo non*, est clavis, qua aditus in scripta eius (August.) aperitur; et sine qua qui ea molitur ingredi, velut caecus palpabit in meridie: est filus sine quo e labyrinto scriptorum eius exitus non invenitur ».
(6) C. 2, n. 4, PL, 44, 918.

Ut ei respondeat S. Augustinus scripsit illum librum ostendens sic dari gratiam, ut libertas remaneat arbitrii, quae praeceptis et hortationibus est utique excitanda atque fovenda atque admittenda. — Dein inquirit quomodo dici possit Adamum vere peccasse, cum non habuerit donum perseverantiae? — Hoc enim dono destitutus, videtur non potuisse perseverare, et hinc non vere peccasse non perseverando (1). Respondet distinguens duplex adiutorium: *sine quo* (quod comparat alimentis, *sine quibus* vita haec physiologica protrahi nequit, cum *quibus* tamen eadem servatur), et adiutorium *quo* (quod comparat beatitudini, quae semel obtenta nunquam amitti patest) (2). Subinde concludit: « Adam habuit adiutorium *sine quo* perseverari nequit, quod erat *de se sufficiens* ad perseverandum, si Adam voluisset. Sancti autem praedestinati per Christi gratiam habent adiutorium etiam *quo* salus de facto obtinetur, cum detur ipsis perseverantia, quae est inamissibilis: « Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat *posse non peccare,* posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed *sine quo* per liberum arbitrium

---

(1) « Illud magis quaerendum operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea: et si perseveravit, utique non peccabit... Eum autem peccasse et desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam; et si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim et accepisset perseverantiam et non perseverasset? Porro, si propterea non habuit, quia non accepit; quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? » c. 10, n. 26, PL, 44, 932.

(2) « Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium *sine quo* aliquid non fit, et aliud est adiutorium *quo* aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est *sine quo non* fit, non *quo* fit ut vivamus », ib. c. 12, n. 34, PL, 44, 936 sqq.

perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei praedestinatis, non tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint » (1). — Itaque Augustinus in hoc libro non agit *de efficacia gratiae in se* considerata, eoque minus docet aut supponit adiutorium *Dei necessario determinare* voluntatem sanctorum; sed tantum loquitur de inamissibilitate doni perseverantiae *finalis* et *actualis;* atque ut hanc evincat utitur distinctione adiutorii *sine quo non* obtineri potest, et adiutorii *quo* certissime obtinetur. Perseverantia actualis amitti nequit, quia *de facto* cum ultimi finis supernaturalis consecutione coniungitur. — Augustinus itaque *factum* potius certitudinis infallibilis et inamissibilitatis perseverantiae finalis spectat, quin *modum* explicet vel proponat, quo infallibilis est; vel nimirum ex praescientia Dei, vel tantum ex efficacia intrinseca adiutorii *quo* (2). Quidquid sit, certissime, ex disertissima S. Doctoris declaratione, efficacia cuiuslibet adiutorii nunquam talis est, quae libertatem arbitrii tollat, vel humanae voluntati necessitatem inferat.

3° *Ex Ratione.* — *a*) *Ob meritum quod operibus iustorum ex gratia factis* iuxta doctrinam catholicam et disertissimam S. Scripturae praedicationem, *inest* (3). Atqui ad rationem meriti requiritur libertas operantis, et quidem non solum ab extrinseca coactione, sed etiam ab intrinseca necessitate. Ergo: (4)

(1) Ib., c. 12, n. 3, PL, 44, 937.

(2) Cf. Cercià, *De gr. act.* lect., 12.

(3) Cf. *Conc. Trid.,* Sess. VI, can. 32. - I *Cor.* III, 8; II *Tim.* IV, 8, etc.

(4) Hinc damnata fuit haec prop. Jansenii: « Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Denz. 968.

b) *Ob falsum fundamentum*, cui innititur error adversariorum, *corruptionis naturae rationalis per peccatum originale* inductae, qua liberum arbitrium, vel penitus exstinctum fuit (iuxta Lutheranos) vel adeo attenuatum (iuxta Jansenianos) ut quaelibet activitas humanae voluntatis ad bonum suppressa fuerit.

c) *Directe*. Deus etiam in ordine supernaturali movet causas secundas iuxta naturam ipsarum; gratia enim non destruit, sed elevat et perficit naturam. Atqui humana voluntas, ut ex ipsa conscientia constat, naturali gaudet libertate circa proprias actiones, quibus fertur ad diversa bona eligenda, quae habent rationem medii non necessarii ad finem, quod est universale bonum. Ergo (1).

Obiectiones. — 1° Homo lapsus est spiritualiter mortuus. Atqui mortuus nequit propriae resurrectioni cooperari. Ergo.

Resp. Dist. mai.: in ordine naturalis moralitatis, *Nego:* in ordine *supernaturali, Subdist.:* ita ut ex se suis viribus naturalibus bona *salutaria* perficere nequeat, *Conc.:* ita ut cum fuerit auxilio gratiae praeventus et excitatus et adiutus non se libere moveat ad agendum, *Nego.*

2° Atqui homo a gratia *trahitur* ad bonum iuxta illud: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum* (2). Ergo non se movet, sed movetur tantum.

---

(1) Profunde S. Thomas: « Dicendum, quod, sicut Dionysius dicit. ad Providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens, et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur ». I, II, q. 10, a. 4. - Cf. ibid., q. 9, a. 6, et I, q. 19, a. 8.

(2) Ioa.; VI, 44.

Resp. Dist. Antec.: Ita trahitur ut motu concepto, libere *venire* et prosequi possit, *Conc;* ut *necessario* usque ad finem motus trahatur, *Nego.* — Prima quidem gratia excitans operatur in nobis, sine *nobis libere concurrentibus*, sed *nostrum* est ipsius gratiae motioni consentire, vel ab ea libere dissentire. Hinc illud: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me* (1).

3° Atqui a gratia trahimur *necessario.* — Deus enim est qui *operatur in nobis et velle et perficere* (2); qui insuper *operatur omnia in omnibus* (3). Ergo.

Resp. Nego Ant.: ad rationem allatam, *Dist.: Deus solus operatur in nobis* etc., *Nego;* Deus operatur *nobiscum cooperantibus, Conc.* Hinc etiam dicitur: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (4). *Dei sumus* (συνεργοί) *cooperatores* (5). *Gratia Dei mecum* (6).

§ III.

Qua ratione gratiae actualis efficacia cum libero arbitrio componi possit.

Praenotanda. — 1° *Quaestionis status et difficultas.* — Ex his quae hucusque disputavimus de exsistentia et natura gratiae sufficientis et efficacis, manifeste constat omnes theologos catholicos in haec tria doctrinae capita unanimiter convenire:

a) *Distinctionem* aliquam admittendam esse inter gratiam *sufficientem* et *efficacem*, quarum *prima* dat quidem *potestatem expeditam* agendi bonum salutare, sed de facto, prout remanet *pure* sufficiens, effectum in actu se-

(1) Ioan., IV, v. 45.
(2) *Philipp.*, II, 13.
(3) I *Cor.*, XII, 6.
(4) *Philipp.*, II, 12.
(5) I *Cor.*, III, 9.
(6) Ibid. XV, 10.

cundo non consequitur: *alteri* autem, idest efficaci, actus ipse adnectitur.

b) Gratiam efficacem *infallibiliter* cum actu connecti.

c) Attamen etiam sub influxu gratiae efficacis voluntatem perfecte liberam manere. — Quaestio itaque in hoc demum consistit; ut explicetur qua ratione cum infallibili gratiae efficacia libertas arbitrii componi possit. Haec conciliatio ipsi Augustino semper visa est admodum ardua: « Ista quaestio (ait) ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia liberum arbitrium videatur auferri » (1). Et Caietanus ingenue fatetur: « Cum mihi obiicis: coniunge haec verba simul (efficaciam gratiae et libertatem arbitrii) respondeo: me scire quod verum vero non est contrarium; sed nescire haec iungere; sicut nescio mysterium Trinitatis » (2).

Huic igitur quaestioni non aliter respondemus; quam varia proponendo systemata, quae ad hanc conciliationem aliqualiter explicandam a theologis catholicis excogitata sunt.

2° *Systematum distinctio.* — Huiusmodi systemata fundamentaliter specificantur a duplici diverso modo, quo natura gratiae efficacis exhibetur. Alii enim gratiam *ab intrinseco et per se efficacem esse volunt:* alii vero gratiae efficaciam a concursu liberi arbitrii per *scientiam mediam* a Deo praeviso repetunt. Primo modo adhaerent *Thomistae* et *Augustiniani;* alteri insistunt *Molinistae et Congruistae; utroque* autem partialiter utuntur *syncretistae.* Hinc *quinque* distincta systemata habentur:

---

(1) *De gr. Chr. cont. Pelag.*, c. 47, n. 52, PL, 44, 383.
(2) *In Ep. ad Rom..,* c. 5, v. 23.

a) *Thomismus,* seu systema *praemotionis physicae,* qua gratia efficax movet ex *propria vi intrinseca* voluntatem ad actum secundum, modo tamen huius naturae consentaneo, idest, quin adimat libertatem.

b) *Augustinianismus,* seu systema *superioris delectationis coelestis relative victricis,* quod nimirum repetit gratiae efficacitatem a superiore caritate divina, quae *per se* voluntatem ad assensum *moraliter* determinat.

c) *Molinismus,* seu systema *scientiae mediae* quod a praevisione liberi consensus gratiae infallibilem effectum explicat.

d) *Congruismus,* seu Molinismus temperatus, qui etiam in libero voluntatis assensu a Deo per scientiam mediam praeviso, ultimum momentum efficacitatis infallibilis gratiae constituit; addens tamen *specialem* ipsi gratiae influxum ex eo provenire, quod eadem *congruo tempore,* et *congruis* circumstantiis detur.

e) *Syncretismus,* qui utrumque fundamentale systema sic componit, ut pro facilioribus operibus salutaribus *Molinismo* adhaereat, pro gravioribus autem et pro perseverantia finali gratiam ab intrinseco efficacem propugnet.

Cum nulli horum systematum doctrina Ecclesiae sit necessario connexa, nullive contraria, poterit quisque uni, vel alii ex his adhaerere, vel etiam omnia repudiare, contentus simpliciter fateri: Gratiam Dei vere esse efficacem, et tamen sub gratiae efficacis influxu hominem vere esse liberum: Deum autem posse profecto infinita sua sapientia talem vim auxiliis suis tribuere, qua certum effectum obtineant, quin causae secundae libertatem adimant.

Interim, summa horum systematum capita exponimus, iisque subiicimus quasdam *animadversiones,* ut perpensis hinc inde momentis, quibus ea fulciuntur. et difficultatibus, quibus premuntur, quid verisimilius teneri possit libere in re libera proponatur.

EXPOSITIO SYSTEMATUM.

I.

Molinismus et Congruismus.

1° *Origo systematis et controversiae de ratione efficacitatis gratiae actualis.* — Primae tam ardui problematis velitationes inter theologos Conc. Tridentini exortae perhibentur; quae statim sub finem saec. XVI in Belgio inter professores Lovanienses (Hamelium) et Jesuitas (Lessium) vividiores prodierunt, praesertim occasione quaestionis num praedestinatio fieret *ante* vel *post* praevisa merita (1).

Systematica tamen gratiae efficacis controversia initium et incrementum eo fere tempore in Hispania habuit. Anno enim 1581 Jesuita Prudentius de Montemaior aliquas theses defendendas susceperat in quibus conciliatio liberi arbitri cum infallibilitate effectus gratiae efficacis ex Dei conditionatorum contingentium praescientia repetebatur. Hanc doctrinam impugnavit Bannez Dominicanus; illam tamen ample exposuit et defendit Jesuita Molina ponderoso opere quod inscripsit: « *De liberi arbitrii cum gratiae donis concordia* » (2).

Hinc acrior pugna et furentium dissensionum seminarium. Causa ad Pontificem Clem. VIII defertur, qui ad litem componendam specialem Cardinalium et Consultorum Congregationem « *De Auxiliis* » instituit, cuius disputationes ann. 1598 incoeptae, usque ad annum 1607 productae sunt (3), Paulo V regnante, qui *Rescriptum* emisit in quo

(1) Cf. SCHNEEMANN, *Controversiarum de divinae gratiae* etc., *initia, et progressus.* Friburgi Brisgoviae 1881.

(2) Cf. DU PLESSIS D'ARGENTRE, *Collect. ind. ad ann. 1581.* Parisiis 1726, III, part. II, 120. - KIRCHENLEXICON, Friburgi 1884, *Congregatio de Auxiliis I.*

(3) Postrema Cardinalium congregatio de Auxiliis divinae gratiae, habita fuit die 28 Augusti a. 1607, in qua Paulus V suam sen-

duo decernit: *a*) se opportuniori tempore promulgaturum suam decisionem: *b*) interim serio vetare, « ne quis in hac pertractanda quaestione *partem suae oppositam* aut qualificaret, aut censura propria notaret » (1).

2° *Summa Moliniani systematis.* — *a*) Omnis gratia *in actu primo est efficax.*

b) *Gratia efficax in actu secundo non intrinsece et essentia sua differt a graita sufficiente*, sed extrinsece ex concursu voluntatis. Hinc una eademque *entitative* gratia in Paulo esse potest *efficax*, in Petro autem *mere sufficiens;* quinimo, *minor* quandoque gratiae vis in uno efficax esse potest, cum *maior* in alio sit inefficax (2).

c) *Magnum* tamen inter gratiam sufficientem et efficacem *discrimen* est ratione *beneficii*. Gratiae enim *mere*

---

tentiam his verbis declaravit: « *Che l'opinione dei Dominicani è molto diversa da Calvino, perchè i Dominicani dicono che la gratia* non destruit, sed perficit liberum arbitrium, *et fa che l'homo* operetur iuxta modum suum, idest libere; *et li Gesuiti son differenti dai Pelagiani, li quali ponevano il principio della salute da noi. Però non ci essendo necessità precisa di venire a questa diffinitione, si poteva portare il negozio innanzi, a ciò il tempo consigliasse* » etc. – Cf. SCHNEEMANN, op. c., p. 289 sqq., ubi etiam singulorum Cardinalium declarationes referuntur ex Actis originalibus.

(1) Cf. DENZ., *Ench.*, § 89, ubi decreta pontificia circa hanc controversiam exhibentur; item DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, op. c., p. II, 589 sqq. - Circa historiam huius controversiae praeter alios scripserunt: SERRY, O. P., *Hist. Congr. de Aux.*, ll. 4 (*Antuerpiae,* 1709), quem sequitur: BILLUART, disp. 5, § 8. - LIVINUS DE MEYER S. J., *Hist, Contr. de Aux.* - MONTAGNE, *De gr.*, diss. 10, pars hist. apud MIGNE, *Curs. theol.*, 10, 283 sqq. - SARDAGNA, *Theol. dogm. polem.*, t. 5, disp. 5, quem exscribit: MAZZELLA, *De gr.*, App. 9, n. 497 sqq. - WIEST, *Demonstr. dogm.*, t. 4, § 66. - Nostro autem tempore de controversia ipsa eiusque historia egerunt pro Dominicianis: DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae.* - GAYRAUD, *Thomisme et Molinisme ;* pro Jesuitis: RÉGNON, *Bannez* et *Moline doctrine, histoire*, etc. - SCHEEMANN, op. c. - Cf. etiam HERGENROETHER, *Kirchengeschicte,* II, 499 sqq. - MORGOTT, *Kirchenlexicon,* l. c.

(2) Cf. MOLINA, disp. 40, q. 14, a. 13.

sufficienti nunquam voluntatis assensus coniungitur, *efficaci* autem infallibiliter voluntas assentit.

d) Haec consensus infallibilitas a praescientia Dei, et praecise per *scientiam mediam,* qua intellectus divinus omnes actiones liberas conditionate futuras (futuribilia) agnoscit. Deus itaque ab aeterno praevidit Paulum huic auxilio, si detur, libere consensurum; Petrum vero non consensurum, licet consentire posset. Cum igitur ex imperscrutabili sua providentia Deus statuit concedere Paulo gratiam, quam praevidit efficacem, haec ipsa gratia et est infallibiliter efficax, et *maximi beneficii rationem,* prae gratia sufficiente habet (1).

3° *Congruismus,* seu *Molinismus temperatus*, doctrinam *Molinismi puri,* quam exposuimus, aliquantisper mitigat; verumtamen accidentaliter tantum ab hoc differt. Docet enim gratiam sufficientem, non quidem ratione essentiae, sed tamen ratione modalitatis, distingui a gratia efficaci; quia scilicet gratia efficax est *congrua gratia,* seu quae ita est indoli subiecti recipientis accomodata, et talibus datur circumstantiis, quibus Deus praevidet hominem libere consensurum. « Vocatio efficax (ait Suarezius cui praesertim haec Molinismi modificatio et nomen *gratiae congruae* debetur) illa est, quae de facto habitura est infallibiliter effectum a vocante intentum, et ideo licet in se sit gratia praeveniens a solo Deo facta, nihilominus includit habitudinem ad cooperationem futuram liberi arbitrii, cum auxilio gratiae simultaneo, et consequenter includit quandam *congruitatem* respectu personae cui datur, ut sit illi ita proportionata et accomodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum

---

(1) Cf. Molina, l. c. et passim. - Lessium, *De gr. eff.*, c. 10. - Ripalda, *De Ente Super.*, disp. 108 sqq. - Mazzella, *De gr.*, n. 658 sqq. - Palmieri, *De gr.*, thes. 55 sqq. .

habeat, et per hoc habet illa vocatio quod *congrua* et efficax sit » (1). Hac itaque perfecta accomodatione congrua caret gratia sufficiens, cui homo de facto libere resistere praevidetur. — Ratum tamen, etiam iuxta hanc expositionem, semper manet gratiam non esse efficacem ab intrinseco et de se, sed efficacia connexionis (2).

En itaque, iuxta hoc systema, ordinem providentiae Dei circa actum salutarem, v. g. conversionem Petri, qualis compendio exhibetur a Mazzella (3):

a) Deus per scientiam *simplicis intelligentiae* cognoscit omnia sua auxilia supernaturalia possibilia, ac conversionem Petri esse possibilem.

b) Per *scientiam mediam* (futurorum sub conditione contingentium) praevidet quibus auxiliis de se omnino *indifferentibus* Petrus libere consensurus esset et a quibus dissensurus.

c) Deus pro singulari sua benevolentia decernit dare Petro auxilium A, cui eum praevidet libere cooperaturum, *si daretur;* huiusque decreti specialiter benevoli hic est tenor ac finalitas: Cum videam Petrum consensurum auxilio A, si illud haberet, dabo illi hoc auxilium, *ut sequatur actus salutaris.*

d) Per scientiam *visionis* (quae respicit ea omnia quae actu sunt, vel aliquando exsistentiam nanciscentur) cognoscit Deus poenitentiam Petri in tempore absolute futuram.

e) Tempore opportuno atque a divina providentia constituto confertur Petro auxilium A; hic auxilio dato cooperatur et convertitur.

---

(1) *De Aux.*, l. 5, c. 25, n. 4.

(2) Cf. SUAREZ, ibid., et c. c. sqq. - BELLARMINUM, *De gr. et lib. arb.*, l. 1, c. 12. - VASQUEZ, I, II, disp. 189, c. 14. - Quidam putant etiam MOLINAM ab hoc temperamento alienum non fuisse, et SUAREZ non dissentire. - Cf. MAZZELLA, n. 677 sqq. - SCHIFFINI, *De gr.*, n. 268-70.

(3) Op. c., n. 691.

4° *Argumenta quibus Molinismi et Congruismi systema defenditur:*

a) *Ex S. Scriptura* afferuntur ea omnia testimonia, quae ad evincendam gratiae *sufficientis* exsistentiam proferri solent; idest comminatio a Redemptore Corozaimitis atque Bethsaiditis facta (1); exhortatio apostolica, *ne in vacuum gratiam Dei recipiamus* (2); *ne cadamus, sed stemus in suscepta iustitia* (3); *ut certam nostram vocationem faciamus* (4); demum obiurgatio divina populo israelitico eo quod auxiliis atque divinae providentiae beneficiis renitens obstiterit (5). — Inde arguitur: *gratiam efficacem non entitative, idest per se et intrinsece, distingui a gratia sufficiente,* quia *eadem gratia,* quae in Corozaimitis et Bethsaiditis *mere sufficiens remansit, in Tyriis et Sydoniis efficax* futura fuisset. Igitur gratia *efficax* a sufficiente distinguitur per connexionem cum libero voluntatis consensu. — Item, frustra exstimularentur fideles ad *recipiendam* gratiam, ad *eam conservandam*, et ad *certam propriam vocationem faciendam,* si gratiae efficacia ab intrinseco et a Deo unice penderet. — Dumum, nequicquam Deus populum israeliticum obiurgaret, si gratia sufficiens fieri efficax ex consensu nostro non posset; si enim gratia sufficiens talis esset, quae nunquam effici posset efficax ex nostro assensu. frustra ab ea exigitur, seu exspectatur fructus boni operis, quem dare nequit, cum ipsum non contineat.

b) *Ex doctrina Ecclesiae.* Conc. Trid. docet hominem gratiam Dei « *abiicere posse* » et « *Deo excitanti atque vo-*

---

(1) MATTH., XI, 21 sqq. « *Vae tibi Corozain*, etc. ».

(2) I *Cor.* VI, 1.

(3) II PETR. I, 10: « *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, atque electionem faciatis:* (σπουδάσατε... βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθε).

(4) I *Cor.* X, 12: » *Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat* ».

(5) ISAIAS, V, 4: « *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* »

canti, ita cooperari assentiendo, ut *possit dissentire, si velit* » (1). Item Conc. Vaticanum actum salutarem per hoc effici docet quod homo « liberam praestat ipsi Deo obedientiam gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando » (2). Itaque si humana voluntas, etiam sub influxu gratiae efficacis (quam respicit Conc. Trid., cum loquatur de iustificando) dissentire potest, gratia non est per se efficax, sed talis efficitur per connexionem cum voluntatis assensu (3).

c) *Ratione.* Duo componi debent in hac ardua quaestione: hinc libertas humanae voluntatis sub gratiae influxu, inde infallibilis gratiae efficacis effectus. Atqui haec apprime componuntur in hoc systemate. Salvatur enim *libertas*, quia praecise gratia ideo est efficax, quatenus voluntas libere ei consentit. Salvatur autem infallibilis gratiae *efficacia*, quia Deus praevidit ab aeterno hunc hominem tali auxilio libere consensurum, si illi daretur (4).

II.

Thomismus et Augustiniensium systema.

1° *Fundamentalia Thomismi capita.* — *a*) Gratia efficax intrinsece et per se differt a sufficiente: haec dat tantum *posse agere;* illa vero, seu efficax, dat *ipsum agere*, seu actum, quem physice continet.

b) Gratia efficax est *praemotio* seu *praedeterminatio physica;* est enim motio Dei applicans potentiam ad actum, quo igitur saltem natura est prior (5).

(1) Sess. VI, cap. 5 et can. 4.

(2) *De fide*, cap. 3, DENZ. 1640.

(3) Cf. amplam huius argumenti expositionem apud CERCIÀ, *De gr.*, II. lect. 19.

(4) Cf. CERCIÀ, l. c. - MAZZELLA, disp. 3 a. 2-5. - PALMIERI th. 49-59.

(5) Motio, qua Deus efficit ut causae secundae suam actionem producant et concausent una cum ipso Deo, dicitur *praemotio*, non quia prior exsistat actionibus ipsis ad quas movet, sed quia est earum

c) Gratia sufficiens omnibus datur, vel saltem offertur: gratia efficax solum datur aliquibus, quos Deus *absoluta, consequente* et *efficaci voluntate* ad aeternam gloriam praedestinat.

d) Gratia tamen efficax non aufert voluntatis libertatem; motio enim et actio Dei (qui est causa non minus universalis, quam efficax) se extendit ad omnia entia *secundum eorum naturas*, et non solum confert *substantiam* actionis, sed etiam *modum*. Cum igitur voluntas humana sit potentia libera, motio Dei eidem applicatur modo consentaneo ipsius naturae, seu conditioni; hinc haec motio libertatem non tollit.

« Quod ut clare intelligas (ait Billuart) adverte motionem seu gratiam efficacem ad actum *supponere* utramque potentiam agendi et non agendi, neutrum conferre, sed actum dumtaxat: positio autem actus non destruit potentiam ad oppositum. Sicut homo stando non destruit in se potentiam sedendi; intellige tamen potentiam antecedentem et in *sensu diviso* » (2).

---

causa. Eadem autem vocatur *physica* ut designetur *modus causalitatis* per *realem effectionem* actionis, non autem tantum per *moralem influxum*, idest *suadendo, docendo, illuminando, exhortando*, *invitando*, etc. — Quia vero Deus non coeco modo agentia movet, sed sapienti ac certo consilio efficit vere et realiter ut causa secunda hanc determinatam actionem eliciat, hinc talis *praemotio* dicitur etiam *praedeterminatio*. - Cf. Gonet, tr. 4, disp. 8. - Cf. Limbourg, qui sensu thomistico exponit explicationes huius praedeterminationis physicae prout exhibentur a Lemos, Massoulié, Reginaldo aliisque celebrioribus thomistis, in *Jnnsbr. theol. Zeitschrifte* a. 1877, p. 166-70.

(2) *De gr.*, disp. 5 a. 5, § 2. — Itaque conciliatio inter efficaciam gratiae per se et libertatem, generatim a thomistis arguitur triplici ratione: *a*) Ex infinitate et omnipotentia Dei: « Solus enim Deus (ait Alvarez, disp. 22, n. 391) propter suam infinitatem et omnipotentiam, quia est auctor voluntatis creatae potest illam immutare conformiter ad suam naturam et movere efficaciter atque applicare ad producendum actum in particulari, non solum *secundum substantiam* sed etiam *secundum modum libertatis* »: *b*) Ex summa libertate atque absoluta,

2° *Augustiniensium systema.* — Augustinienses suam explicationem fundant in celebri S. Augustini distinctione inter adiutorium *sine quo* et adiutorium *quo*. Illud datum est Adam ut posset, si voluisset, in bono perseverare; hoc datur praedestinatis ut actu perseverent. Hinc quoad statum naturae integrae Augustinienses conveniunt cum Molinistis, docentes gratiam, quae data fuit Adamo, ita fuisse sufficientem ut absque ullo novo addito auxilio, per liberum arbitrium eadem efficax esse potuerit (1). Quoad statum autem naturae lapsae adstipulantur Thomistis in principio fundamentali quod ab *intrinseca vi ipsius gratiae efficacis,* quae confert non solum posse velle et agere, sed *ipsum velle* et *ipsum actum* consensus voluntatis causetur. A Thomistis tamen differunt his tribus:

a) Quod necessitatem gratiae *per se* et *ab intrinseco* efficacis arguant ex *sola* infirmitate naturae lapsae, dum

---

qua voluntas Dei gaudet, in qua eminentissime continetur modus agendi liber creaturae rationalis. « Cum Deus (scribit GONET, tr. 1, disp. 9, a. 7, § 2) sit primum liberum et tale per essentiam, omnem libertatem creatam et participatam omnemque liberam nostrae voluntatis determinationem eminentissimo et perfectissimo modo continet... Si ergo creata voluntas seipsam, quasi sua voluntate praeveniens, potest se in consensum liberum determinare, cur omnipotens eandem suam efficaciam praeveniens idem praestare non potest? » *c*) Ex eo quod licet homo gratiae efficaci *actualiter* resistere nequeat, tamen remanet illi *potentia resistendi.* - Cf. BANNEZ, I p., q. 14, a. 13, q. 23, a. 3, etc. - ALVAREZ, *De Aux. Divin. gr.*, disp. 22-25 et passim. - SALMANTICENSES, *De gr.*, disp. 7. - GONET, l. c. et disp. 4 a. 3, § 1, et disp. 5, et V *De Praed.* - BILLUART, l. c. - GOTTI, *De Deo*, q. 5-6; *De gr.*, q. 2, dub. 4-5. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina praemot. phys.* passim. - BONPENSIERE in I p., q. 14, a. 13, concl. 7 etc.

(1) « Gratia sufficiens molinistice (ait Berti) nihil aliud est, quam celebre adiutorium *sine quo* collatum Adae et necessarium in statu innocentiae. Quare Molina nihil aliud praestitit, nisi quod gratiam Conditoris in gratiam Salvatoris commutavit, et pro adiutorio huius status subrogavit illud, quod Augustinus tradit Angelis et primo homini necessarium ». *De Theol. discipl.,* l. 12, c. 8.

Thomistae eam derivant ex *dependentia* causae secundae a causa prima, et ex illius indifferentia ad actum.

b) In eo quod distinctionem inter gratiam sufficientem et efficacem desumunt ex *diverso gradu intensitatis* eiusdem gratiae, non autem ut Thomistae ab *entitate specifice diversa* utriusque auxilii (1).

c) Demum in eo quod *praemotionem physicam* Thomistarum non admittant, sed *praemotionem* tantum *moralem*, quae consistit in persuasione et delectatione, per quam Deus hominem ad bonum *efficacissime* allicit. Gratia igitur sufficiens iuxta Augustinienses est talis *delectationis coelestis gradus,* quo concupiscentiam vincere *possimus;* gratia autem *efficax* est tam magna *delectatio coelestis, qua certo et infallibiliter,* non tamen necessario, *terrenae delectationis* fervor superatur. « Constat (ait Bertit) omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria *sufficientem*, idest non *efficere* actus salutares propter obicem carnalis et robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu delectatio victrix, quae a nullo duro corde respuitur. Igitur gratia efficax est illa, quae semper cum effectu coniuncta est, sive caritas quae dat posse et velle, et *tantum velle*, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem facile vincat; nec solum dat posse bene agere, sed efficit ipsam actionem » (2).

---

(1) A Thomistis « dissentimur (scribit Berti, l. c.) non solum in explicanda gratiae natura, verum etiam in eo, quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere; et gratiam, quae in uno sufficiens et inefficax est, non posse efficacem esse in altero constantissime teneant, propterea quod auxilium sufficiens et efficax inter se *specie* differant et natura. At nos (Augustinienses) eandem numero delectationem, quae in aliquibus minus obduratis atque excaecatis v. g. in Tyriis Sydoniisque foret efficax et ad poenitentiam traheret; in aliis maiori coecitate et obduratione affectis *inefficacem* esse contendimus ».

(2) L. c.

Ex his etiam evidens est substantialiter differre systema Augustiniensium ad errore Jansenistarum; hi enim gratiam efficacem esse volunt delectationem coelestem *necessitantem;* illi autem sub influxu gratiae efficacis liberum arbitrium manere docent (1).

3° *Argumenta pro intrinseca gratiae efficacia.* — α) *Ex S. Scriptura,* quae asserit: *a*) in re salutis nihil nos habere in quo gloriemur: *Quis enim* (ait Apostolus) *te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* » (2). At vero, si gratia sufficiens fit efficax ex consensu voluntatis, potior salutis gloria nobis pertineret.

b) Hinc etiam docet: *Deum in nobis operari et velle et perficere; immutare cor nostrum auferendo lapideum et dando cor carneum;* ita ut *nulla vis sit quae voluntati Dei* qua decernit salvare hominem *resistere possit* (3); et sub Dei motione voluntas hominis sit veluti *lutus in manu figuli* (4).

c) Unde concludit salutem nostram esse *opus divinae misericordiae, non autem voluntatis et operationis nostrae* (5).

---

(1) Cf. Noris in opusc. cui titulus: *Janseniani erroris calumnia sublata:* « Berti, l. c. et c. 13, l. 4, cc. 8-13. - Belleli, opusc. *Mens Augustini.* - Gazzaniga, *Theol. dogm.*, v. 2, c. 3, § 99. - Wiest, *Dem. dogm.*, v. 4, § 71 et v. 6, § 44. — Huic systemati accedit Thomassinus, qui tamen vim moraliter victricem collocat non in una vel alia singulari gratia et delectatione, sed « in auxiliorum *cumulo,* quae multitudine, et indefessa conspiratione voluntatem tandem ad consensum trahant ». (*Dogm.*, vol. III, tract. 4, *De consensu scholae de gr.*).

(2) I *Cor.*, IV. 7.

(3) Ester., XIII, 9: « *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel* ».

(4) *Eccli.* XXXIII, 13: « *Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere* »: *Rom.* IX, 21. « *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* »

(5) *Rom.* IX, 15-16: « *Moysi enim dicit: miserebor, cuius misereor, et misericordiam praestabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* ».

β) *Ex doctrina Augustini,* qui gratiam *a se* efficacem semper docuisse videtur, dum scribit: « Certum est nos velle cum volumus. Sed Deus facit ut velimus bonum... ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas *voluntatis* » (1).

γ) *Ex Ratione.* — Thomistae arguunt praecipue efficaciam gratiae *a se* ex duplici principio: scilicet ex *indifferentia* causae *secundae* ad agendum, et *ex supremo dominio Dei super omnes causas secundas,* earumque actiones. Ita Billuart proponit has rationes:

a) « Deus est prima et immediata causa omnium entium naturalium et supernaturalium ».

b) « Homo est causa secunda subordinata primae in agendo ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, et insuper ex se incapax, praesertim viribus peccato debilitatis, efficiendi ullum actum supernaturalem et meritorium salutis ».

c) « Actio et potentia agendi sunt duo entia distincta, tam in ordine supernaturali, quam naturali, quorum primum est nobilius et perfectius secundo. Ex his principiis inferunt Thomistae necessariam esse tam in statu naturae innocentis, quam in statu naturae lapsae duplicem gratiam in ordine ad salutem; alteram minus perfectam et minus validam quae dat tantum *posse,* elevat et reddit hominem aptum actui supernaturali, et vocatur *sufficiens;* alteram perfectiorem et validiorem, quae potentiam determinat et confert actionem, et vocatur *efficax;* ita ut numquam contingat quod haec potentia, quam confert gratia sufficiens, agat aut obtineat suum principalem et ultimum effectum, nisi ope gratiae efficacis » (2).

---

(1) *De gr. et lib. arb.,* c. 16, n. 32, PL. 44, 900. - Cf. alia testimonia apud BILLUART, (l. c., art. 6), qui etiam arguit ex *oratione* Ecclesiae qua petimus ut Deus « *nostras* etiam *rebelles* ad se *compellat* voluntates ».

(2) Diss. 5 a. 2, § 2.

III.

Syncretismi systema.

His praecipuis systematibus aliud addendum est, quem *Syncretismum* appellant, eo quod ceterorum omnium doctrinis partialiter utatur. Syncretistae enim putant in unoquoque ex illis aliquid veri inesse. Duplex itaque iuxta hos distinguenda est gratia *efficax;* altera ab *intrinseco* et *per se* efficax, quae eo modo quem statuunt Thomistae, vel Augustinienses voluntatis humanae consensum sua vi trahit; altera efficax ab *extrinseco,* quae ideo effectum sortitur, quia hominis voluntas ei libere consentit. Haec est gratia efficax *sensu moliniano* et eadem est ac gratia proxime vel remote sufficiens.

Iam vero ad opera salutis *faciliora,* quae nullam aut parvam tum ex obiecto, tum ex circumstantiis difficultatem exhibent, et praesertim ad Deum orandum atque ad impetranda uberiora auxilia, sufficit et datur a Deo gratia ab *extrinseco efficax,* quae nimirum ita est in se sufficiens, ut ex *solo consensu libero voluntatis* fiat efficax *in actu secundo.* Ad opera vero *ardua* atque *difficiliora* necessaria est gratia validior et ab *intrinseco* efficax; et haec a Deo, lege saltem communi, non conceditur nisi iis, qui gratiae *ab extrinseco afficaci,* seu proxime vel remote sufficienti consenserint (1).

(1) Huic systemati adhaeret S. Alphonsus de Ligorio qui provocat ad Alphonsum Le Moyne, Isambertum, Norisium, Petavium, Thomassinum, Du Plessis d'Argentrè aliosque. (*Opera dogmatica,* tract. 4 seu Appendix Sess. VI, Conc. Trid. § 7, n. 141 sqq.). Fatendum tamen est non eodem modo neque explicite hanc doctrinam proponi a citatis auctoribus (Cf. praesertim PETAV., *De Deo,* l. 10, c. 19, n. 7-8) prout exhibetur ab HABERT, (*Theol. PP. graec.*, II, c. 15) et praecipue a TOURNELYO, (*De gr.*, quaest. 7, a. 1, n. 4, et art. 4, concl. 5) quem proxime

ANIMADVERSIONES IN PRAEFATA SYSTEMATA.

1° Ut ex praedictorum systematum expositione constat, quodlibet ex ipsis duplex dogma fidei - *libertatis arbitrii* et *infallibilis effectus gratiae efficacis* - admittit. Hinc liberum est, quod libuerit eligere, nec licitum est unum vel aliud ex his censura theologica inurere, quod et a Paulo V decretum est et iterum a Clemente XII sancitum (1).

2° Ceterum iam sopitam theologorum de modo efficacitatis gratiae actualis concertationem, quae salva quidem fide, non autem semper salva caritate et gratia habituali, hinc inde diu agitata fuit, non praestat ex cineribus excitare. Nostro quoque tempore congruere putamus prudens consilium, quod Paulo V interroganti S. Franciscus Salesius rescripsit, cuius etiam mentio fit, honoris causa, in Decreto, quo ipse a Pio IX, Ecclesiae doctor renunciatur: « Periculosissima est quaestionis illius disputatio, et suis in extremitatibus haereses habet subiectas et proximas; quamobrem, qui in iis opinionibus stat, videat, ne cadat. Porro alia sunt, quibus gemit Ecclesia et quibus potius incumbendum esset, quam elucidandae questioni illi, cuius elucidationi nihil boni reipublicae christianae illatum est,

---

sequitur S. Alphonsus. — Recentius huic doctrinae adstipulati sunt: - KNOLL, (*Inst. theol.*, v. 4, sect. 1, c. 3 a. 2, § 429 sqq.). - SIMAR, (*Leherbruch der Dogm.*, II, § 117). - KATSCHTHALER, op. c., n. 148 aliique. — Attamen huiusmodi syncretisticum conciliationis tentamen neque Thomistis, neque Molinistis placuit. A Thomistis impugnatur prima pars, quae statuit gratiam ab *extrinseco* efficacem pro actibus facilioribus. (Cf. BILLUART, l. c., a. 2 § 3, qui censet hoc systema esse substantialiter molinianum). A Congruistis reiicitur gratia *per se efficax* quoad opera ardua. - (Cf. SUAREZ, *De gr.*, l. 5, c. 20. - SCHIFFINI, op. c. n. 257, II nota).

(1) *Const. Apostolicae Providentiae*, a. 1733, DENZ., 904.

mali vero nimis; quandoquidem ad malum prona sunt tempora » (1).

3° Maxime tamen cavendum esse credimus, *ne atheis ac positivistis nostri aevi,* quibus solemne est hominis libertatem denegare ut inde exsurgentem actionum moralium imputabilitatem tollant, ansa praebeatur evertendi ipsum moralitatis fundamentum, si talis divinae motionis in humanam voluntatem influxus adstruatur, quo admisso vera libertas logice et solide defendi nequeat. Certe equidem positivismi moralistae doctrina *praemotionis physicae determinantis,* et *delectationis relative victricis* in humanae libertatis exitium facile abutuntur (2). His praemissis, haud inutile erit obiectivum horum systematum examen instituere, quo saltem appareat quae sint in unoquoque eorum potiores difficultates, et qui erroris scopuli praecavendi. — Haec itaque proponimus tribus sequentibus assertionibus.

Assertio prima.

Praemotio, vel praedeterminatio physica Thomistarum cum humanae voluntatis libertate componi non posse videtur.

Sane: 1° Haec praemotio est actio divina quae voluntatem determinat ex statu indifferentiae ad hunc vel illum actum. Haec enim actio physice continet actum, quem physice confert, ita ut *metaphysice repugnet non poni actum,* cum datur praemotio illa antecedens (3). Atqui hac prae-

(1) Cf. Schneemann, op. c., p. 4, n. 2. - Katschthaler, op. c., n. 149. — Nota tamen est S. Francisci Salesii propensio in Molinae sententiam. Cf. *Theotim.*, l. 2, c. 7-12.

(2) Cf. Ardigò, *La morale dei positivisti,* par. II, c. 3.

(3) Hoc ipsum explicitis verbis a Thomistis semper inculcatur: « Praedictum auxilium actuale (efficax) determinat liberum arbitrium ad *unam numero actionem,* nec subditur libero arbitrio, quantum ad usum ». Ita Alvarez, *De Aux.*, disp. 19, n. 7. Et iterum disp. 83, n. 7: « Quando agens infinitae virtutis movet aliquod subiectum, tale su-

determinatione physica funditus libertas nostra destrui videtur. Ergo.

Prob. min. — Vera etenim libertas in hoc tandem consistit, quod voluntas ita ad *actum se determinet* ut possit actum non ponere, et pluribus obiectis contingentibus propositis, unum, vel aliud ex *seipsa* eligere possit, quin ad hanc electionem ab ulla vi vel extrinseca, vel intrinseca determinetur. At vero, voluntas physice praemota ad actum per motionem quae ipsum actum confert, nequit ab actu ponendo abstinere, vel alium ab eo ad quem determinatur actum ponere. Hinc nequit ea vere et proprie libera dici.

2º Neque causam libertatis nostrae iuvat conciliationis ratio inter hanc et motionem Dei praedeterminantem, quae a Thomistis proponitur. Dicunt enim:

a) Voluntatem esse liberam sub gratia, quia *antea* libera erat, in sensu *diviso;* gratiam autem naturalem libertatis *potentiam* non auferre.

b) Voluntatem Dei esse efficacissimam et ad omnia universaliter extendi; et hinc posse utique ad actum praemovere potentiam liberam *iuxta modum suae naturae*, idest quin libertas supprimatur.

Respondemus: *primam* explicationem videri ineptam. Et sane quidem: ad tuendam voluntatis libertatem sub influxu gratiae non sufficit admisisse hanc libertatem *ante applicationem auxilii praemoventis,* sed hoc insuper, imo hoc proprie ostendi debet; voluntatem *liberam manere sub applicatione illius motionis.* Non enim est quaestio an gratia

---

biectum, infallibiter movetur, quia tunc resistentia passi non superat, nec adaequat virtutem agentis. Sed Deus est agens infinitae virtutis ». Et Billuart scribit: « Cum *repugnet* esse applicationem activam (potentiae) sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum, et voluntatem agentem ». l. c. diss. 5. art. 7, § 3. — Idem repetit Dummermuth: « Movendo liberum arbitrium Deus illud *ad unum* determinat », op. c., p. 154.

praemovens, determinet *libertatem radicalem* potentiae volitivae, sed hoc inquiri et explicari debet: voluntatem *in ipsis actibus,* quos *sub gratiae motione ponit,* esse vere liberam ita ut receptae gratiae *resistere* possit (1). Iam vero data illa praemotione physica ad actum, voluntas quoad ipsum actum non est libera sed determinata.

Alterum autem quod additur, nempe voluntatem Dei esse causam efficacissimam, et gratiae efficacis collationem esse effectum divinae voluntatis, tamquam principium certissimum, quo S. Thomas saepe utitur ad infallibilem gratiae efficaciam arguendam, admittendum est. Attamen ex hoc principio legitime quidem infertur: Deum humanam voluntatem ita movere posse ad actum, ut eius consensus *infallibiliter* simul et *libere* habeatur; non autem dedu-

(1) ALVAREZ sincere fatetur voluntatem gratiae *resistere* non posse. Ut autem se expediat ab auctoritate Conc. Trid. definientis « hominem Deo vocanti *dissentire posse si velit, et inspirationem Dei abiicere posse,* artificiosa utitur distinctione inter significationem *verbi resistere* et sensum qui subest verbis *dissentire* et *abiicere*: « Dicimus (scribit disp. 93), Conc. Trid. numquam usum fuisse verbo illo *resistere*, sed verbo *dissentire* et *abiicere,* ut insinuaret non esse idem formaliter: *resistere* seu posse *resistere* auxilio efficaci; et posse *dissentire,* seu *abiicere* gratiam vocationis... Verbum *resistere* in sua formali significatione importat quandam renitentiam, quae respectu Dei non potest competere ulli creaturae. Unde licet arbitrium, motum auxilio efficaci ad consentiendum, possit *dissentire,* si velit, non tamen potest Deo *resistere,* vel auxilio eius efficaci, secundum quod est instrumentum divinae voluntatis ». Hoc ipsum docet LEMOS: « Non est idem arbitrium motum *posse dissentire* Deo vocanti, et *posse resistere,* quia prima propositio secundum catholicam veritatem tenenda est, cum faciat *sensum divisum,* altera *neganda* est, cum faciat *sensum compositum* ». (*Panoplia, Gratiae*, vol. II, p. 25 et passim). — Haec distinctio nunc authentice inepta arguitur, cum Conc. *Vaticanum* declaraverit « hominem gratiae Dei *resistere posse* » (Sess. 3, c. 3). — Addi tamen debet, non omnes Thomistas illam distinctionem adprobasse. Sic Gonet et Billuart concedunt idem esse *resistere* et *dissentire*, et hinc *posse* hominem gratiae efficaci *resistere* ut *potest* ab ea *dissentire;* licet ullo modo fieri possit ut *actu ipse resistat*, si gratia efficax conferatur.

citur: ad infallibilem consensum voluntatis necessariam esse praemotionem Dei physice ad actum determinantem. Quin imo neque efficacissima Dei voluntas hoc efficere potest ut humanam voluntatem physice praemoveat immittendo actum, ad quem illa determinatur, et simul eam liberam seu indifferentem ad illum actum conservando. *Esse enim ad actum determinatum et simul quoad ipsum actum esse liberum*, absurdum est et contradictorium (1).

3° Testimonia ex S. Scriptura allata, evincunt quidem neminem voluntati Dei absolutae resistere posse, et per divinae gratiae motionem certissime ad salutem perduci eum, quem Deus efficaciter salvare decrevit; ast *modum* salvandi per *praemotionem physicam*, minime exhibent. Haec testimonia ut componantur cum aliis disertissimis, quibus humana libertas etiam sub gratiae influxu asseritur, nequeunt materialiter, ut sonant, accipi; secus vel ipsa gratia *necessitans* Novatorum ex his concludi liceret. — Adde plura ex his testimoniis ad gratiam interiorem non referri,

---

(1) Ipsi Thomistae fatentur a mente humana intelligi non posse quomodo voluntas sub physica praemotione *libere* agat. « Ratio huius concordiae (scribit Avarez, disp. 118, n. 5) *credenda* est et captivandus intellectus in obsequium fidei ». Et Billuart: « Repones: non satis explicatur modus, quo haec concordia a nobis intelligi possit. Respondeo *mysterium esse* », op. c., diss. 8, a. 4, § 2 ad 5. Et Buompensiere scribit: « Utique nos nescimus clare exponere modum secundum quem praedeterminatio divina faciat voluntatem creatam se determinare *libere* ad volendum id quod vult Deus. Attamen haec ignorantia procedit ex eo quod *natura* operationis divinae. utpote transcendens omnem limitem, est nobis ignota ». In I p., n. 924. — His respondemus: Esto nos nescire modum, quo Deus moveat voluntates creatas ad libere agendum. Sed profecto eo ipso quod huius influxus divini rationem et naturam ignorare nos confitemur, haud possumus *talem determinatum modum* proponere, qui libertatem voluntatis ad actum auferat. Iamvero *liber non est,* qui est determinatus ad unum; hinc qui praedeterminatur ad actum, et quidem physice, nequit sine aperta contradictione *liber dici,* etiamsi vis praedeterminans a Deo applicetur.

sed potius *exteriores* eventus respicere, qui ab omnipotentia Dei directe producuntur (1).

4° Ceterum, non solum theoria physicae praemotionis nunquam occurrit penes S. Scripturam et Patres (2); sed nec ipse S. Thomas hoc vocabulo unquam utitur (3). Ea autem testimonia, quae ex Aquinate congeruntur ad probandam efficaciam gratiae *per collationem actus,* ad quem illa movet voluntatem, non ita diserta sunt, ut nequeant diversam pati interpretationem (4); praesertim cum solemne sit Angelico: « *Voluntatem humanam determinare seipsam,* et esse suorum actuum dominam » (5).

5° In systemate demum praemotionis physicae, conceptus *gratiae sufficientis* destrui videtur. Cum enim gratia sufficiens nec conferat actum, nec ipsum conferre possit, inepte dicitur *vere* et *relative* sufficiens.

---

(1) Cf. amplam de his discussionem apud CERCIÀ, op. c., lect. 7-9.

(2) Augustinus equidem saepe repetit: « Deum *per suam occultissimam atque efficacissimam voluntatem et potestatem* convertere et transferre *corda hominum ab indignatione ad lenitatem; facere ut faciamus praebendo efficacissimas vires; operari in nobis non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates* ». (Vide alia similia apud BILLUART, l. c., art. 6). Attamen nunquam S. Doctor hypponensis asseruit gratiam divinam nos praedeterminare ad unum, per hoc quod *confert* vel *applicat* actum ipsum voluntati humanae. Quin imo, ex eo ipso quod Augustinus, ut notum est, Adamo integro, et innocenti eam gratiam sufficientem collatam fuisse doceat, quam ipse solo consensu liberi arbitrii *efficacem* reddere potuisset; manifestum est vel ipsum principium fundamentale Thomismi, seu necessitatem metaphysicam divinae *praemotionis physicae* praedeterminantis ad singulos actus causas secundas, etiam natura sua liberas, S. Doctorem haud agnovisse.

(3) Cf. CARD. JOS. PECCI: *Sentenza di S. Tommaso sopra l' influsso di Dio nelle azioni delle creature ragionevoli:* « Ubi adnotat vel ipsum Goudin, qui speciali dissertatione (*Philos.* III, q. 14, a. 4) praemotionem physicam ex doctrina et verbis Angelici probare aggreditur, nec unum testimonium afferre ubi vox illa occurrat. Cf. etiam SATOLLI, *De gr.* q. 3, a. 3, Concl. 6, § 4, n. 2.

(4) Cf. PECCI, op. cit. - CERCIÀ, lect. 13. - MAZZELLA, disp. 3, a. 9.

(5) Cf. I, II q. 9. a 3, et 4, etc.

Assertio secunda.

Delectatio relative victrix non videtur adsumi posse ut constitutivum gratiae efficacis.

1° Imprimis nequit delectatio haberi ut unicum motivum determinans nostram volitionem. Augustinienses quidem illud Doctoris hypponensis dictum: « Quod magis delectat, secundum id operemur necesse est » (1) sensu absoluto et antecedenter ad ipsam voluntatis determinationem explicant; quasi voluntas semper id sequatur quod *prius* magis delectat. Ast hoc effatum nequit ita *universaliter* accipi, ut non alia praeter delectationem adsint motiva ob quae voluntas ad agendum inducatur. Non enim semper ad agendum movemur suavitate obiecti; sed ut ipsa experientia constat quandoque *timore, spe, aliisque motivis* opera salutaria agimus. Id quod S. Scriptura et Patres saepissime testantur, et vel ipse S. Augustinus de se candide fatetur: « Non faciebam quod et incomparabili affectu mihi amplius placebat » (2).

2° Libertas arbitrii sub influxu delectationis victricis. quae *moraliter* tantum voluntatem determinet, non equidem apparet adeo irreconciliabilis ac sub physica praemotione ad actum; praesertim, si delectatio victrix, seu gratia efficax *solo gradu intensitatis,* non autem *entitate intrinseca* a gratia sufficiente differat, ut illustriores huius scholae Auctores opinantur (3). Attamen, licet moraliter tantum, vere tamen a delectatione relative *victrice* voluntas deter-

---

(1) *Enchirid.*, c. 30, et passim.

(2) *Confess.* VIII, c. 10.

(3) Berti, l. c. - Clericum a Belliberone, *De gr.*, Sect. 2, l. 3, a. 2, apud Migne, *Cursus theol.*, vol. 10, 1039 sqq.

minatur ad actum; hinc etsi sub hac motione libertas physica remaneat, non tamen remanet *usus expeditus* libertatis.

3° Quod autem docent communiter Augustinienses, hominem sub influxu delectationis victricis, non habere quidem potentiam *moralem* resistendi, sed habere potestatem *physicam,* alio etiam capite non placet; quia scilicet *infallibili gratiae efficaciae* per hoc derogatur. Effectus enim gratiae efficaci absoluta et metaphysica certitudine coniungitur. Porro si remanet in homine potentia *physica* resistendi gratiae efficaci, huius effectus erit quidem lege ordinaria *moraliter* certus, sed non absolute infallibilis.

4° Denique gratia, sive delectatio sufficiens Augustiniensium non videtur *vere*, sed tantum *mere* sufficiens, quia *expeditum* posse non confert absque nova addita eaque robustiore gratia.

Assertio tertia.

Felicius quidem ab infallibili praescientia Dei concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci repetitur: sedulo tamen cavendum est, ne intrinseca gratiae efficacia deprimatur et ne scientia Dei ab extrinseco dependens efficiatur.

I. Evidens est in theoria moliniana libertatem arbitrii sub gratiae influxu optime salvari. Attamen oppositum in ea adest periculum deprimendi gratiae efficaciam et inducendi in divina praescientia *dependentiam* ab *extrinseco* obiecto. Dummodo igitur hoc periculum removeatur, libenter huic sententiae adhaeremus.

1° Itaque diligenter imprimis cavendum est, ne gratiae efficacia *a solo voluntatis assensu* repeti videatur, quasi gratia praeveniens, quae *sufficiens* datur, fiat *efficax* ex effectu, idest per *voluntatis determinationem.* Hoc admitti nequit. Nam:

a) In hac hypotesi gratia Dei non amplius foret causa principalis effectus salutaris, et ipsius salutis, sed

esset mera *causa instrumentalis*, qua voluntas utitur ad salutem operandam.

b) Insuper modus loquendi S. Scripturae, quae saepe docet Deum gratia sua « *immutare*, *aperire*, *aptare*, *trahere* » corda hominum, si non infert praemotionem physicam, et *specificam* distinctionem inter gratiam sufficientem et efficacem, attamen inducere videtur aliquod *discrimen obiectivum* inter haec auxilia, vi cuius gratia efficax ratione *intensitatis* et *roboris* praestat gratiae sufficienti.

2° Dein prudenti circumspectione utendum est, ne scientia Dei ab obiectis *dependens* fiat et veluti *a posteriori* tantum, attingens efficaciam gratiae. Nemo dubitare potest Deum etiam futuribilia (actiones liberas sub conditione futuras) cognoscere et quidem certissime atque infallibiliter, et hinc quid effectura esset (num assentiret vel dissentiret) talis creatura rationalis, si haec gratia illi daretur, perfectissime perspectum habere. Ast vero, non ita haec Dei praescientia explicari potest, quasi Deus ex cognitione *praevia* (ordine naturae) *ipsius liberi consensus* tali gratiae et talibus in adiunctis, tamquam a posteriori, ipsius gratiae efficaciam pro tali individuo argueret. Huiusmodi praescientiae ratio in Deo admitti nequit. Sane:

a) In primis haec futuribilia *in seipsis* considerata nihil sunt in ordine obiectivae realitatis, sed tandem aliquando sunt ipsae ideae Dei archetypae, quae exhibent quendam immutabilitatis modum divinae essentiae et *relationem aliquam certam* et *determinatam* obiecti factibilis. Cum igitur extra Deum futuribilia non sint, nequeunt in *seipsis* cognosci.

b) Sed praeter hoc a scientia Dei omnino excludenda est cognitio *a posteriori* et dependens ab extrinseco ; quae, cum sit imperfectus cognitionis modus, nequit prorsus intellectui Causae Primae et Universalis attribui. Ex praescientia igitur Dei iure quidem peti potest explicatio in-

fallibilitatis effectus gratiae efficacis, sed efficacia gratiae debet a Deo cognosci *a priori* in propriis causis, idest in sua essentia et in *supercomprehensione* causae secundae, quam *ex sua essentia habet,* non autem argui potest *a posteriori,* idest ab effectu *in seipso immediate praeviso.*

II. Itaque, ut concludamus, haec puncta (salvo meliori iudicio) statuimus:

1° Gratia Dei et voluntas humana non sunt concipiendae ut duae causae distinctae respectu ad actum salutarem; sed *gratia elevans* atque *proxime expeditam* reddens *voluntatem* ad opera salutaria agenda, *voluntas ipsa* hoc modo elevata et supernaturaliter disposita atque completa, constituunt *unum principium adaequatum* actus salutaris. — Eleganter hoc expressit S. Bernardus: « Sic autem gratia cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur: ita tamen ut quod sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficiatur, ut *mixtim* non *singillatim*, *simul* non *vicissim* per singulos profectus operentur. Non *partim* gratia, *partim* liberum arbitrium, sed *totum* singula opera individua peragant » (1).

2° Ad efficacitatem gratiae infallibilem explicandam non necessario admittenda est distinctio specifice *entitativa* inter gratiam sufficientem et efficacem. Saltem haec entitativa differentia gratiae efficacis, nequit in eo consistere, quod haec conferat *actum* per *praemotionem physicam.*

3° Attamen aliquod discrimen obiectivum inter haec duo auxilia admittendum videtur *ratione intensitatis*, habito respectu etiam ad dispositiones subiecti recipientis gratiam. Potest enim contingere ut gratia *minoris intensitatis in se,* relate ad subiectum bene dispositum sub divino regimine sit *efficax*, et gratia *maior* propter indispositiones subiecti *effectu careat.*

---

(1) *De gr. et lib. arb.*, c. 14.

4° Hinc gratiae efficacia nec pendere unice potest a determinatione voluntatis liberae, quae gratiam sufficientem reddat efficacem, sed repeti debet ex praescientia Dei, qui *iuxta ordinem suae praedestinationis talem gratiam praeparat*, quam certissime cognoscit effectum consecuturam manente libertate subiectiva recipientis. Itaque cum Deus statuit aliquem ad salutem praedestinare (sive ante, sive post praevisa merita, nihil refert) eam gratiam sic accomodatam illi confert, cui prescit ipsum infallibiliter quidem, sed libere consensurum esse. Cum enim Dei voluntas sit *efficacissima*, et *omnipotens,* et voluntas humana eiusque possibilis *resistentia* ad Dei gratiam sit tandem aliquando *finita*, plurimos gratiae *modos* Deus habet praesto, ita attemperatos indoli et vi cuiuslibet voluntatis, qui si dentur, voluntas libere quidem, sed infallibiliter in bonum consentire certissime praevideatur. Hoc admisso, scilicet Deum infinita sua sapientia atque omnipotentia cognoscere et conferre posse talem gratiae modum, qui attenta subiecti dispositione liberum huius consensum infallibiliter consequatur, nec gratia *efficax* consensum efficiet per physicam praemotionem; nec aliunde voluntas humana gratiae divinae efficaciam determinabit. — « Quamvis (ait egregie Toledo) Deus determinet voluntatem, tamen acceptare determinationem est in ipsius (voluntatis) potestate... Sed quomodo scit Deus quod voluntas mea determinationem acceptat libere?... Puto quod Deus factor omnium voluntatum cognoscit in ipsis certo quid eligere debeant et id vult esse futurum et in se praevidet » (1).

---

(1) In I p., q. 14, a. 13.

Articulus IV.

Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo dividatur.

Praenotanda. — 1° Ut iam diximus, gratiae *gratis datae* vocantur ea dona extraordinaria fidelibus in *bonum communitatis* (πρὸς τὸ συμφέρον) concessa, per quae Spiritus S. virtus mire manifestatur. Apostolus *novem* horum charismatum species enumerat. « *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae* (σοφίας): *alii autem sermo scientiae* (γνώσεως) *secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum: alii genera linguarum* (γένη γλωσσῶν), *alii interpretatio sermonum* » (1).

2° Haec Apostoli enumeratio evidenter respicit varios modos extraordinariae manifestationis Spiritus S., qui in Ecclesia primitiva communiter contingebant (2). Nemo autem dubitare potest multo plures esse manifestationes possibiles S. Spiritus, cuius operatio infinita a determinato effectuum numero coarctari nequit. Ut haec tamen divisio ab Apostolo tam diligenter proposita ex doctrina S. Thomae declaretur, sit haec:

CONCLUSIO

Congrue ab Apostolo gratia gratis data in novem species distribuitur.

Probatur. — *Ex fine ad quem gratia gratis data ordinatur, qui est perfectio magisterii divini extraordinarii.*

---

(1) I *Cor.*, XII, 7-10.

(2) « Totus hic locus (scribit S. Chrysostomus, I *Cor. hom.* 29) valde obscursus est; obscuritatem autem hanc efficit ignorantia eorum, quae tunc quidem contingebant, nunc autem non amplius accidunt ». - Cf. Cornely, in h. l. *Cursus Script. S.*, vol. III.

Haec namque gratia « ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur ut reducatur ad Deum » (1); datur enim non propter bonum subiecti recipientis, sed propter aliorum utilitatem. *Duplex* autem est modus, quo homo reduci potest ad Deum; vel scilicet per actionem *internam* (illustrationem intellectus, et motionem voluntatis) quae propria est solius Dei; vel etiam per *externum* magisterium (instructionem et suasionem) quod homini convenire potest. Ergo gratiae gratis datae ordinantur ad hoc magisterium supernaturale. Hinc tot erunt, quot requiruntur et sufficiunt ad perfectionem ipsius. Atqui (subsumit Angelicus) requiruntur et sufficiunt novem dona ab Apostolo distinctim enumerata. Ergo.

Prob. min.: Ad perfectum magisterii exercitium in ordine naturali requiruntur: *a*) *perfecta cognitio* doctrinae; *b*) *potestas probandi* seu confirmandi doctrinam tradendam; demum *c*) *media congrua* ad eam manifestandam. Itaque, servata proportione, idem dicendum est de magisterio supernaturali. — Iamvero *cognitio perfecta* doctrinae divinae habetur per *fidem* qua eius *principia,* per *sapientiam* qua *conclusiones* ex his principiis deducendas, et per *scientiam* qua res humanae et naturales divinas ostendentes, cognoscuntur. — *Potestas confirmandi* hanc doctrinam supernaturalem, per media supernaturalia quae miram Dei virtutem in seipsis prodant, exercenda est, scilicet per *gratiam sanitatum* et *operationem virtutum,* quibus efficiuntur quae Deus solus facere potest, vel in ordine ad manifestationem *genericam* suae potentiae supernaturalis; vel *speciatim* ad utilitatem corporalem hominum; tum etiam per *prophetiam* et *discretionem spirituum,* quibus revelantur quae Deus solus cognoscere potest, ut sunt futura contingentia, secreta cordium etc. — Demum *media* manifestativa doctrinae duo sunt:

(1) Hoc art.

idest *genera linguarum*, et *interpretatio sermonum;* verba enim per quae doctrina traditur spectari possunt vel *materialiter* secundum externum sonum, vel *formaliter* secundum ipsius vocis significationem. Ergo *novem* sunt species gratiae gratis datae, et conveniens est enumeratio ab Apostolo assignata (1).

Scholion. — 1° Ad praecavendas difficultates atque ad accuratiorem textus apostolici expositionem haec advertenda sunt:

a) *Fidem* dupliciter accipi: vel prout est *virtus inclinans* intellectum nostrum ad assentiendum veritatibus revelatis; et hoc sensu fides pertinet ad gratiam *gratum facientem:* vel prout est *certitudo firmissima* et *supereminens* veritatis revelatae, cuius praehabetur veluti *sensus spiritualis immediatus;* et sic fertur in gratiam *gratis datam:* huiusmodi enim profundus atque intima mentis et cordis pervadens *sensus* veritatis divinae, homines maxime idoneos magistros doctrinae revelatae efficit.

b) *Sapientiam* et *scientiam*, quae recensentur inter gratias *gratis datas* non eadem significatione sumi, ac *dona Spiritus S.,* quae iisdem vocabulis enuntiantur. *Sapientia* enim et *scientia* quatenus sunt Spiritus S. dona, mentem nostram *dociliorem* reddunt ad intelligenda, quae doctrinam divinam respiciunt; prout vero sunt gratiae *gratis datae,* conferunt non solum intellectionem *subiective* profundiorem, sed et ampliorem *obiective* cognitionem rerum divinarum, quibus homo instructus aptior efficitur magisterio supernaturali fungendo.

c) Nomen « *genera linguarum* » non denotare in hoc textu Paulino donum loquendi variis linguis, quod Deum Apostolis concessisse constat; sed *modum* quendam *orationis mysticae,* et manifestationis per arcana verba sublimioris

---

(1) Hoc art.

contemplationis mysteriorum Dei, qua quorundam fidelium spiritus rapiebatur (1).

2° Gratiis gratis datis, quae ab Apostolo recensentur alia etiam dona adiungenda esse, et praesertim *characterem sacerdotalem, iurisdictionem spiritualem, primatum Pontificis eiusque magisterii infallibilitatem*, etc., quibusdam (Bellarmino, Suarezio, Vasquezio aliisque) visum est. Et sane quidem, est specialis quaedam *analogia* inter haec dona et charismata gratis data: utraque enim dantur in utilitatem communitatis et inesse possunt subiecto gratia et caritate destituto. Verumtamen character et alia quae adduntur dona, a vera et perfecta ratione gratiae gratis datae deficiunt per hoc, quod illa pertinent ad *magisterium ordinarium* et ad *necessariam* Ecclesiae *administrationem;* dum gratiae gratis datae respiciunt magisterium *extraordinarium;* haec enim dona neque semper, neque eodem gradu in Ecclesia inveniuntur; siquidem: « *Haec omnia* (ut ait Apostolus) *operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* » (2).

Articulus V.

Utrum gratia gratis data sit dignior quam gratia gratum faciens.

Praenotandum. — Si exterior tantum doni splendor spectetur et largitionis singularitas, praestantiores videri poterunt gratiae *gratis datae*, quam gratia *gratum faciens.* Illae enim paucis et, ordinarie saltem, dignioribus Ecclesiae membris conferuntur et divinam potestatem veluti sensibus palpabilem manifestant. Verum, si comparatio inter utrum-

(1) Hoc evidenter arguitur ex ipsa declaratione Apostoli, ibid., c. XIV, vv. 2-4 et sqq. - Cf. Caietanum in h. l. et Cornely, ibid.

(2) Ibid. XII, 11. - Cf. Gotti, *De gr.*, q. II, dub. 1, § 2.

que gratiae genus instituatur ratione *entitativae* atque *intrinsecae* dignitatis, absque ullo dubio gratia gratum faciens valde praestat omnibus gratiis gratis datis. Sit itaque:

CONCLUSIO

Gratia gratum faciens est excellentior gratia gratis data.

Probatur. — 1° *Ex doctrina Apostoli*, qui postquam de gratiis gratis datis locutus est, ad caritatis excellentiam celebrandam transit, de qua statim dicit: « *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* » (1). Subinde caritatem gratiis gratis datis praevalere demonstrat, praesertim triplici ratione:

a) Ratione *necessitatis;* nam omnia alia charismata nihil prosunt ei qui caritate careat (2).

b) Ratione *influxus*, quem ea exercet in alias virtutes, quarum est veluti *radix* et fundamentum (3).

c) Ratione *aeternae* eius *durationis;* dum enim *prophetiae evacuabuntur, et linguae cessabunt et scientia destruetur; caritas nunquam excidit* (4). Hinc concludit: « *Sectamini caritatem* ».

Iamvero caritas pertinet ad gratiam gratum facientem et licet ex sententia S. Thomae, non sit ipsa gratia habitualis, tamen ab hac necessario emanat, et cum hac indissolubiliter coniungitur.

2° *Ex ratione.* — Gratia *gratum faciens*, cum ad altius bonum ordinet hominem, est *gratiis gratis datis excellentior*. Excellentia enim mediorum, quae ad eundem finem

(1) I *Cor.* XII, 31: Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.
(2) Cf. ibid., c. XIII, v. 1-3.
(3) Ibid., v. 4-7.
(4) Ib. XIV, v. 1. Διώκετε τὴν ἀγάπην.

ordinantur, dependet ex intimiori atque proximiori relatione, quam ea habent ad finem. Atqui gratia gratum faciens proximius coniungitur cum fine, quam gratia gratis data; finis enim utriusque gratiae est hominis sanctificatio, per quam ipse Deo fini supernaturali adhaeret: Iamvero, gratia gratum faciens perficit *formaliter* ipsam sanctificationem, gratia vero gratis data solummodo *extrinsece* ad eam disponit et praeparat. Ergo. — Aliis verbis: gratia gratum faciens ordinatur ad immediatam coniunctionem ipsius subiecti recipientis cum Deo; gratia autem gratis data inservit remote ad coniunctionem illam causandam in alio; hinc gratia gratis data ordinatur ad gratiam gratum facientem, tamquam medium ad finem (1).

---

(1) Hoc art.

PARS II.

De Causa et dispensatione gratiae.

Peractis quae ad necessitatem, naturam et divisionem gratiae pertinent, inquirendum nunc est de ipsius gratiae *causa,* et de ratione qua causa principalis eam hominibus distribuit. Hinc duplici quaestione haec pars absolvitur; quarum prior de causa gratiae, altera de huius oeconomia, seu dispensatione agit.

QUAESTIO I.

De Causa gratiae.

Quaestio respicit generatim gratiam *gratum facientem; primario* quidem gratiam *habitualem,* secundario autem *actualem*, prout haec est motus ad illam tamquam ad terminum. Quinque itaque articulis agit S. Thomas tum de causa gratiam principaliter efficiente (a. 1); tum de causa *dispositiva* (2-5), quae partim ad efficientem (secundariam); partim ad causam materialem *in qua*, seu *subiectivam* reducitur. — De hac altera inquiritur, num sit necessaria dispositio ad gratiam ex parte recipientis (a. 2); quinam sit influxus dispositionis subiectivae quoad gratiam causandam, tum *simpliciter* (a. 3); tum in ordine ad quantitatem gratiae (a. 4); tum demum de causa gratiae secundum *cognitionem,* num scilicet gratia habitualis praesentia sua causet in subiecto sui cognitionem (a. 5). — Cum tamen quaestio circa dispositionem ad gratiam *actualem* iam in prima parte preoccupata fuerit (pag. 118 seqq.); et de necessitate et in fluxu causativo *dispositionis* in adultis ad gratiam habitualem recipiendam, agendum directe sit in tertia parte, ubi

sermo erit de iis quae praerequiruntur ad iustificationem peccatoris adulti, hic *tria* tantum inquirimus:

1° Num solus Deus sit causa efficiens gratiae (a. 1).

2° Num gratia habitualis in omnibus eadem mensura causetur (a. 4).

3° Num et quomodo quis cognoscere possit gratiam in se esse causatam, seu *se habere* gratiam habitualem (a. 5).

Articulus I.

Utrum solus Deus sit causa gratiae.

Praenotanda. — 1° Causarum genera quatuor sunt: *efficiens, finalis, materialis* et *formalis.* Ad has quatuor fundamentales reduci facile possunt ceterae omnes quae distinctis nominibus exhibentur causae, omnesque vires et entitates quae ad effectum constituendum vel producendum quomodocumque influunt. Sic causa quae dicitur *exemplaris*, et causa *instrumentalis* atque *ministerialis* ad causam *efficientem* reducuntur. Illa veluti *directiva* actionis causae physicae principalis; hae ut *applicantes* diverso modo virtutem agentis a quo moventur, vel cuius nomine atque potestate agunt.

Item, causa *meritoria* ad causam *efficientem moralem* reducitur.

2° Iam vero: *causa finalis proxima* gratiae est vita aeterna eius, cui illa conceditur; *ulterior* est gloria Christi Redemptoris; *ultima et absoluta* est gloria Dei. « Iustificationis causae (ait Conc. Trid.) sunt, *finalis* quidem, gloria Dei, et Christi, ac vita aeterna » (1).

Causa materialis in qua, seu subiectum, est animae essentia. Nulla autem esse potest causa materialis *ex qua* gratia vel componatur, vel *naturaliter* educatur, cum ea sit

(1) Sess. VI, cap. 7.

forma simplex et supernaturalis. — Infra dicetur quo sensu gratia educi dicatur de potentia obedientiali animae (1).

Causa formalis nulla est, cum gratia sit forma simplex, et ipsa sit « causa *formalis unica* nostrae iustificationis » (2).

Causa exemplaris primavia est *Deus;* cum gratia sit participatio divinae naturae prout est in seipsa: *secundaria* est *Christus*: « *Nam* (ut ait Apostolus) *quos* (Deus) *praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* » (3). Et equidem; primum in unoquoque genere est ceterorum *exemplar;* Christus autem est primus iustorum ex cuius meritis alii gratiam recipiunt: « *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus; et gratia pro gratia* » (4).

Causa meritoria est « Dominus noster J. C., qui cum essemus inimici propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit » (5).

Causa instrumentalis ipsa humanitas Christi, et Sacramenta, in primis Baptisma: « Instrumentalis item sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit iustificatio » (6).

Causa ministerialis sunt homines (et praesertim qui ad sacerdotale ministerium assumuntur) instruendo ed applicando signa efficacia gratiae, idest Sacramenta (7).

---

(1) Ad causam *materialem* reductive trahi possunt etiam *dispositiones,* quae ante iustificationem in adultis requiruntur de quibus loquitur Conc. Trid., Sess. VI, c. 6. — Licet hae dispositiones *extra Sacramenti Poenitentiae* susceptionem reduci possint ad causam efficientem *praeparatoriam* subiecti.

(2) Conc. Trid., ibid., c. 7.

(3) *Rom.*, VIII, 29.

(4) Ioa. I. 16.

(5) Conc. Trid., l. c.

(6) Ibid.

(7) Etiam Angeli quandoque « *in ministerium mittuntur propter eos qui haereditatem capient salutis* ». Heb. I, 14.

3° His praesuppositis, quaestio nostra versatur circa causam *efficientem*, seu physice productivam gratiae, et quidem circa causam *principalem*.

Et Deum quidem esse auctorem gratiae nemo negat et fide, ex Trid. declaratione, constat: « Causa efficiens (iustificationis per gratiam) est misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae » (1). Sed ulterius quaeritur, num gratiae productio ita uni Deo competat, ut nulli creaturae facultas eam *principaliter* efficiendi communicari possit.

4° Sunt itaque, qui putant humanitati Christi ex intima coniunctione cum Verbo divinam quandam vivificatricem virtutem illabi, qua ea efficiatur causa physica principalis (licet Deo subordinata) sanctificationis (2). Hi cohaerenter docent non repugnare elevationem creaturae ad dignitatem causae physicae principalis gratiae. — At vero S. Thomae sententia hanc communicabilitatem negans ab omnibus fere theologis iure defenditur. Sit itaque:

CONCLUSIO

Causa efficiens principalis gratiae est solus Deus; nec ulla creatura assumi potest ut causa physica principalis gratiae sanctificantis.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae ita Deo efficientiam gratiae tribuit ut quemlibet alium excludat. « *Unus* (ait Apostolus) *est Deus, qui iustificat circumcisionem* (Judaeos circumcisos) *ex fide, et praeputium* (infideles) *per fidem* » (3). Et Deus ipse ait: « *Ego sum, ego sum ipse* (idest

(1) Conc. Trid., ibid. - Cf. VEGA, *Iustific.*, l, 7, c. 1.

(2) MEDINA, 3 p., q. 13, dub. ult. - Cf. et SUAREZ, *De Incarn.* disp. 30, sect. 4.

(3) *Rom.*, III, 30.

ego solus sum) *qui deleo iniquitates* » (1). Hinc et Judaei, quasi scandalum passi, ex eo quod Christus paralytico peccata remitteret, inquiunt: « *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* » (2). Itaque iustificatio impii et remissio peccatorum (quae formaliter includunt collationem gratiae habitualis, ut infra in p. III contra Reformatores probabitur) sunt opera unius Dei adeo propria, ut ex his divinitas operantis argui necessario debeat. Ergo nulli creaturae competere potest facultas iustificandi, et gratiam principaliter efficiendi (3).

2° *Ex Patribus*, ii omnes merito afferri possunt, qui divinitatem Verbi et praesertim Spiritus S. contra Anomaeos et Macedonianos probant ex eo quod ambae Personae in S. Scriptura tamquam effectrices sanctificationis et deificationis, quae per gratiam habetur, asseruntur: « Si Spiritus Sancti participatione (scribit Athanasius) efficimur divinae naturae consortes, insanus sane esset, qui diceret Spiritum ad creatam naturam, non ad divinam pertinere. Propter hoc enim in homines venit, et per ipsum deificantur. Si vero deificat haud ambiguum est naturam eius Dei naturam esse » (4). Et Greg. Nazian.: « Si non Deus est Spiritus Sanctus, deificetur (θεωτήτω) prius, et ita deificet me eiusdem honoris participem » (5). Et explicitius Cyrillus Alex.: « *Nunquam* (subdit) *concipietur creatura deifica; verum id soli Deo tribuendum est* » (6).

---

(1) Isaias, XLIII, 25. - Cf. Maldonatum, in h. l.

(2) Luc., V, 21

(3) Adferri solet etiam illud Iob, XIV. 4: « *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* » Verum textus hebraicus alium sensum exprimere potest. Sic enim litteraliter vertitur: « *Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem* »; id est nemo mundum efficere potest eum, qui de immunda stirpe natus est. - (Cf. Knabenbauer, in h. l.).

(4) *Ep. ad Serap.*, n. 24, PG. 26, 545.

(5) Or. 34, PG. 36, 251.

(6) *De Trin.*, I, c. 4. Cf. Scheeben, op. c., n. 678 sqq. - Hoc eodem argumento utitur S. Thomas, C. G, l. 4, c. 17.

3° *Ex Ratione. a*) Fundamentalis ratio desumitur ex *essentia* ipsius gratiae, quae excedit omnem facultatem naturae creatae. — Causa enim principalis ea est, quae, licet cum dependentia a concursu divino, effectum producit per proprietatem et activitatem suae naturae intrinsecam et ab ipsa natura emanantem. Atqui gratia nulli creaturae esse potest connaturalis proprietas. Ergo nulla creatura concipi potest causa efficiens principalis gratiae (1).

b) Hoc idem alio modo proponi potest: In causa principali *maiorem* vel saltem aequalem perfectionem praecontineri necesse est, ac ea quae effectui communicatur. Atqui nulla creatura aequare potest perfectionem gratiae habitualis; cum haec sit participatio quaedam divinae naturae, *ut in se est*, et quaedam deificatio. Ergo nulla creatura principaliter gratiam producere potest (2).

Hae rationes, quas exhibet S. Thomas, primo quidem et directe probant nullam creaturam per virtutem sibi connaturalem gratiam efficere posse: attamen ex his legitime etiam arguitur sanctificationem physice effici non posse a creatura per *qualitatem* eidem *superadditam*. Haec namque qualitas gratiae productiva, vel alia foret a gratia, vel esset

---

(1) Egregie S. Thom. hanc rationem exponit *De Verit.*, q. 27, a. 3; « Prima (ratio) sumitur ex conditione ipsius gratiae. Gratia enim est quaedam perfectio elevans animam ad quoddam esse supernaturale: nullus autem effectus supernaturalis potest esse ab aliqua creatura, duplici ratione. Primo quidem, quia eius solius est rem ultra statum naturae promovere, cuius est gradus naturae statuere et limitare; quod solius Dei esse constat. Secundo quia nulla virtus creata agit nisi praesupposita potentia materiae, vel alicuius loco materiae; potentia autem naturalis creaturae non se extendit ultra perfectiones naturales; unde nullam supernaturalem operationem aliqua creatura efficere potest; et inde est quod miracula sola divina virtute agente fiunt, quamvis ad miraculi effectionem aliqua creatura cooperetur vel orando, vel qualitercumque aliter ministerium adhibendo. Et propter hoc nulla creatura effective gratiam causare potest ».

(2) Hoc art.

ipsa gratia. Iamvero principium activum gratiae nequit esse qualitas a gratia distincta, cum nulla concipi possit qualitas aequans entitativam gratiae perfectionem. Neque ipsa gratia dici potest principium productivum alterius gratiae *in alio subiecto;* quia gratia habitualis non est *immediate* activa, sed agit per *virtutes*, quae sunt velut illius potentiae operativae; actus autem virtutum et habituum sunt *immanentes* et hinc effectus extra-subiectivos producere nequeunt (1).

c) *Ex fine gratiae,* qui est *immediata coniunctio* (in actu primo) *ultimo fini.* Gratia sane est *in eodem genere* ac gloria, quae est illius perfectio et consummatio; *lumen* enim gloriae actuat, seu complet in *actu secundo* capacitatem videndi Deum ut in se est, quam gratia confert in *actu primo.* Atqui nulla creatura ut *principalis causa luminis gloriae* assumi potest, quia nulla creatura concipitur capax manifestandi *immediate* intellectui finito ipsam essentiam Dei (2).

d) *Ex modo, quo gratia producitur.* Gratia enim vero non aliter produci concipitur (ut mox distinctius dicemus) quam vel per *creationem*, vel per *eductionem de potentia obedientiali* animae rationalis. Atqui neutro modo aliquid effici potest a creatura, tamquam a causa principali. Ergo.

Prob. min. Creandi actus ita Dei solius est, ut creatura neque *instrumentaliter* ad illum *physice* concurrere possit. - Item aliquid producere per eductionem a *potentia obedientiali* creaturae, uni Deo convenit. Obedientia enim heic praecise intelligitur *respectus* entis creati ad *potentiam infinitam;* seu est ipsa entitas creata, quatenus subditur absoluto dominio Dei, quoad ea omnia quae non implicant contradictionem. Potentia autem, quae ad illud quod *possibile* est se

---

(1) Cf. Gotti, l. c., q. 3, dub. 7.
(2) *De Verit.*, l. c.

extendit, *infinita* ponitur; hinc nulli creaturae communicari ea potest (1).

Obiectiones. — 1° Christus est auctor gratiae iuxta illud: « *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* » (2). Atqui nomine Christi intelligitur non solum Persona assumens, sed etiam natura creata assumpta. Ergo non repugnat creaturam effici causam gratiae.

Resp.: Dist. Mai.: Gratia a Christo facta est *principaliter* prout erat persona divina, *Conc.;* prout assumitur secundum naturam humanam, *Subdist.:* facta est *instrumentaliter*, prout humana natura erat organum cuniunctum divinitati, *Conc.*; ut a causa principaliter efficiente: *Nego.*

Contrad. min.: Ita tamen ut una eademque persona divina operationes divinitatis per divinam naturam, et opetiones humanitatis per naturam creatam *distinctim* et *inconfuse* efficeret, *Conc.;* quasi ob unionem hypostaticam operationes divinae naturae communicatae fuerint humanitati, *Nego.* etc. (3).

2° Atqui creatura etiam virtute propria, seu ut causa principalis, licet subordinata, causat gratiam. Ergo. - Qui enim virtute propria causat ultimam dispositionem ad formam, eo ipso formam producere dicendus est. Atqui homo ut principalis agens producere potest ultimas dispositiones ad gratiam habitualem, scilicet actus contritionis, et caritatis *perfectae.* Ergo.

Resp.: Dist. Mai.: Si forma sit connaturalis agenti et dispositionibus ab eo productis, *Conc.;* si sit supra naturalem eius potentiam, et citra proportionem dispositionum, *Nego.* etc. — Ad *rationem allatam resp.: Actus* contritionis

---

(1) Cf. ibid.

(2) Ioa., I, 17.

(3) Hic ad 1. Idem dicendum est proportionaliter de causalitate Sacramentorum, quae instrumentaliter tantum producunt gratiam per virtutem Spiritus S. principaliter agentis (hic ad 2).

et caritats perfectae, qui a iustificando fiunt sub influxu gratiae actualis, esse quidem *conditiones* quibus ex *promissione* Dei debetur gratiae habitualis infusio, sed non sunt dispositiones connaturaliter proportionatae ad ipsam formam iustificationis, imo neque sunt meritoriae de *condigno* ipsius iustificationis: « Quia (ut docet Conc. Trid.) nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur » (1).

Scholion. — *De modo quo gratia a Deo producitur.* — Cum gratia habitualis sit qualitas simplex supernaturalis, et hinc neque habeat propriam causam materialem *ex qua,* nec aliunde sit forma *subsistens,* inquiri solet per quamnam specificam actionem a Deo producatur. Res autem aliqua a Deo fit, vel per creationem ex nullo praesupposito subiecto; vel per transmutationem subiecti praeexsistentis secundum *novum essendi modum.* Itaque plures theologi quam maxime solliciti de *spiritualitate* atque *supernaturalitate* gratiae, hanc per veram *creationem* absque ulla intrinseca dependentia ab anima tamquam a causa quasi materiali vel subiectiva fieri affirmant (2).

Alii e contra magis attendentes ad rationem accidentalem ipsius gratiae negant hanc proprio sensu creari, sed asserunt eam educi de potentia *obedientiali* animae, seu subiecti cui inhaeret; hoc est fieri cum aliqua dependentia

(1) Sess. VI, c. 8.

(2) Ita loquitur S. BONAVENTURA, II, dist. 26 a. 1, q. 4. - CAPREOLUS, IV sent., dist. 1, q. 1 a. 3. - SOTO, ibid. dist. I, q. 3, a. 1 aliique plures quorum nomina recenset SUAREZIUS *De gr.*, l. 8, c. 2. — Hi omnes insistunt etiam his S. Scripturae testimoniis in quibus iustificatio per gratiam veluti *creatio* quaedam exhibetur. Sic Apostolus ait: « *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura* (καινὴ κτίσις) ». *Gal.*, VI, 15. Cf. *Eph.*, II, 10, *Psal.* L. 12, etc. — Verum haec testimonia obvio sensu de productione intelligi possunt, quae sit creationi *analogica* tantum, eo quod gratia ex nullis meritis praecedentibus nobis infundatur.

a subiecto, et per huius mutationem in novum esse accidentale. — Licet dissensio sit fere quoad modum loquendi, omnes enim generatim conveniunt in eo ut hinc dependentiam gratiae ab anima tamquam a subiecto *connaturali* excludant, inde autem eam animae *accidentaliter* inhaerere concedant; tamen sententia negans gratiam creari, quam diserte docet S. Thomas, a plerisque theologis iure merito ut verior defenditur (1). Et sane quidem:

1° Gratiam non vere creari solide arguitur: *a*) Ex ipsa natura gratiae habitualis, quae cum sit essentialiter accidens, idest non *per se subsistat*, sed habeat esse in subiecto cui inhaeret, nequit esse terminus directus et distinctus actus creativi, per quem res actu ponitur in suo esse completa et subsistens. Ad rem S. Thomas: « Accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est; unde et magis dicitur *entis*, quam ens. Et quia eius est fieri vel corrumpi, cuius est esse; ideo proprie loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur; sed dicitur fieri, vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens » (2).

b) *Ex conceptu actus creativi*. - Id enim creari dicitur, cuius effectio ita ab uno Deo est, ut a nullo alio pendeat in quovis causae genere. Atqui gratiae productio in genere causae materialis dependet a subiecto, sine quo gratia

---

(1) Cf. S. Thom. I, II, q. 110, a. 2 ad 3. *De Verit.*, q. 27, a. 3 ad 9. *De Pot.*, q. 3, a. 8 ad 3, etc. — Mens Angelici evidenter etiam apparet ex comparatione, quam ipse instituit (I, II, q. 113 a. 9) inter opus creationis et iustificationis, concludens creationem quoad *modum agendi*. esse opus maius iustificatione, quia creatio fit ex nullo praeexsistente subiecto. — Item notum est ab Aquinate negari cuilibet creaturae concursum *instrumentalem* ad creationis opus. At vero saepe docet humanitatem Christi et Sacramenta esse causas physicas instrumentales iustificationis. (Cf. h. a. ad 1 et 2). - Cf. Suarez, l. c. - Gotti, q. 3, dub. 8.

(2) I, II, 110 a. 2 ad 3.

exsistere et fieri, saltem connaturaliter, nequit. Ergo gratia non proprie creatur. Iterum Angelicus: « Creari proprie est rei subsistentis, cuius est proprie esse et fieri; formae autem non subsistentes sive substantiales, sive accidentales non proprie creantur, sed *concreantur,* sicut nec esse habent per se, sed in alio; et quamvis non habeant materiam *ex qua,* quae sit pars eorum, habent tamen materiam *in qua*, a qua dependent et per cuius mutationem in esse educuntur; ut sic earum fieri sit proprie subiecta earum transmutari » (1).

2° Si igitur gratia non creatur, dicendum est eam educi de potentia *obedientiali* animae. Id enim educi dicitur de potentia subiecti, quod dependenter ab eo et per eiusdem mutationem fit. Atqui gratia efficitur per transmutationem animae in *novum essendi modum*. Ergo aliquo sensu de eius potentia educitur; hoc est fit per actionem, qua radicalis animae capacitas ad hunc novum essendi modum in actum reducitur. Si enim haec radicalis potentia passiva, seu capacitas recipiendae formae supernaturalis, in anima non foret (prout non invenitur in creatura irrationali), nunquam ea fieri posset *subiectum* gratiae. Cum tamen *novum esse* per gratiam in anima inductum *supernaturale* sit, manifestum est ipsum educi non posse de potentia *naturali* animae; seu, aliis verbis, evidens est *radicalem capacitatem* animae ad recipiendam gratiam non posse in actum reduci per actionem agentis finiti, seu *naturalis*. Ergo concludendum est, gratiam educi de potentia *obedientiali*

---

(1) *De Verit.*, q. 27, a. 3, ad 9. - Adverte tamen gratiam neque stricte loquendo *concreari*. Illud enim concreari dicitur, quod producitur eadem ratione creativa ac subiectum, quodque a subiecto emanat per naturalem resultantiam. Sic v. gr. una cum anima concreantur potentiae intellectiva et volitiva. At vero gratia cum sit accidens *indebitum* et supernaturale nequit produci per eandem actionem, qua anima creatur.

animae, hoc est de illa *radicali* capacitate, quae in actum reduci nequit ab alio, quam ab agente infinito. Ad rem et profunde S. Thomas: « In tota creatura est quaedam obedientialis potentia, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit. Sic igitur et in anima est aliquid in potentia, quod natum est reduci in actum ab agente *connaturali;* et hoc modo sunt in potentia in ipsa virtutes acquisitae. Alio modo aliquid est in potentia in anima, quod non est natum educi in actum, nisi per virtutem divinam: et sic sunt in potentia in anima virtutes infusae (omnes formae supernaturales) » (1).

3° Attamen cum actio per quam fit gratia excedat potestatem et modum operandi agentis finiti, concedi debet eam aliqualiter participare rationem creationis. Hinc aliquo sensu latiori, gratia dici potest, ut iam innuimus, *creari* vel *concreari.* Hoc ipsum explicite advertit Angelicus: « Gratia cum non sit forma subsistens, nec esse, nec fieri ei proprie per se competit: unde non proprie creatur... Infusio tamen gratiae *accedit ad rationem creationis* in quantum gratia non habet causam in subiecto nec efficientem, nec talem materiam in qua sit hoc modo in potentia quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus » (2).

---

(1) *De Virtutibus*, q. Un. a. 10, ad 13. — Ex hoc apparet potentiam obedientialem nec esse *simpliciter naturalem*, neque *simpliciter supernaturalem;* sed esse *secundum quid naturalem*, quatenus nempe est *radicaliter* innata in natura animae rationalis; esse autem supernaturalem in quantum includit respectum formalem ad potentiam activam essentialiter supernaturalem et divinam.

(2) *De Pot.*, q. 3, a. 8, ad 3.

Articulus II.

Utrum gratia sit maior in uno, quam in alio (1).

Praenotanda. — 1° Nemo dubitat gratiam habitualem *specifice* consideratam, idest ex parte *obiecti* et *finis,* eandem semper esse, nec augeri posse; cum enim ipsa secundum suam formalem rationem nos coniungat Summo Bono, nequit vel *obiectum excellentius* vel *nobiliorem* habere *finem.* Quaestio itaque fit de variis gratiae gradibus ex parte *subiecti*, seu ratione intensitatis, prout una eademque virtus potest in subiecto magis, vel minus intendi (2).

2. Reformatores ex sua theoria nominalistica iustificationis per imputationem iustitiae Christi fide apprehensam, concluserunt iustitiam seu gratiam esse in omnibus iustis aequalem (3). Hinc gratia nequit bonis operibus augeri; bona enim opera ad summum spectari possunt veluti iustificationis adeptae simplex indicium, quia sicut ad hanc consequendam nihil ea profuerunt, ita neque ad conserservandam, vel augendam conferunt. Licet autem posteriores protestantismi magistri concedant in diversis iustis virtutes inaequales esse posse, imo et in eodem subiecto augeri; iidem tamen semper negant iustificationis gratiam diverso recipi gradu, quia haec, ex eorum sententia, ele-

---

(1) S. Thom., art. 4.

(2) Hic, a. 4.

(3) Omnes Christiani (scribit Lutherus, *Serm. de Nativ. B. V.*) aeque magni sumus sicut Mater Dei, et aeque sancti ac ipsa. - Cf. Kenrick, *Dogm.*, vol. II, n. 391. Hunc ipsum errorem iam docuerat Jovinianus, saec. IV, ex principio stoicorum asserentium omnes virtutes pares esse. Hunc ample confutat Hieronym., *Adv. Iovin.*, II. PL, 23, 281 sqq.

mento tantum constat *negativo*, idest remissione peccatorum per imputatam iustitiam Redemptoris (1).

3° Doctrina catholica, quae iustificationem fieri docet per infusionem doni supernaturalis, cohaerenter admittit inaequalitatem *subiectivam* gratiae, et huius augmentum intensivum per bona opera ipsius iustificati.

CONCLUSIO

Non omnes iusti habent aequalem gratiam, sed homo iustificatus in iustitia accepta crescere potest.

Statuimus *dogma fidei* a Conc. Trid. in Sess. VI propositum et sancitum: « Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari atque etiam *augeri* coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: a. s. (2)

Insuper Concilium exponit modum, quo iusti in gratia et virtutibus crescere possunt: « Sic ergo iustificati et amici Dei ac domestici facti, euntes de *virtute in virtutem* (Psal. LXXXIII, 8), *renovantur,* ut Apostolus inquit, *de die in diem* (II *Cor*. IV, 16), hoc est, mortificando membra carnis suae, et exhibendo ea arma iustitiae in sanctificationem per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, *crescunt atque magis iustificantur,* sicut scriptum est: *Qui iustus est iustificetur adhuc* (Apoc. XXII, 11). Et iterum:

---

(1) Cf. Kemnitium, *Exam. Conc. Trid.*, c. 16. - Cf. etiam Bellarm., *De Iustific.*, l. 4, c. 16. - Moehler, *Symb.*, § 22. - Klee, *Hist. Dogm.*, par. II, c. 7.

(2) Sess. VI, can. 24. In cap. autem 7 docet nos non modo reputari, sed vere iustos nominari et esse « iustitiam in nobis recipientes unumquemque suam secundum mensuram quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem »,

Ne verearis usque ad mortem iustificari (Eccl. XVIII, 22). Et rursus: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum* (Jac. II, 24). Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum » (1).

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura,* quae explicite tradit non omnibus iustis dari gratiam in eadem mensura et quemlibet iustum posse in iustitia et sanctitate crescere. Praeter testimonia a Trid. allata, classicum est illud Apostoli: « *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram* (κατὰ τὸ μέτρον) *donationis Christi* » (2). Quod enim *mensurate datur* et secundam liberam voluntatem Christi, non semper eadem mensura datur. Ad hoc augmentum fideles excitat Petrus: « *Crescite in gratia et in cognitione D. N. Salvatoris J. C.* » (3). Hóc ipsum insinuat *parabola talentorum* (4); et legitime arguitur ex conceptu biblico gratiae et iustificationis, quarum illa exhibetur veluti *semen* divinitatis, quod evolvi et crescere potest ac postulat; ista vero tamquam *regeneratio* in vitam supernaturalem in qua iusti ut parvuli crescere debent in virum perfectum (5). Hinc demum illud Proverbiorum: « *Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* » (6).

2° *Ex Patribus,* qui omnes ad augendam caritatem et gratiam per bona opera fideles hortantur (7). Sic Cyprianus: « Cum habitationes multas apud Patrem suum dicat (Christus, Joa. XIV, 3), melioris habitaculi hospitia demonstrat:

(1) Ibid., cap. 10.
(2) *Eph.*, IV, 7.
(3) II Petr., III, 18.
(4) Matth., XXV, 15 sqq.
(5) Cf. *Gal.* IV, 19; *Eph.*, IV, 18.
(6) *Prov.*, IV, 18.
(7) Cf. Valentia, disp. 8, q. 9, punct. 3, ubi Patrum hac in re doctrina ample exponitur.

habitacula ista meliora vos petitis (virgines) carnis desideria castrantes *maioris gratiae* praemia... obtinetis » (1). Hanc Ecclesiae doctrinam Augustinus haud semel testatur: « Non omnes (ait) in Ecclesia paria merita habent: sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores » (2). Et iterum: « Induti sunt Sancti iustitia alius *magis*, alius *minus*. » (3). Eandem acriter vindicat Hieronymus ostendens contra Iovinian. « *Non aeque Deum omnes inhabitare, nec ad eandem mensuram omnibus diffundi* » (4).

3° *Ex ratione*. Subiectivi augmenti capacitas consequitur plane naturam et conditionem gratiae habitualis, quae inest subiecto tamquam forma *accidentalis* et habitus. Est enim de natura formae accidentalis et habitus ut sit maioris vel minoris intensitatis capax iuxta capacitatem subiecti. Huius autem inaequalitatis *duae* sunt radices: *a*) Proxima, est *dispositio* subiecti, quae varia esse potest. « Tantum enim (ait Hieronymus) gratiae eius (nobis) infunditur, quantum valemus haurire » (5).

b) Prima autem causa est liberum Dei arbitrium, qui prout vult sua dona distribuit. « Prima huius diversitatis causa (ait S. Thomas) accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulcritudo et perfectio Ecclesiae consurgat, sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum » (6).

Scholia. — 1° Incrementum gratiae et virtutum per bona opera non solum est extrinsecum et extensivum ita ut habitus ad plures actus remote vel proxime extendatur,

(1) *De habitu Virginum*, n. 23, PL. 4, 463.
(2) *Tract. in Ioa.*, n. 8, PL, 35, 1428.
(3) *Epist.* 167 *ad Hieronym.*, c. 3, n. 13. PL. 33. 738.
(4) *Adv. Jovin.*, l. c., n. 29.
(5) *Adv. Iov.*, l. c., n. 23, PL, 23, 321.
(6) Hic.

sed est *intrinsecum* ita ut ipse habitus *intensior* fiat et subiectum magis ordinet ad summum bonum perfectius participandum (1). Aucta autem gratia etiam virtutes infusae augentur.

2° Gratia vero habitualis nequit in eodem subiecto *imminui;* neque *directe*, quia in se est forma simplex incorruptibilis, neque *indirecte* seu per *modum poenae* ob peccatum veniale, quia culpa venialis non meretur tantam poenam, quae est in diminutione caritatis et gratiae; « qui enim (arguit Angelicus) inordinate se habet circa ea quae sunt ad finem (ut est peccans venialiter) non meretur detrimentum pati in caritate, per quam ordinatur ad ultimum finem » (2).

Objectiones. — 1° Gratia causatur ex dilectione divina. Atqui aequalis est Deo cura et dilectio de omnibus (Sap. VI, 8). Ergo gratia, quae est dilectionis divinae effectus, aequalis est in omnibus.

Resp. Dist. Mai.: Causatur a dilectione divina *necessario* operante, *Nego; libera, Conc. - Contrad. min...* aequalis amor est Deo de omnibus quoad *actum immanentem, Conc.:* quoad *effectum, Subd.:* iisdem dispositionibus eademque capacitate in subiecto exsistentibus, *Conc.;* si diversae sint subiecti dispositiones, et diversa capacitas (quae tamen etiam a libera Dei dispensatione dependent), *Nego* (3).

2° Atqui gratia nequit differre iuxta capacitatem su-

(1) Hic ad 2.

(2) II, II, q. 24 a. 10. Addit tamen Angelicus: « Quod potest indirecte dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius, quae fit per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis ». Per peccata enim venialia (ut ipse Aquinas docet) « retardatur affectus hominis ne prompte in Deum feratur » (III. q. 87, a. 1). Hinc licet peccatum veniale non contrarietur caritati « *quantum ad habitum, contrariatur tamen ei quantum ad fervorem actus* » III, q. 79 a. 4 ad 1.

(3) Hic ad 1.

biecti quia est essentia quaedam *simplex, indivisibilis,* et *perfectissima.* Ergo.

Resp. Dist. min.: Quod est natura sua simplex etc., nequit recipere augmentum *entitativum* seu *specificum, Conc. intensivum, Nego* etc. (1).

3° Atqui neque *intensive* gratia in subiecto diversa esse potest. Gratia enim est vita supernaturalis animae. Atqui vita est incapax maioris vel minoris intensitatis. Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Est vita animae *accidentalis, Conc.: substantialis, Nego,* etc. (2).

Articulus III.

Utrum homo possit scire se habere gratiam (3).

Praenotanda. — 1° *Variae cognitionis nostrae species.* Tripliciter (ait S. Thomas) aliquid cognosci potest: *a*) per *divinam relevationem,* hoc est *supernaturaliter;* et hoc modo certo cognoverunt se habere gratiam B. M. Virgo dum salutabatur ab Angelo: *Ave gratia plena;* item paralyticus (Math. IX, 5) et Maria Magdalena (Luc. VII, 48), quibus ipse Redemptor peccata dimitti affirmavit.

b) *Per seipsum certitudinaliter,* hoc est cognitione certa naturaliter comparata, ut v. gr. dum aliqua conclusio nobis innotescit per demonstrationem ex principiis per se evidentibus; vel cum ex *directa* conscientiae aut sensuum attestatione, facta sive interna sive externa quae sint propria obiecta harum facultatum attingimus; vel demum cum ex testimonio humano omni exceptione superiori et debitis conditionibus fulcito, rei alicuius exsistentiam apprehendimus.

(1) Hic ad 3.
(2) Hic ad 3.
(3) S. Thom. a. 5.

c) *Coniecturaliter*, cum aliquam causam, vel factum arguimus ex quibusdam signis, vel indiciis quae omnem timorem de opposito, seu formidinem errandi non excludunt. Inquirimus itaque num et quanam cognitionis specie iustus scire possit se habere gratiam sanctificantem.

2° *Error Reformatorum circa auto-subiectivam cognitionem gratiae.* - Lutherus, quem Calvinus aliique sectarii saec. XVI secuti sunt, cum formalem iustificationem posuerit in imputatione iustitiae Christi, quam nobis applicamus per fidem, *qua credimus peccata nobis remitti*, cohaerenter docuit: hominem *certa fide* cognoscere posse sibi peccata esse remissa; quin imo hanc certissimam fidem esse necessariam ad ipsam iustificationem, tamquam medium sine quo applicari nequit iustitia Christi (1).

---

(1) Inter Lutheri theses iam ann. 1518 evulgatas haec inveniuntur: « Usque ad infidelitatem errant, qui remissionem culpae incertam asserunt propter incertitudinem contritionis » (thes. 14): « Quantumlibet incertus sit tam sacerdos, quam peccator de contritione, rata est absolutio, si credit se absolutum » (th. 15). « Certum est ergo remissa esse peccata, si credit remissa; quia certa est Christi Salvatoris promissio » (th. 16). Etiam Melanchthon scribit: « Certissima sententia est oportere nos certissimos semper esse de remissione peccati, de benevolentia Dei erga nos qui iustificati sumus. Et norunt quidem fide sancti, certissime se esse in gratia, sibi condonata esse peccata: non enim fallit Deus, qui pollicitus est se condonaturum peccata credentibus, *tametsi incerti sint, an perseveraturi sint* ». *De locis theol.*, p. 92. - Cf. MOEHLER, *Symbol.*, § 20. — Idem docet Calvinus; qui imo, plene evolvens principium fundamentale Lutheri *fidei iustificantis*, omnino logice deduxit nos certos esse oportere non solum nostrae iustificationis, sed etiam nostrae salutis, seu praedestinationis. « In summa (ait) vere fidelis non est... nisi qui divinae erga se benevolentiae promissionibus fretus, *indubitatam* salutis *expectationem* praesumit... Fidelis (inquam) non est, nisi qui suae salutis securitati innixus diabolo et morti confidenter insultet, etc. ». *Inst.*, III, c. 2, n. 16. Addendum tamen est non semel hos sectarios inanem hanc persuasionem, qua facilis via sternitur ad omnia flagitia, sibi contradicentes repudiasse. Sic ipse Calvinus, l. c., n. 17 inquirens quomodo cohaereat cum illa certitudine salutis quam docuit, trepidatio, terror, ac vehemens ten-

3° *Doctrina catholica.* Concilium Trid. directe hunc errorem proscripsit, excludens non solum *necessitatem* certitudinis *fidei* de obtenta remissione peccatorum, sed etiam eius *possibilitatem*, citra specialem revelationem. « Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam *necessarium esse,* ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa, a. s.» (1). Antea autem docuerat: « Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentornm efficacia *dubitare debet;* sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia *formidare* et *timere potest;* cum nullus scire valeat *certitudine fidei*, cui non *potest subesse falsum*, se gratiam Dei esse consecutum » (2).

4° *Singularis opinio Catharini.* Per hanc Concilii doctrinam excludi quidem certitudinem fidei *catholicae* de adepta gratia, et praesertim huius fidei *necessitatem,* quam docuit Lutherus, ad iustificationem assequendam, concedit Ambrosins Catharinus; sed tamen censet non negari *possibilitatem* certitudinis fidei *divinae*, seu theologicae (3). Hinc ratus est nos posse certo, fide theologica, cognoscere statum nostrae iustitiae ex legitima conclusione, cuius una

---

tatio quibus fideles *interdum quatefiunt* subdit: « Nos certe, dum fidem docemus debere esse certam ac securam, non *certitudinem aliquam* imaginamur quae nulla tangatur *dubitatione,* nec securitatem, quae nulla sollicitudine impetatur; quin potius dicimus perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia; tantum abest, ut eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quae nullis omnino turbis interpelletur ».

(1) Sess. VI, can. 13.

(2) Ibid., cap. 9.

(3) « Soli fidei catholicae (ait Catharinus) convenit ut ei falsum subesse nequeat, quoniam est de obiecto probato ab Ecclesia: fidei autem divinae particulari falsum subesse potest, quoniam est de obiecto non probato ab Ecclesia ». (Interpr. noni Capitis synodalis *De Iustific.*) – Cf. circa hanc distinctionem BELLARMINUM, *De Iustific.*, l. 3, c. 3.

praemissa sit principium fidei, altera vero exhibeat factum *internum* per conscientiam directe apprehensum (1).

Haec sententia tamquam singularis, atque adeo erronea, a theologis iure impugnatur (2); quorum plerique cum S. Thoma ac S. Bonaventura (3) non aliam hac in re cognitionem admittunt, quam *coniecturalem*, quae nunquam omne dubium removeat (4). Quidam tamen hanc intimam persuasionem interdum evehi posse affirmant ad gradum *certitudinis moralis*, quae *actum* quidem dubii excludat, non autem auferat dubitandi potentiam (5).

CONCLUSIO

Nullus viator scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum, vel etiam certitudine absoluta aliunde comparata, quam ex speciali revelatione, se gratiam Dei esse consecutum. Potest tamen iustus ex effectibus sive signis quibusdam coniecturalem de hac re notitiam habere, quae quandoque certitudinem moralem late sumptam, seu non excludentem potentiam dubitandi, gignere valeat.

I. Probatur prima pars: qua statuimus doctrinam fidei a Trid. definitam; neminem, nisi ex speciali revela-

---

(1) Cf. *Interpr. noni cap. synod.* et *Expurg. adversus Apologiam* Soti. - Cf. tamen Suarez, *De Iustific.*, l. 9, c. 9, n. 8, ubi mitius haec opinio Catharini exponitur. — Sunt praeterea, qui etsi certitudinem fidei divinae de qua loquitur Catharinus non admittant, censent tamen *infallibilem persuasionem* nos habere posse gratiae adeptae ex actu amoris Dei super omnia, quem a nobis elici certitudine *absoluta* scire possumus. - Cf. Gaucher, *Le signe infallible de l'état de grâce.* Parisiis, 1907, c. c. 3-4.

(2) Cf. Bellarm., l. c.

(3) I. Dist., 17, part. 1, q. 3.

(4) Cf. Medina, I, II q. 112 a. 5, concl. 5. - Gonet, disp. 5, a. 3, § 1. - Gotti, q. 3, dub. 9, § 4, qui cum plerisque thomistis quamlibet certitudinis speciem excludunt.

(5) Cf. Vega, qui docet iustos quandoque « posse esse certos certitudine humana experte omnis plane haesitationis ac formidin

tione certo scire posse *certitudine fidei, cui non potest subesse falsum,* se gratiam Dei habere.

1° *Ex S. Scriptura,* quae: *a*) omnibus generatim etiam *iustis* commendat *metum* de praeteritis delictis, etsi *propitiatis,* et *tremorem* in salute operanda. Sic Ecclesiasticus: « *De propitiato peccato noli esse sine metu* » (1). Et Apostolus: « *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* » (2).

b) Directe monet nescire nos num cor nostrum sit *mundum a peccato* (3); *et utrum amore, vel odio digni simus* (4).

---

suae iustificationis ». In *Conc. Trid.*. l. 9, c. 46. Attamen de sola certitudine morali excludente actum dubii hic et nunc, non autem *potentiam* dubitandi, ipse loqui videtur. - Cf. SUAREZ, l. c., cap. 11, n. 10. — Item Domin. DE SOTO, *Apologia adversus Catharinum*, cap. 2. - VALENTIA, disp. 8, q. 4, punct. 4. - SUAREZ, l. c., n. 3 sqq.

(1) V., 5.

(2) *Philipp.* II, 12.

(3) *Quis potest dicere mundum est cor meum: purus sum a peccato?* Prov. XX, 9. — Iuxta MALDONATUM in textu hebr. legitur: *Quis potest dicere: mundavit* (Deus) *cor meum; purgatus sum a peccato meo?* — Itaque iuxta hunc sensum, testimonium extenditur etiam ad peccata gravia, quae utrum nobis remissa fuerint certo non cognoscimus. Alii tamen interpretes censent sermonem hic esse de qualibet culpa etiam levi, cui etiam sanctissimi homines obnoxii sunt; quo fit ut nemo asserere possit se peccatum non habere iuxta illud IOA. I, Ep. I. 8: « *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* ». - Cf. ESTIUM, MENOCCHI. in h. l.

(4) Sic Ecclesiastes, IX, 1-2: « *Sunt iusti et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant iusto et impio* ». Illud tamen « *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit* » hebraice ad verbum sic est iuxta Maldonatum: « Etiam amorem, etiam odium non novit homo omnium quae sunt ante ipsos » idest nesciunt homines quid amare, quid fugere debeant eorum quae vident. (Cf. etiam CORNELIUS A LAPIDE qui sic vertit: « Tam amorem, quam odium ignorat homo: haec omnia ante eos sunt). Itaque ex textu hebraico non explicite apparet, num de amore et odio *divino*, vel potius de *humano* sermo sit. Attamen sensus traditionalis, saltem Ecclesiae latinae, de amore, vel odio coram Deo versiculum exponit: « Porro (ait Hieronymus in h. l.) hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset; et inveni iustorum quidem opera in manu

c) *Praesertim* docet nos esse impares ad certum iudicium ferendum de statu iustitiae nostrae; licet enim nullius delicti conscii simus, non tamen ex eo nos coram Deo iustos esse affirmare absoluta possumus certitudine. Sic Apostolus: « *Hic iam quaeritur inter dispensatores* (ἐν τοῖς οἰκονόμοις) *ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die; sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum* (ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι): *qui autem iudicat me, Dominus est* » (1). In hoc *classico* testimonio Paulus loquitur de iudicio ferendo circa *statum gratiae,* ait enim: « Nihil enim mihi conscius sum, *sed non in hoc iustificatus sum* » quasi dicat: Nullius quidem infidelitatis in meo munere apostolico obeundo conscientia me reprehendit; sed non ideo iustus sum coram Deo; Deus enim forte delicta quae non intelligo in me videt.

2° *Ex Patribus,* qui: *a*) fideles etiam iustos generatim ad humilitatem hortantur, hac consideratione, quod nemo scire certo potest num testimonium propriae conscientiae divina sententia ratum sit. « Itaque (ait Basilius) ne te ipse prae altero iustificaveris; *nequando Dei sententia, etsi tua iustificatus, condemnere* (κατακριθῇς) (2).

b) Directe docent vel sanctissimos viros de propria culpabilitate formidare oportere: « Quantalibet (ait Augustinus) enim iustitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse cul-

---

Dei esse; et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et in ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant quae sustinent, an ad supplicium ». (Cf. Estium et Malvenda, qui, praeter alios, sensum traditionalem contra Calvinum vindicant).

(1) I *Cor.* IV, 2-4. Augustinus afferens hoc testimonium, concludit: « Homo licet sanctus, licet iustus, licet in multis proficiens, *abyssus est* ». In psalm. 41, n. 13, PL, 36, 473.

(2) *Serm. De humil.*, n. 4, PG, 32, 1355.

pandum, cum rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est: *delicta quis intelligit?* » (1).

c) Advertunt *provida* Dei *dispensatione* hac certitudine homines privari: per eam enim superbia et animae desidium leviter fovetur, in aeternae salutis perniciem.

Sic Gregorius M. ad Gregoriam Augustae cubiculariam respondens ait: « Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi exsistere, quoadusque scribam, mihi revelatum esse, quia peccata tua dimissa sunt, rem et *inutilem* et difficilem postulasti: *difficilem* quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; *inutilem* vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis: quae dies quousque veniat, *semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes,* atque eas quotidianis fletibus lavare » (2).

3° *Ex Ratione.* Nihil certum esse potest *certitudine fidei,* nisi quod vel immediate contineatur in verbo Dei, vel ex illo per necessariam illationem deducatur. Atqui *me esse* iustum neque revelatum est, neque ex divina revelatione deducitur. Licet enim de fide sit remitti peccata iis, qui sacramenta rite suscipiunt et poenitentiam agunt, vel actum contritionis perfectae et caritatis eliciunt, non tamen *fide constat* me rite haec exhibuisse.

II. Probatur secunda pars: Nequit haberi certitudo propriae iustitiae *absoluta,* sive theologica, sive naturalis, vel mixta ea dicatur, seclusa revelatione.

1° *Ex testimoniis allatis S. Scripturae, SS. Patrum et Conc. Trid.* manifeste apparet non excludi tantum certitu-

---

(1) *De Perf. iust.*, c. 15, n. 33, PL, 44, 309.

(2) Epistolarum l. 7, ep. 25, PL, 77, 878 (aliorum Patrum testimonia cf. apud BELLARM., l. c., cap. 7-10. - VALENTIA, l. c.).

dinem *fidei,* sed *quamlibet* absolutam *certitudinem.* Sermo enim est in iis *generatim* de persuasione, quae gignat securitatem subiectivam gratiae adeptae et auferat dubium atque dubitandi potentiam. Omnes namque, etiam qui nullius peccati conscii sunt, « *de sua gratia* (ut loquitur Trid.) *formidare ac timere possunt* » ne proprio iudicio decipiantur. Iam vero persuasio, quae ex sua natura talis asseritur cui formido et metus de opposito semper comes esse *possit,* nequit certitudo utcumque *absoluta* vocari.

2° *Ex ratione.* — *a*) Hanc absolutam certitudinem excludit ipsa natura iustificationis, quae essentia sua est opus supernaturale a *libera* atque *gratuita* Dei voluntate dependens. Et sane: cognitio rei certa haberi potest vel per causas eius, vel per eius effectus. Atqui neutro modo nos gratiam habere certo cognoscere possumus. Non quidem per causam principaliter efficientem, quae, ut probavimus, est libera atque benignissima in nos voluntas Dei, cuius abditissima consilia scire non valemus, nisi ipse Deus ea revelet; neque per causam veluti dispositivam quae sunt *dispositiones* nostrae, quarum *sufficientiam* et *supernaturalitatem* perfecte assequi nequimus; quia hae dependent non tam a *materiali* actuum exercitio, quam a *forma supernaturali* auxilii divini, quod iterum a gratuita Dei voluntate procedit; non denique per causam *instrumentalem,* idest sacramenta, quae an valide collata, et praesertim an rite suscepta fuerint extra omnem dubitationem scire non possumus. Sed neque per *effectus* exsistentia gratiae in nobis certitudine absoluta argui potest; nam effectus *sensibiles* et *necessarii* a gratia nulli procedunt, qui alii causae attribui non possint: v. g. *sensui cuidam subiectivo* ex speciali animi conditione, vel ex circumstantiis extrinsecis inducto.

b) Non itaque ad hanc infallibilem certitudinem gignendam valet syllogismus, quo Catharinus et alii arguunt

ex principio fidei, et ex testimonio conscientiae. Dicunt enim: Fide divina constat remitti peccata et dari gratiam iis omnibus, qui corde contrito rite sacramenta suscipiunt, vel qui actum amoris Dei super omnia eliciunt. Atqui ex testimonio conscientiae certus sum me poenituisse, et debito modo sacramenta recepisse, vel actum caritatis perfectae emisisse. Ergo. — Haec argumentatio, inquam, non valet: conclusio enim quae habetur neque est *theologice certa*, quia etsi praemissa *maior* sit veritas fidei, *minor* tamen non est ex fontibus fidei, sed innititur facto individualis conscientiae; hinc conclusio, quae peiorem semper sequitur partem, neque *fide* divina, neque *theologice* certa est (1). Sed neque est undequaque *absolute* certa; quia licet quis serio praesumat se omnia exhibuisse quae ad sacramentum rite suscipiendum, vel ad actum caritatis perfectae requiruntur; semper tamen dubitare *potest* an vere in se sit *perfecta aversio* a creaturis, et perfecta conversio in Deum, quae ad amorem Dei super omnia exiguntur; et an actus poenitentiae et caritatis fiat *movente et coadiuvante auxilio Dei efficaci*, a quo unice quaevis dispositio nostra derivat rationem actus supernaturalis, cui, necessaria connexione, iustificatio debetur. Hinc semper de nostra *indispositione* et infirmitate formidare ac dubitare *possumus*. « Forte (ait sapienter Augustinus) tu non invenies aliquid in conscientia tua, et invenit ille qui melius videt, cuius acies divina penetrat altiora: videt forte aliquid, invenit forte aliquid. Quanto melius illi dicis: ne

(1) Suarez, scite advertit certitudinem fidei divinae, quam defendit Catharinus ex suis principiis, non solum non esse certitudinem theologicam, sed neque *moralem*. Ipse enim ut se expediat ab auctoritate Conc. Trid. docentis « nullum scire valere certitudine fidei, *cui non potest subesse falsum*, se habere gratiam, respondet: hanc infallibilitatis proprietatem *unius* fidei *catholicae* esse; fidei autem simpliciter *divinae* non repugnare quandoque subesse falsum. - Cf. Suarez, l. c., cap. 10, n. 2.

intres in iudicium cum servo tuo? Etiam quanto melius dicis: Dimitte nobis debita nostra? » (1).

III. Probatur tertia pars: Coniecturaliter tamen exsistentia gratiae in seipso a iusto argui potest; interdum etiam *quadam morali* certitudine, quae actum dubii arceat. Et sane:

1° Coniecturaliter aliqua res cognosci potest per aliqua signa, quae ipsam nobis quodammodo manifestant. Atqui iustus in se quandoque experiri potest quosdam effectus qui merito a fidelibus ut satis solida indicia status gratiae habentur. Ergo. — Inter signa ex quibus iustus cognoscere potest se habere gratiam *tria* haec a S. Thoma proponuntur:

a) *delectari in Deo;* ita ut nil aliud magis in votis sit, quam per omnia Deo placere et servire. Hinc sperare possumus nos adhaerere Deo in caritate; qui autem *manet in caritate in Deo manet et Deus in eo;*

b) *contemnere res mundanas,* quae a Deo eiusque amore avertunt;

c) *non esse conscium alicuius peccati mortalis* (2).

2° Hanc imo coniecturalem congnitionem quandoque gignere posse *moralem certitudinem* late sumptam, quae nimirum excludat hic et nunc actum dubii, videtur concedendum. Et profecto:

a) Bonum conscientiae testimonium quo conscius quis est non solum se ea omnia praestitisse, quae ad debitam sacramentorum susceptionem necessaria sunt, sed et *sincero desiderio* moveri amandi Deum eiusque mandatis

---

(1) Serm. 93, n. 14, PL, 38, 578.

(2) Cf. h. art. Inter haec signa enumerari solent etiam; *pax animi effusio quaedam laetitiae spiritualis, bonae vitae studium, assidua cura vitandi peccata venialia deliberata, divinorum amor, gloriae Dei et proximorum salutis desiderium* etc. Verum haec omnia in *tribus* signis, quae adferuntur ab Angelico implicite continentur.

obtemperandi, licet inanem haereticorum securitatem ac temerariam praesumptionem arcere debeat, potest tamen intimam persuasionem inducere, qua ipse *moraliter certus* et *humiliter tranquillus* de sua iustitia esse possit. Nam, tandem aliquando, ut ait S. Paulus: « *Gloria nostra, haec est: testimonium conscientiae nostrae* » (1).

b) Ipse *Apostolus* hanc certam modestamque fiduciam in cordibus fidelium iustorum excitare videtur, dum scribit: « *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba* (*Pater*). *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* » (2). Scilicet: Spiritus Sanctus effundit in anima iustorum amorem filialem in Deum, per quem ipsi divina praecepta adimplent non ad instar servorum, solo poenae timore, ut olim Iudaei sub legis servitute constituti, sed potissimum ex caritatis impulsu Deo obediunt eumque veluti amatissimum patrem invocant. Ex hac autem filiali in Deum fiducia Spiritus Sancti in se inhabitantis praesentiam arguere iure ipsi possunt. Hanc *moralem* certitudinem respicere videtur Augustinus, cum ex verbis Apostoli concludit: « Ecce adiuvante ipsius misericordia Spiritum Christi habemus: *ex ipsa dilectione iustitiae, integra fide, catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus* » (3).

c) Demum ipsa Ecclesia in his indiciis et praesertim in testimonio conscientiae gratiae praesumptionem fun-

(1) II *Cor.*, I, 12. Haec sententia nullimode opponitur doctrinae Conc. Trid., qua negatur iustis certitudo de propria gratia, cui non potest subesse falsum. Concilium enim hoc unum docet: « *Quemlibet de sua gratia formidare ac timere posse* » (non *debere*). Hinc legitime arguitur in iusto semper quidem manere *potentiam dubitandi;* non vero semper ab eo *dubitandum actu* esse de adepta iustitia. Hoc enim in casu non solum *posset* sed *deberet* de sua gratia semper *formidare.*

(2) *Rom.*, VIII, 15-16.

(3) Serm. 155, *De verbis Apostoli*, PL, 38, 818.

dat cum quadam morali certitudine, dum fidelibus adultis praecipit ut saltem semel in anno ad Eucharistiam accedant. Atqui constat ad huius sacramenti dignam susceptionem requiri in suscipiente donum gratiae habitualis; iuxta illud Apostoli: « *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* » (1), ita ut nemo legitime possit hoc Sacramentum recipere *in actu dubii positivi propriae indignitatis*. Ergo Ecclesia supponit posse fideles de sua gratia *quadantenus certos esse moraliter*.

Objectiones. — I. *Contra primam part.* — 1° Spiritus S., docente Apostolo testimonium reddit iustis, *quod sunt filii Dei*. (*Rom.*, VIII, 16). Atqui testimonium Sp. S. est fide divina certum et infallibile. Ergo.

Resp. a) *Dist. Mai.:* Spiritus S. testatur Ecclesiam habere spiritum adoptionis filiorum Dei, *Conc.;* testatur *cuilibet* iusto ipsum esse actu filium Dei adoptivum per gratiae donum, *Nego*. — Ita quidam, hunc textum paulinum interpretantur (2). Apostolus enim heic urget antithesim inter spiritum timoris Legis iudaicae, seu synagogae, et spiritum amoris N. Legis seu Ecclesiae, in qua tanquam filii Dei adoptivi Deum ut Patrem invocamus. Attamen communior et verior sententia testimonium illud ad intimam inspirationem quae fit singulis iustis refert, cum Paulus asserat tale testimonium fieri, non Ecclesiae, sed *spiritui nostro* (3). — Iuxta hunc sensum:

Resp. b) *Dist. Mai.:* Spiritus S. testatur spiritui nostro, quod sumus filii Dei *infundendo* amorem filiorum in eis quos iustificat, *Conc.; manifestando* eis hanc infusionem, *Subd.:* per aliqua signa plus minusve probabilia, quae interdum quandam *moralem* certitudinem proferant, *Conc.; certitudinaliter*

(1) I *Cor.*, XI, 28.
(2) Cf. Corn. a Lapide, in h. l.
(3) Cf. Sa, Menocchi, Tirini, Gordoni, etc.

ita ut et actus dubii, et potentia dubitandi arceatur, *Nego.* — Apostolus Joannes enim nos monet non omni spiritui credendum esse: « *Carissimi, nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex Deo sint* » (1).

2° Atqui certitudine fidei scire possumus nos esse iustificatos. Nobis enim tamquam fidei articulus credenda proponitur: *Remissio peccatorum.* Iamvero haec remissio *credi* potiori iure debet *pro se,* quam pro aliis. Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Est dogma fidei esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata; vel nobis remitti peccata *conditionate,* idest *rite dispositis, Conc.;* esse nobis certo et inconditionate remissa peccata, *Nego.* — Semper enim, ut diximus, de nostris dispositionibus dubitare possumus, ac de ipso (quoad nos) propitiato peccato metuere.

II. *Contra secundam part.* — 1° Saltem exsistentiam gratiae in anima certo omnino cognoscere possumus. Gratia enim est in anima per suam essentiam. Atqui anima certo cognoscere potest quae in se sunt per suam essentiam. Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Gratia est in anima per sui essentiam, tamen a *principio superiore* infusa, *Conc.;* tamquam ex naturali animae potentia educta, *Nego.* — *Contrad. min.;* Anima quod ei intime inest cognoscere potest *experimentali cognitione* per actus sive effectus qui emanant a forma in se recepta, *Conc.; directe,* ipsam formam infusam attingendo. *Nego.* — *Subdist. consequens:* Anima certo cognoscere potest praesentiam gratiae in se, si gratia habeat actus vel effectus proprie manifestativos sui adaequate, *Conc.;* si non habeat effectum proprium, qui sensu intimo percipi possit, *Nego* (2).

2° Atqui per proprium actum essentia gratiae cognoscitur. Homo enim potest per actum fidei scire certo se

(1) I Ioa.; IV, 1.
(2) Cf. h. art. ad 1.

habere fidem. Atqui eadem est ratio fidei et *caritatis* quia utraque est virtus infusa. Ergo potest homo *per actum caritatis* perfectae certitudine absoluta cognoscere se caritatem habere, et ideo gratia habituali informari; actus enim caritatis perfectae infallibiliter gratiam connexam habet.

Resp. Conc. Mai: — Nego min.: Non enim eadem est ratio actus fidei et actus caritatis in quantum hi ab intellectu cognoscibiles sunt. Disparitas autem consistit in hoc, quod fidei *subiectum* sit *intellectus*, dum caritas *voluntati* proxime inhaereat. Cum igitur fides informet tamquam subiectum proprium potentiam intellectivam, et haec immediate supra seipsam reflectat, potest ea certitudinem habere inexsistentiae in se ipsius fidei. Dum enim intellectus certo cognoscit obiectum *suum*, certus etiam fit *de actu suo cognoscitivo;* quia *certitudo est de ratione intellectus.* E contra cum caritas sit *voluntati* inhaerens, nequit actus eius immediate percipi ab intellectu, ut actus suus, hinc non potest intellectus iudicare *directe* actum illum esse vere actum caritatis perfectae; sed hoc arguere tantum potest ex signis, quae, ut probavimus, nunquam exhibere valent certitudinem absolutam. Ad rem S. Thomas: « Dicendum, quod de ratione scientiae est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum habet scientiam; et similiter de ratione fidei est quod homo sit certus de his, quorum habet fidem; et hoc ideo. quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo praedicta dona exsistunt. Et ideo quicumque habet scientiam, vel fidem, certus est se habere. Non est autem similis ratio de gratia et caritate, et aliis huiusmodi quae perficiunt vim appetitivam » (1).

Scholion. — Utrum autem quis de sua *spe* certus esse possit, controvertitur. Alii negant, cum etiam *spes* ad voluntatem referatur: Alii tamen affirmant, quia licet spes

(1) Hic ad 2. - Cf. SUAREZ, *De Iustific.* I. q. c. 12.

voluntati tamquam subiecto proximo inhaereat, tamen, cum ea sit virtus particularis, quae amitti tantum potest per unum actum contrarium *desperationis*, non aegre quis eam sibi inesse certo advertere potest, eo ipso, quod haud difficulter cognoscit se gravi *desperationis* peccato non opprimi. Sed *caritas* per quodlibet grave peccatum amittitur; et difficilius scire quis certe valet se nulli gravi culpae obnoxium esse (1).

QUAESTIO II.

De gratiae dispensatione.

Cohaeret haec quaestio cum praecedenti de gratiae causa; ad principalem enim causam gratiae huius distributionis oeconomia pertinet. Porro cum constet ex facto non omnibus dari gratiam in *actu secundo* efficacem; qua scilicet homo aeternam salutem consequatur, quaestio haec circa dispensationem *gratiae sufficientis* versatur, cuius exsistentiam suo loco probavimus. Cum vero homines viatores relate ad ordinem supernaturalem gratiae in *triplici* diversa conditione reperiri possint, prout nimirum, vel per gratiam habitualem et caritatem Deo perfecte adhaerent, vel hac destituti *fidei* tamen virtutem retinent, vel demum utroque dono fidei et caritatis carent: tribus articulis hanc tractationem breviter expedimus, inquirentes, num *gratia vere sufficiens* a Deo conferatur: 1° *iustis* praesertim volentibus et conantibus; 2° *peccatoribus fidelibus* tum *communibus*, tum *obduratis;* 3° *infidelibus.*

---

(1) Cf. Valentia, l. c. - Gotti, q. 3, dub. 9, § 5.

Articulus I.

Utrum gratia vere et relative sufficiens omnibus iustis concedatur.

Praenotanda. — 1° Jansenius, cum nullam aliam gratiam proprio sensu agnoverit quam quae *necessario* efficax sit in actu secundo, hoc est quae *necessario* determinat hominis voluntatem ad bonum operandum; cohaerenter docuit ideo homines etiam iustificatos peccare et salutem aeternam non assequi, quia non datur illis gratia, qua *possint* etiam si velint et conentur Dei mandata servare et tentationes superare. « Nihil est (scribit Jansenius) in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus, non tantum infidelibus, excaecatis, obduratis; sed fidelibus quoque et iustis, volentibus, conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: *deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia.* Hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, *qui tentantur ultra quam possint sustinere* » (1).

2° Haec absurda doctrina proscripta iam in antecessum fuerat a Conc. Trid.: quod contra *pessimismum mysticum* Reformatorum (2) declarat: « *Dei praecepta homini iustifi-*

---

(1) *De gratia Chr.*, l. III, c. 14. Huc etiam spectat propositio Antonii Arnaud ab Accademia parisiensi damnata ann. 1656: « In B. Petro exhibetur homo iustus, cui gracia sine qua nihil possumus, in ea defuit occasione, in qua eum non peccasse dici non potest ». - Cf. Du Plessis d'Argentrè, *Collect. indiciorum de novis erroribus* (ad hunc annum).

(2) Ex fundamentali errore de natura per peccatum absolute corrupta, et de persistentia huius corruptionis etiam in iustificatis, in quibus manet concupiscentia, tanquam formale peccatum, Protestantes logice deduxerunt nullum hominem in hac vita Dei precepta adimplere posse. - Cf. Moehler, *Symb.* § XI et XXII.

cato ad observandum non esse impossibilia; Deum impossibilia non iubere; Dei n sua gratia semel iustificatos non deserere, nisi ab eis prius deseratur » (1). Cum tamen Janseniani nil intentatum relinquerent, ut suaderent decreta Conc. Trid. non extendi ad suam doctrinam, haec iterum ab Ecclesia tamquam *haeretica* damnata est (2).

CONCLUSIO

Omnibus iustis, praesertim volentibus et conantibus confertur gratia vere et relative sufficiens, qua possint mandata Dei observare, atque in accepta iustitia perseverare (3).

Probatur conclusio. — 1° *Ex S. Scriptura,* quae:

a) *generatim* Deum tamquam infinite divitem in misericordia, et liberalem in dispensanda gratia celebrat. « *Idem Dominus omnium* (ait Apostolus) *dives in omnes, qui*

(1) Sess. VI, cap. 11. Haec doctrina sancitur in can. 18, *De Justific.* « Si quis dixerit Dei praecepta etiam iustificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia: a. s. » Hoc definitum iam fuerat in Conc. Araus. II, can. 25, Denz. 169.

(2) Cf. primam ex quinque p. p. damnatis *Iansenii*, Denz. 966. — Ianseniani ut auctoritatem Conc. Trid. eluderent, contendebant damnasse tantum errorem Lutheri et Calvini, qui mandata Dei *omnibus* hominibus impossibilia asserebant, non ideo quod desit quandoque gratia qua possibilia fiant, sed quia concupiscentia formaliter inquinat omnes actiones humanas. — Verum hoc effugium ineptum est. Concilium enim non modo generatim damnat eos, qui ex quocumque demum capite affirmant mandata Dei esse homini iusto impossibilia, sed etiam directe tradit gratiam Dei, qua possint legem divinam implere, iustis non deesse; *quia Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi deseratur*; *quo fit ut mandata eius iustis gravia non sint* ».

(3) Gratiam *vere* et *relative* sufficientem intelligimus, quae expeditam confert potestatem praeceptum adimplendi attentis etiam impedimentis tum obiectivis, cum subiectivis, quae eius observantiam difficiliorem reddunt.

invocant illum » (1). Speciatim autem ipse Apostolus commendat abundatiorem gratiae Christi influxum in homines redemptos, prae infectione peccati Adae: « *Non sicut delictum ita et donum: si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοί) *mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis J. Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλούς) *abundavit* » (2). Haec profecto Dei largitas in gratiae distributione intelligi nequit, si saltem iustis auxilia ad salutem vere sufficientia non concedantur.

b) Directe promittit auxilia ad tentationes superandas, et ad perseverandum. « *Itaque* (scribit Paulus) *qui se exsistimat stare videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (hoc est parva, seu ordinaria) *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum* (ἔκβασιν exitum) *ut possitis sustinere* » (3). Et iterum: « *Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos et custodiet a malo* » (4). Hic igitur *ex fidelitate Dei* promittuntur omnibus credentibus, et a fortiori omnibus iustis, auxilia sufficientia ad vitanda peccata, etiam gravibus obstantibus tentationibus.

c) Excitat fideles ut certam *per bona opera* suam *vocationem* atque *electionem* faciant (5); id quod absque iugi Dei adiutorio sufficienti fieri nequit.

d) Speciali ratione protectionem Dei erga *exquirentes illum* emphatice laudat. Sic Ecclesiasticus: « *Quis enim permansit in mandatis eius, et derelictus est? Aut quis invocavit*

---

(1) *Rom.*, X, 12.
(2) Ibid., V, 15.
(3) I *Cor.*, X, 12-13.
(4) II Thess. III, 3.
(5) II Petr. I, 10: « *Fratres magis satagite ut per bona opera certam* (Βεβαίαν-stabilem) *vestram vocationem et electionem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando* » (ποτε hoc est *umquam* peccabitis.)

eum et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate » (1).

2° *Ex doctrina S. Augustini,* qui non semel testatur iustis praesto esse semper auxilium Dei vel *proxime sufficiens*, vel saltem *remote* sufficiens, quo scilicet si bene utantur, iusti *gratiam proxime* sufficientem atque efficacem accipiant. « Ipse autem Deus (inquit) cum per mediatorem Dei et hominum Iesum Christum spiritualiter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, idest iustificat impium... non *deserit,* nisi deseratur, ut pie iusteque vivatur » (2). Et deinde ostendens mandata Dei non esse gravia, concludit: « *Non igitur Deus impossibilia iubet sed iubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis* » (3). Quibus verbis insinuatur distinctio inter gratiam proxime sufficientem, et auxilium *remote* tantum sufficiens, quod est gratia orandi et petendi uberiores vires.

Speciatim iustis Deum provida cura auxilia necessaria subministrare explicite tradit: « Te iam iustum (ait) ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet et hic adiuvat et hic necessaria subministrat, et noxia resecat... Dominus curam habet tui; securus esto. Ille proteget, qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere: si ceci-

---

(1) II, 12-13. Cf. Psalm. XXXVI, vv. 25, 39, 40; Ioa. VI, 37; *Rom.*, V, 8-9, etc.

(2) *De Nat. et gr.,* c. 26, n. 29, PL, 44, 261. Inepte Ianseniani hoc celebre testimonium ad gratiam habitualem coarctant, quasi Augustinus hoc unum sibi voluerit: Deum per privationem gratiae habitualis nullum iustum deserere, donec iste graviter non peccaverit. Haec enim verba intelligenda esse de gratia *actuali*, quae iustificato confertur ad bene operandum evidens est ex his, quae S. Doctor mox subiungit: « Sicut enim oculus corporis perfectissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere; *sic et homo plenissime iustificatus,* nisi *aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur,* recte non potest vivere ».

(3) Ibid. c. 43, n. 30, PL, 44, 271.

deris a manu artificis frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit... *Nusquam tibi deest, tu illi noli deesse* » (1). Hoc idem declarat fidus Augustini discipulus, S. Prosper, scribens : « Qui dicit quod quibusdam, vocatis et pie iusteque viventibus obedientia (hoc est potestas obediendi Dei mandatis) substrahatur ut obedire desistant, male opinantur de bonitate Dei atque iustitia » (2).

3° *Ex ratione.* Doctrina quam defendimus est legitimum corollarium voluntatis Dei salvandi omnes, praesertim fideles, et universalis redemptionis Christi, nec non *specialis dilectionis, qua Deus iustos prosequitur.* Si enim Deus, ut testatur Apostolus, « *omnes homines vult salvos fieri* » (3); si « *pro omnibus mortuus est Christus* » (4); si « *ipse est Salvator omnium hominum maxime fidelium* » (5) ; his etiam gratiae sufficientis auxilium, sine quo salus nemini contingere potest, subministrare credendum est. — Et profecto iniquum est vel cogitare Deum in omnes misericordem, qui legem suam tanquam « *suave iugum et onus leve* » commendat (6), iustos amicos suos et adoptivos filios ad aliquod praeceptum sub damnationis poena obligare, quod est ipsis impossibile observatu. Iam vero *salutaris* divinae legis observantia sine auxilio gratiae prorsus impossibilis est.

Scholion. — Seria Dei voluntas salvandi omnes et praesertim iustos explicari nequit si dicatur Deus quidem omnibus auxilia ad salutem sufficientia *praeparasse*, non autem omnibus ea *actu* concedere. Hoc Iansenianorum effugium

---

(1) Enarr. in Psal. 39, n. 27, PL, 36, 450-51.

(2) Respons. ad c. 12 Gallorum, PL, 51, 175. — Circa perfectam antithesim doctrinae Augustinianae cum doctrina Ianseniana confer Berti, *De Theol. discipl.*, l. 17, c. 3, et *Augustinianum systema vindicatum,* dissert. 4, § 4. - Sardagna, t. 5, *De gr.*, n. 236 sqq.

(3) I *Tim.* II, 4.

(4) II *Cor.* V, 15.

(5) I *Tim.* IV. 10.

(6) Matth. XI, 30; I Ioan. V, 3.

inane est. Est enim fidei dogma ad omnem actum salutarem cuilibet homini, etiam iusto, auxilium Dei interius et supernaturale non solum moraliter, sed *physice* necessarium esse. Si igitur hoc sufficiens auxilium non *actu* concedatur, remanet in ipsis iustis quoad salutem assequendam *physica impotentia,* quae cum seria et praecipua Dei voluntate eos salvandi neutiquam componi potest.

Articulus II.

Utrum gratia saltem remote sufficiens detur peccatoribus fidelibus.

Praemittenda. — 1° *Peccatores communes* et *obdurati.* Loquimur de peccatoribus, qui olim receptam fidem non exuerunt, quorum alii *communes*, seu *vulgares* dicuntur, qui etsi iustitiam et caritatem amiserint, timorem tamen Dei non, saltem penitus, abiecerunt: alii autem *obcaecati* et *obdurati* vocantur, qui iam multis Dei auxiliis *libere* reiectis ex peccandi consuetudine hebetudinem quandam intellectus practici et perversionem iudicii contraxerunt et inde obfirmatam in malo habent voluntatem ita ut boni moralis *visum* et *sensum* quodammodo amiserint.

2° *In quo distinctius obcaecatio et obduratio consistant.* *a*) *Obcaecatio* proprie respicit intellectum et infert caecitatem mentis, seu *positivam* iudicii moralis perversionem, qua fit ut obcaecati praepostere de rebus moralibus et ad salutem pertinentibus iudicent, approbantes falsa pro veris et mala pro bonis. Hos respicit *Isaias* dum scribit: « *Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes amarum in dulce et dulce in amarum* » (1).

---

(1) V. 20. — Obcaecati et obdurati: graphice etiam describuntur in libro *Sapientiae* c. II.

b) *Obduratio* afficit directe voluntatem quam in malo ita obfirmat, ut cor obdurati divinis monitis et salutaribus inspirationibus obstinate resistant (1). Ex his apparet obcaecationis et obdurationis causam *proximam* et vere *efficientem* esse perversam hominis voluntatem, qui *libere* se avertit a divino lumine, ex quo tamquam poena consequitur ex *parte Dei* subtractio uberioris illustrationis et validioris inspirationis: causam autem *formalem* esse ipsam mentis caecitatem et perversionem iudicii, et inde ortam voluntatis in malo obstinationem. Egregie S. Thomas: « Excaecatio et obduratio duo important; quorum unum est motus animi humani inhaerentis malo et aversi a divino lumine; et quantum ad hoc Deus non est causa obcaecationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiae ex qua sequitur quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum; et quantum ad hoc Deus est causa excaecationis et obdurationis... Deus autem proprio iudicio lumen gratiae non immittit illis, in quibus obstaculum invenit » (2). Hinc etiam constat Deum esse quidem ultimam et supremam causam obdurationis impii, non tamen directe et *positive*, sed *negative* tantum quatenus illam non impedit, sed *permittit* eamque ordinat ad sapientissimum providentiae suae finem (3).

---

(1) Celebris est descriptio quam S. Bernardus exhibet cordis obduratorum: « Ipsum est (ait) quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens ». *De Consid.* I, 2, 3 PL. 182, 731. Cfr. Lessium *De Perf. div.*, l. 13, n. 76, sqq.

(2) I, II, q. 79 a. 3. Cfr. II, II, q. 15 a. 1.

(3) Cum iis itaque qui sensu Theologico obdurati dicuntur, confundendi non sunt qui *naturaliter degenerati* appellari solent, qui nimirum ex defectu ipsius organicae constitutionis, seu ex impedimento

3° *Obduratio perfecta et imperfecta.* Duplicem theologi post S. Thomam obdurationem distinguunt; idest *perfectam* seu daemonum et damnatorum, per quam voluntatis ad bonum conversio physice impossibilis efficitur; et *imperfectam* seu *viatorum,* quae summam quidem conversionis difficultatem inducit, quin tamen obdurati voluntatem ita immobilem reddat ut ab efficaciori Dei auxilio ea emolliri non possit et quandoque non emolliatur (1).

4° *Quaestionis definitio.* Inquirimus itaque utrum omnibus peccatoribus fidelibus non solum *communibus,* sed etiam *obduratis* praesto sit auxilium Dei saltem *remote* sufficiens (hoc est gratia orationis), quo possint peccata praecavere et se ad conversionem praeparare. Aliis verbis: quaerimus num *praeceptum* poenitendi pro omnibus peccatoribus etiam obduratis exsistat.

5° *Errores.* — *Ianseniani,* qui ut vidimus, docent neque omnibus iustis conferri a Deo auxilium ad perseverantiam

---

virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum et voluntas ad libere volendum, pronitatem insuperabilem ad aliquod vitium experiuntur. In his enim libertatis physicae restrictio vel impedimentum imputabilitatem actionis moralis imminuit, vel etiam aliquando aufert. At vero obdurati etsi ex contemptu auxiliorum Dei et ex prava atque inveterata consuetudine in malum facillime et veluti connaturaliter proruunt, caecitatem tamen mentis et voluntatis perversionem abusu libertatis sponte susceperunt, neque dum actu peccant libertate non peccandi penitus destituuntur. Cf. II, II. q. 15, a. 1.

(1) « Obstinatio (ait S. Thomas) importat quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis a peccato reverti non possit... nec cooperari possit ad hoc quod a peccato resurgat. Sed dupliciter est hoc: Uno modo ita quod nullo modo possit cooperari; et haec est *perfecta* obstinatio qua daemones sunt obstinati, adeo enim eorum mens est firmata in malo, quod omnis motus liberi arbitrii ipsorum est inordinatus et peccatum; et ideo nullo modo se possunt ad gratiam habendam praeparare, per quam peccatum dimittitur. Alio modo ita quod non de facili possit cooperari ad hoc quod exeat de peccato; et haec est obstinatio *imperfecta,* qua aliquis potest esse obstinatus in statu viae ». *De Verit.*, q. 24 a. 11.

sufficiens, eo magis negant concedi peccatoribus omnibus etiam vulgaribus gratiam, qua converti possint; *obduratos* autem peccatores divina gratia penitus destitutos esse affirmant.

Calviniani insuper addunt Deum esse causam *positivam* et *directam obdurationis* impiorum.

6° *Doctrina Ecclesiae* et *Theologorum sententiae.* Ecclesia generatim docet peccatores fideles amissam iustitiam per veram poenitentiam semper recuperare posse. Sic Conc. Later. IV: « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest *semper* poenitentiam reparari » (1) Et Conc. Trid.:« Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per poenitentiae sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint » (2). Et iterum : « Quoniam Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur » (3). Ex his Ecclesiae documentis theologi catholici *unanimiter* arguunt esse *doctrinam fidei,* vel saltem *fidei proximam,* Deum omnibus peccatoribus *communibus* conferre auxilia ad resipiscendum sufficientia. Et iure quidem: si enim quisquam post baptisma in peccatum prolapsus per veram poenitentiam amissam gratiam recuperare potest, cum ad hanc conversionem requirantur actus *fidei, spei, caritatis* saltem *inchoatae,* etc., qui sine supernaturali Dei motione elici nequeunt, manifestum est his peccatoribus non deesse auxilium Dei ad hos actus salutares necessarium.

---

(1) Cap. *Firmiter*, Denz. 357.
(2) Sess. 6, c. 14.
(3) Sess. 14, c. 1.

Quod autem ad peccatores *obduratos* attinet, sunt qui contendunt Deum quidem omnibus his gratiam sufficientem *praeparasse*, non autem eam omnibus *conferre*; hinc saltem *aliquibus ex his* omne conversionis auxilium et ipsam orationis gratiam in poenam praecedentium culparum negari (1).

Alii tamen plerique rectius tuentur nec obduratos peccatores deseri (2). Huic sententiae tanquam doctrinae fidei et bonitati divinae magis consonae adhaeremus.

CONCLUSIO

Omnibus fidelibus peccatoribus etiam obduratis auxilium gratiae, saltem remote ad conversionem sufficiens, a Deo offertur.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae: *a*) saepe peccatores hortatur ad conversionem, asserens voluntatem Dei

---

(1) Hanc opinionem tuentur, BANNEZ, I, q. 23 a. 3, concl. 6 et 8; GODOY, tract. 8 *De Praedest.*, disp. 73, § 4; GONET, *De Reprob.*, disp. 5 a 5; LEMOS, *Panoplia*, part. 2, tract. 3; GONZALEZ, *Controv.* V, a. 8 aliique; cfr. etiam BERTI, *De Theolog. disciplinis*. l. 18, c. 8. — Immerito haec doctrina a quibusdam tanquam *error in fide* incriminatur. Licet enim ea parum consentanea videatur dogmati *universalitatis redemptionis* et voluntatis Dei salvandi omnes, non tamen ab Ecclesia directe unquam proscripta fuit. Concilia enim *Later.* et *Trid.* pronuntiant quidem peccatori generatim praesto esse gratiam ad resipiscendum sufficientem, non tamen id directe de *peccatoribus obduratis* affirmant. Neque aliunde Deus *iniuste* agere dicendus esset, si in *poenam delictorum* sua auxilia voluntarie in malo obstinatis adimeret.

(2) Ita sentiunt ex *thomistis* ALVAREZ *De aux.* l. XI, disp. 112; *Salmanticenses*, tract. 101, q. 14, dub. 5; MEDINA I, q. 109, a. 10; GOTTI, *De Reprob.*, q. 1, dub. 3 aliique. Item VEGA, *De Iustific.*, q. 13, concl. 5; MOLINA, *De Conc.* q. 14 a. 13, disp. 10; BELLARM., *De gr. et lib. arb.* II, c. 5-6; GREGORIUS DE VALENTIA, *De gr.* q. 3, punct. 4; SUAREZ *De gr.* l. 4, c. 10-11; TOURNELY, *De gr.*, q. 8, a. 4 aliique plurimi.

esse ut convertantur: « *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?* » (1).

b) Declarat Deum neminem perire velle, sed ob conversionem peccatorum patienter agere: « *Non tardat Dominus promissionem suam sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* » (2).

c) Quinimo ipse Christus respondens Pharisaeis miran tibus quod is cum *cum publicanis et peccatoribus manducaret,* testatur se peccatores praesertim vocatione sua prosequi: « *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores* » (3).

Huc faciunt etiam parabolae *ovis deperditae et inventae, seu peccatoris poenitentiam agentis, de quo gaudium maius erit in coelo quam super nonaginta novem iustis* (4); *boni pàstoris* (5); *patris filii prodigi* (6); *et mulieris drachmam quaerentis* (7). Haec quidem testimonia de mira Dei benevolentia in peccatores, saltem *communes,* intelligenda esse omnino constat; sed ea ad *obstinatos* etiam extendi nihil vetat; praesertim cum non desint testimonia, quae directe hos etiam peccatores non omni gratia destitui ostendant. Et equidem peccatores *obdurati* erant Iudaei, quos *Stephanus* redarguit; et tamen etiam his impulsum gratiae ad conversionem cui resistebant, collatum fuisse constat: « *Dura cervice et incircumcisis cordibus, et auribus,*

---

(1) Ezech., XXXIII, 11. Cf. ibid. XVIII, 23; *Sap.*, XI, 24 et XII 1 sqq.

(2) II Petr. III, 9.

(3) Matth., IX, 13.

(4) Luc., XV, 7.

(5) Ioa., X, 16.

(6) Luc., XV, 11, et seq.

(7) Ibid., v. 8 19.

vos semper Spiritui S. resistitis (1). Item Paulus Iudaeos obduratos reprehendit eo quod hi benignitati Dei ad poenitentiam eos invitanti non obtemperent: « *An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae* » (2). Huc etiam faciunt, et quidem directe, quae leguntur *Sap.* c. XII, ubi asseritur Deum vel ipsis antiquis terrae sanctae habitatoribus, quos ob immania flagitia exhorrebat, tanquam *hominibus pepercisse*, dando eis locum poenitentiae (3). Item addi debent acerrimae obiurgationes, quibus Deus frequenter perversissimos Iudaeos omne consilium suum despicientes redarguit: « *Vocavi et renuistis; extendi manum meam et non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis* » (4). Et iterum: « *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* » (5).

2. *Ex Patribus.* Notissimum est nil frequentius et eloquentius Patres celebrare quam, eximiam et longanimem Dei in omnes peccatores bonitatem: « plena enim (ait *Ambrosius*) est terra misericordiae Domini quia *omnibus* est data remissio peccatorum; *super omnes* sol (gratiae) oriri

---

(1) *Act.*, VII. 51.

(2) *Rom.*, II, 4-5.

(3) *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant partibus* (κατ' ὀλίγον hoc est *paulatim*) *corripis... Illos enim antiquos inhabitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti; quoniam orribilia opera tibi faciebant... perdere voluisti per manus parentum nostrorum... Sed et his tanquam hominibus pepercisti et misisti antecessores exercitus tui vespas* (σφῆκας) *ut illos paulatim exterminaret. Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis saevis aut verbo duro* (ὑφ' ἓν idest *simul uno verbo*) *exterminare: sed partibus* (paulatim) *indicans dabas locum poenitentiae, non ignorans quoniam nequam est ratio eorum, et naturalis* (ἔμφυτος) *malitia ipsorum* », v. 1-10.

(4) *Prov.*, I, 24.

(5) *Rom.*, X, 21; Isaias LXV, 2.

iubetur » (1). Etiam ipse *Augustinus* non semel explicitissime affimat non solum miris et variis modis Dei clementiam peccatores communes ad conversionem vocare, sed etiam pessimum quemque dum in hac vita est, non penitus destitui divina luce. Sic exponens illud *Psalmistae: Miserator et misericors Deus: longaminis et multum misericors, ait:* « Quid tam longanimum; quid tam multum in misericordia? Peccatur et vivitur... vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impartiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis: Longanimis et *multae* misericordiae. Sed observa ne longitudine misericordiae Dei male utendo tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die irae. » (2). Speciatim de obduratis explicans, illud Apostoli: « *tradidit illos Deus in reprobum sensum* » ; (3) scribit: « Ea est coecitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce recluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est corrigi noluerit » (4). Neque enim (iterum arguit) « ulla est anima, quamvis perversa, quae tamen ullo modo ratiocinari potest, *in cuius conscientia non loquatur Deus* » (5). Hinc monet de ipsis perversissimis hominibus nunquam desperandum esse, sed pro iis etiam orandum. « De quocumque pessimo in hac vita

---

(1) In Psal. 118, libr. VIII, PL, 1, 1388. Aliorum Patrum testimonia exhibet Bellar. *De Gr. et lib. arb.* II c. 5 et Tournely l. c.

(2) In Psal. 102, v. 8, PL, 37, 1330.

(3) *Rom.* I, 28.

(4) In Psal. VI, n. 8, PL, 36, 94.

(5) *De Serm. Dom. in monte* II, c. 9, n. 32, PL, 34, 1283

constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur » (1).

3. *Ex doctrina S. Thomae.* Neque ab hac sententia quoad ipsos *obstinatos* omnino alienus esse videtur *Angelicus*, qui explicans statum peccatoris obdurati docet, non quidem eum omni gratia carere, *sed magna difficultate* laborare ad gratiae assentiendum. Distinguens enim obdurationem *perfectam*, quae propria est daemonum, et *imperfectam*, quae est viatorum de hac ait: « Alio modo habet aliquis firmitatem in peccato, ita quod *non de facili* possit cooperari ad hoc quod exeat de peccato; et haec est obstinatio *imperfecta*, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viae, dum scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via ut praeparetur ad gratiam (conversionis) ». (2). Nullum autem in hac vita esse peccatorem, qui non possit ad suam conversionem cooperari et induci *ad hoc quod poeniteat, paulatim in contrarium assuescendo* probat ex ipsa natura intellectus et ex libertate morali, quae vel in impiis dum vivunt non totaliter aufertur. « Quod aliquis homo in statu viae non possit esse ita obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet ex dictis; quia et passio solvitur et reprimitur, et habitus non totaliter animam corrumpit, et ratio non ita pertinaciter falso adhaeret, quin per contrariam rationem possit adduci » (3). Itaque ex doctrina *Angelici* etiam *in obduratis* quandoque surgunt aliqui motus, licet debiles, qui possunt esse dispositivi ad gratiam conversionis. Hi autem motus, ut constat,

---

(1) *Retract.* I, 19, n. 7, PL., 32, 616. Cfr. plura alia Augustini testimonia apud DESCHAMPS De haer. Ians. III, 6 sqq.

(2) *De Verit.* q. 24. a. 11.

(3) Ibid, cfr. *S. Theol.* III, q. 86, a. 1.

haberi nequeunt absque supernaturali Dei auxilio, cum nulla sit in natura vis se *positive* disponendi ad gratiam.

4. *Ex ratione. a*) Ratio fundamentalis deducitur ex voluntate Dei salvandi omnes et ex universalitate Redemptionis Christi, quae concipi nequeunt suppressis auxiliis ad salutem in ratione medii necessariis. Specialiter autem arguimus;

b) *Ex praecepto spei* et *conversionis* ad ultimum finem, quo omnes peccatores etiam obdurati tenentur. Atqui si nullum eis gratiae auxilium daretur, *desperatio* iis foret necessaria, et *conversio* physice impossibilis.

c) *Ex imputabilitate morali* suarum actionum a qua nullus peccator eximitur. Sane: etiam obcaecati cum divina praecepta non adimplent formaliter peccant. Atqui nemo peccat in eo quod vitare non potest. Ergo et ipsi peccata vitare possunt; et hinc etiam iis praesto esse debet gratia sufficiens sine qua peccata vitari nequeunt. Eximie Andreas Vega: « Contra bonitatem et clementiam Dei ineffabilem est dicere, imputari ab ipso cuipiam ad novam poenam, quod ab agente vitari non potest. Nemo ergo peccat novo peccato, qui est in aliquo mortali, si privatus sit divino auxilio necessario ad non peccandum, atque ea ratione transgreditur aliquod mandatum. Ergo semper peccator potest implere praecepta Dei; neque umquam propter delicta praecedentia, quantumcunque sint gravia, est ei impossibile ea servare: ad ostium enim nostrae voluntatis stat semper Deus et pulsat, paratus adiuvare omnes ad suorum observantiam praeceptorum » (1).

---

(1) *De Iustif.* q. 13. Concl. 5; Cf. BELLARM. *De gr. et lib. arb.* II. c. 8.

OBIECTIONES

1. Deus dicitur peccatores *obdurare* (1). Atqui ut Augustinus explicat, « non equidem Deus indurat impertiendo malitiam, sed non impertiendo *misericordiam* » (2). Ergo Deus obduratis gratiam omnino subtrahit.

Resp.: Trans. Mai.: Dist. min.: subtrahendo *uberiores* gratias et *permittendo* peccatoris obdurationem, *Conc.;* negando omne auxilium, etiam gratiam *orationis*, ita ut his impossibile prorsus sit poenitere, *Nego*, etc. — Itaque ideo dicitur Deus indurare perversissimos peccatores, seu non impertire his *misericordiam*, quia neque speciali eos protectione prosequitur, neque eis confert gratiam, cui infallibiliter connectitur realis conversio; non autem eo quod omne suum auxilium denegat.

2. Atqui obcaecatis subtrahitur omnis gratia. Nam Deus non vult conversionem obstinatorum, quos excaecat imo ne convertantur, et tanquam inemendabiles despicit. Legimus enim: « *Excaeca cor populi huius... ne forte videat... et convertatur, et sanem eum* » (3). Quod ipsum a Joanne incredulis Iudaeis sui temporis applicatur: « *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos* » (4). Hinc etiam hi peccatores inemendabiles prorsus asseruntur: « *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit* » (5). Atqui si Deus obstinatis gra-

---

(1) « *Ego indurabo cor eius* (Pharaonis)... *et non audiet vos* » Ex. VII, 5. Ibid. IX, 12 et *Rom.* IX, 18: « *Cuius vult miseretur, et quem vult indurat* ».

(2) Ep. 194, c. 3, n. 14.

(3) Is., VI, 10.

(4) Ioa., XII, 39-40.

(5) Eccl., VII, 14.

tiam conferret, sufficientem eorum conversionem vellet. Ergo.

Resp. Dist. Mai: Consequenter ad eorum praevisam obstinationem *Conc.; absolute* et *antecedenter, Nego. - Contrad. min.*, etc. - Ad testimonia ex Isaia et ex Joanne allata respondeo: ex his hoc unum tantum argui, non dari a Deo obduratis *uberiora auxilia quae efficaciter* cum actuali conversione praevidentur connexa, non autem *positive* excaecari in hunc finem ne videant et convertantur; quod est absurdum. Igitur haec omnia hoc sensu intelligenda sunt, quod a Deo praevidetur illorum impoenitentia finalis. Hoc modo ea explicat ipse Augustinus, qui ex citato loco Ioannis hanc obiectionem sibi proponit: « Si non potuerunt credere, quod peccatum est homini non facienti quod non potest facere? » Et respondet: « Non poterant credere, quia hoc Isaias propheta praedixerat, *quia hoc Deus futurum esse praevidit.* Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo *quia nolebant.* Malam quippe eorum voluntatem *praevidit Deus* et per prophetam praeannuntiavit ille cui abscondi futura non possunt... Sic autem non poterant credere non quia mutari in melius homines non possint, sed quando talia sapiunt, non possunt credere » (1).

(1) *Tract.* 33, n. 5 sqq. PL. 35,1776 sqq. — Eadem distinctio applicanda est textui, qui ex MATTH. obiicitur: *Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro* (XII, 32). Peccatum enim contra Sp. S. (ut explicat S. Thomas) non dicitur irremissibile, quin in hac vita remitti possit, sed *quia non facile* in hac vita remitti potest. Cuius difficultatis ratio est, quia peccatum praedictum contrariatur gratiae directe, per quam peccatum dimittitur. » *De Verit.* q. 24 a. 11 ad 7. « Non enim (ut alibi monet S. Doctor) hoc habet ordo divinae iustitiae, quod quandiu aliquis est in via sibi detur quod pertinet ad terminum viae. Immobiliter autem se habere vel in malo pertinet ad terminum viae; immobilitas enim et quies est terminus motus; tota autem praesens vita est status viae, quod demonstrat mutabilitas hominis et quantum ad corpus et quantum ad animam». *Comp. theol.* c. 145.

Ad testimonium autem Ecclesiastae respondeo: *a*) A S. Hieronymo aliisque plurimis interpretibus illud exponi de corporalibus defectibus, hoc est de *claudis*, *caecis*, *surdis*, etc., ita ut proverbialiter intelligi debeat: ut discant homines patienter sustinere quae Deus iustis de causis inemendata esse permittit (1). Iuxta hanc expositionem nulla, ut patet, difficultas in thesim nostram locum habet.

b) Si autem ad hominis cor sententia referatur, intelligi omnino debet sensu ab eodem Ecclesiaste alibi expresso: « *Perversi difficile corriguntur* » (2). Itaque non adest vera impotentia correctionem antecedens, sed magna tantum difficultas (3).

3. Atqui obstinati correctio impossibilis prorsus asseritur. « *Impossibile enim est* (legitur in ep. ad Hebr.) *eos qui semel sunt illuminati* (φωτισθέντας), *gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti... et prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam* (πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν) *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* » (4). Hinc Ioannes non esse pro iis orandum monet: « *Est peccatum ad mortem* (πρὸς θάνατον): *non pro illo dico ut roget quis* » (5). Ergo.

Resp. Testimonium Apostoli (adeo celebre in controversia *montanistica* et *novatiana*) non unam pati interpretationem. Nam alii putant Paulum loqui de illuminatione per *Baptisma*, quae utique renovari nequit (6). Alii, forte rectius, agi hic de

---

(1) Cf. MALDONATUM, qui ita litteraliter hunc versum vertit: « considera opus Dei et intelliges quod nemo potest rectum facere quod ille obliquum fecerit ». Cfr. etiam SA, ESTIUM, TIRINI, etc.

(2) c. I, 15.

(3) Cf. MENOCCHI, MALVENDA, etc.

(4) VI, 4.

(5) *Ep.* I, V, 16.

(6) De renovatione per Baptismum exponunt textum paulinum generatim antiqui Patres; ATHAN., AMRROS., CHRYSOST., AUGUST., THEODORET., etc., quos sequuntur S. THOMAS et inter recentiores ESTIUS

apostasia a fide suscepta ad Iudaismum censent (1). Sed etiam in hoc casu impossibilis dicitur poenitentia non *absolute,* sed *relative ad media ordinaria* praedicationis evangelicae, eo quod difficillima sit apostatae resipiscentia ob malam animi dispositionem, licet non sit simpliciter impossibilis, cum de facto etiam ex apostatis quidam denuo fidem amplexi sint et pro fide mortem subierint. Aliis verbis negat Apostolus respectu istorum efficaciam consuetae praedicationis fidei, eo quod apostatae, dum tales manent, communia haec resipiscentiae media respuunt; non autem negat Deum posse ipsorum cor emollire, neque affirmat eos omni divino auxilio privari (2).

Quad textum Ioannis, *Resp.*: *a*) Non *prohiberi* ab Apostolo orationem pro his peccatoribus, sed solum non *praecipi.* *b*) Hic sermonem esse de impoenitentia finali (3), vel *de apostasia* a fide (4). Itaque etsi accipiatur altera interpretatio quae videtur verior, hoc unum sequitur: non *imponi* (quin prohibeatur) fidelibus orationem praesertim publicam pro apostatis, ad *horrorem criminis;* non autem doceri absolutam impossibilitatem eorum conversionis (5).

Mariana, aliique pauci. Cf. Estium et Tirini in h. v. — Hi praecipue arguunt ex antithesi inter particulas *semel* et *rursus* (ἅπαξ πάλιν) et ex verbis: ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας; Baptismus enim exhibetur a Paulo tanquam repraesentatio crucifixionis, mortis et sepulturae Christi (Cf. *Rom.* VI, 4-13). Hinc qui baptismum iterare tentant, rursum, quantum in se est, Christum crucifigunt, et ludibrio exponunt. Cf. Corluy, *Spic. Dogm. biblicum* I, pag. 252-53.

(1) Ita S. Anselmus, Lyranus, Hugo, Menocchi, Tirini et plerique ex modernioribus. Cfr. Tirini, l. c., Corluy, l. c.

(2) Cf. Tirini l. c.

(3) Cf. Mariana in h. v.

(4) Cf. A Lapide, Menocchi, Tirini.

(5) S. Thomas sic exponit verba Ioannis: « Dicendum, quod non prohibetur aliquis pro quibuscumque peccatoribus in hac vita orare; sed in verbis Apostoli inductis significatur, quod non ad quemcumque

Articulus III.

Utrum gratia sufficiens detur infidelibus.

Praemittenda. — 1° *De quibus infidelibus sermo sit.* Loquimur hic non tam de infidelibus *positivis,* qui fidem christianam norunt quidem, at recipere detrectant, sed de *negativis,* qui nunquam fidei notitiam susceperunt et inquirimus, num istis *omnibus* detur a Deo gratia saltem *remote* sufficiens ad salutem.

2° *Errores.* — *Iansenius* post Lutherum et Calvinum asserit primam gratiam, quae a Deo hominibus confertur esse *fidem;* et inde deducit *omnes* infideles quocunque auxilio gratiae Dei omnino destitutos esse (1).

3° *Doctrina Ecclesiae.* — Licet formalis et explicita hac in re definitio afferri non possit, tamen ex damnatione quorundam doctrinae *iansenianae* capitum evidenter arguimus, Ecclesiam docere etiam ad infideles *in genere* influxum gratiae Christi extendi. Sic Alex. VIII damnavit hanc Arnaldi propositionem: « Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem rudem et inermem sine omni gratia sufficiente ». (2). Et iterum a Clem. XI hae Quesnelli propositiones prohibentur: « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum » (3): Nul-

---

pertinet pro obduratis in peccato orare, sed ad aliquem perfectum virum. Vel Apostolus loquitur de peccato ad mortem, quod scilicet usque ad mortem durat ». *De Verit.* q. 24 a. 11, ad 8.

(1) « Infideles (ita scribit *De Gr. Christi* III, c. 11) carent gratia sufficienti ad salutem tam proxima, quam remota, et omnibus principiis eius ».

(2) Cf. Denz., 1162.

(3) Ibid., 1242.

lae dantur gratiae nisi per fidem » (1): « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » (2). Ex his rigorose concludendum est, ex doctrina Ecclesiae, saltem *aliquibus* infidelibus gratiam aliquam ex merito Christi a Deo concedi. - Num vero *omnibus* infidelibus auxilium remote ad salutem sufficiens detur, non necessario inde argui debet. Hinc fit ut inter ipsos catholicos theologos non desint qui *aliquibus* tantum, non *omnibus* infidelibus hoc auxilium proferri contendant (3). Attamen sententia, quae neminem a gratiae sufficientis participatione excludit, non solum ut *pia*, sed tanquam *verior* a plerisque iure defenditur; utpote quae et Ecclesiae documentis et S. Scripturae dictis magis consentiat (4).

CONCLUSIO

Infidelibus omnibus adultis datur gratia, saltem remote sufficiens, qua possint ad fidem converti.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae: *a*) Generatim affirmat mortem et propitiationem Christi pro omnibus: « *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi* » (5). Atqui mors et propitiatio Christi meretur gratiam in *actu primo* iis pro quibus offertur. Ergo si pro *omnium* delictis mortuus est Christus, *omnibus* etiam infidelibus gratiam ad salutem sufficientem comparavit. - Item Christus (Verbum caro factum) dicitur: « *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem*

---

(1) Ibid., 1241.

(2) Ibid., 1244.

(3) Cf. GONET, *De Reprob.*, disp. 5 a. 5, aliosque in praecedenti art. citatos, qui etiam negant gratiam dari *omnibus* obduratis.

(4) Cf. BELLARM., *De Gr. et lib. arb.* II, c. 5. - SUAREZ, *De Gr.*, l. 4, c. 11-18. - GOTTI, *De Reprob.*, q. I, dub. 3.

(5) I IOA. II, 2. Cf. II, Cor. V, 15; I TIM. II, 6.

in hunc mundum » (1). Haec autem illuminatio intelligitur etiam et praesertim, ut Patres docent, in ordine supernaturali (2).

b) *Directe* docet voluntatem Dei *salvificam* etiam ad eos qui veritatem fidei non agnoscunt extendi: « *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* » (3). Et iterum: « *Deus... est Salvator omnium hominum maxime* (μάλιστα) *fidelium* » (4). Igitur non exclusive Salvator est fidelium, sed etiam infidelium. Non enim apud Deum est acceptio personarum; hinc « *non est distinctio apud Deum Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum* » (5).

2° *Ex Patribus.* Patres non solum omnibus modis universalitatem Redemptionis vindicant, sed saepe etiam explicite docent influxum Christi per gratiam ad ipsos infideles extendi (6).

Sic Greg. Nazianzenus scribit: « Omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus atque a serpente in fraudem inducti et per peccatum morte affecti ac per coelestem Adamum saluti restituti,

---

(1) Ioa. I, 9. Cf. Ibid. III, 19.

(2) « Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (ait Ioa. Chrys., *hom. 8*, *in Ioan.*, n. 1, PG. 59, 65) quomodo tot homines non illuminati manent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte suae mentis oculos claudentes huius lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, ut in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere ».

(3) I Tim. II, 4.

(4) Ibid. IV, 10. Cf. II Petr. III, 9.

(5) *Rom.*, X, 12.

(6) Cf. testimonia Irenaei, Ambr., Ioa. Chrys. et Augustin. superius allata pag. 277 sqq. - Quoad ampliorem doctrinae Patrum hac in re expositionem, cfr. Bellarm., l. c.; Tournely, l. c. et praesertim Montagne, *De Gr.*, p. II, l. 2, apud Migne, *Curs. theol.*, vol. 10, pag. 977, sqq.

atque ad vitae lignum, unde excideramus, per ignominiae lignum revocati sumus » (1). Item Auctor *de Vocatione gentium* (2) postquam pluribus adductis S. Scripturae textibus ostenderat universalitatem gratiae Dei Salvatoris, praeclare concludit: « Elaboratum est, quantum Dominus adiuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur *gratiam Dei omnibus affuisse, providentia quidem pari et bonitate generali;* sed multimodo opere diversaque mensura; quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, salvator omnium hominum, maxime fidelium. Dicendo enim: *Qui est Salvator omnium hominum*, confirmat bonitatem Dei super universos homines esse generalem: adiiciendo autem *maxime fidelium,* ostendit esse partem generis humani, quae merito fidei divinitus inspiratae ad summam atque aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur (3) ».

Nec minus efficaci calamo idem inculcat Orosius Augustini discipulus: « Mea (ait) semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui *specialia ob credentium*

---

(1) *Orat.* 33, n. 9, PG., 36. 226.

(2) Auctor huius operis (quod nunc S. Prospero Aquit. nunc vero S. Leoni M. adiudicatum fuit) est quidem incertus: attamen certum est hoc scriptum apparuisse medio saec. V, et genuinam de gratia oeconomiam ex mente S. Augustini in eo strenue vindicari. Cfr. Patrol. FESSLER-IUNGMANN, § 227, IV, nota 1. - BARDENHEWER, PATROL. § 95, n. 5.

(3) L. II, c. 31, PL. 51, 716. - Ibid. autem cap. 14, de ipsis infidelibus ante adventum Christi scripserat: « Neque ab hoc excusabiles sunt nationes, quae alienatae a conversatione Israel, spem non non habentes, et sine Deo in hoc mundo sub ignorantiae tenebris perierunt, quia haec abundantia gratiae, quae nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris occultiorisque gratiae fuit, sufficit tamen, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium ».

fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam *universis in hoc mundo gentibus* propter longanimen sui aeternamque clementiam subministrare; non ut tu (*Pelagie*) asseris cum discipulo tuo Coelestio!... in solo naturali bono et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam: sed speciatim quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per ἀτόμους *et cunctis et singulis ministrare* (1). Etiam ipse Augustinus licet parce de gratia infidelium loquatur, eo quod timeret ne Pelagius ansam sumeret negandi gratuitatem et supernaturalitatem gratiae, quam ipse aeque universalem esse ac naturam dictitabat; tamen non semel neque obscure fatetur nullum hominem divinae gratiae luce penitus destitui. Sic solemne Augustini principium est: omnes homines posse si velint, ad praecepta Dei adimplenda se convertere; et ad hoc gratia Dei quem que iuvari ne ad impossibilia obligetur. « Illud autem (ait) lumen *quod illuminat omnem hominem,* non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad eius praecepta implenda convertunt. *Quod omnes homines possunt si velint,* quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum » (2). « Ideo enim (ait iterum) *homo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur* » (3). Item directe respondens iis qui peccata sua ex naturae lapsae influxu determinante excusabant, eaque non sibi imputari posse contendebant, scribit: « Quibus breviter respondetur, ut quiescant, et adversus Deum murmurare desistant: recte enim fortasse querentur, si erroris et libidinis nullus victor exsisteret; cum vero ubique sit praesens, qui multis modis per crea-

(1) *Apolog. de lib. arbitr.*, n. 19, PL. 31 - 1788. Cfr. et S. Prosperum, *Resp. ad 16 ob. Vincent.*, PL. 51, 185.

(2) *De Gen. Cont. Manich.*, I, 3, PL. 34, 176.

(3) *De Gr. et lib. Arb.*, n. 9, PL. 44, 887.

turam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuvet, *exaudiat deprecantem:* non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed *quod volentem sanare contemnis* (1). Iure merito etiam Card. Norisius advertit, ex hoc testimonio inferendum esse infidelibus quoque ex doctrina Augustini *auxilium Dei internum,* saltem *remotum* a Deo afferri; disserit enim S. Doctor de omnibus et singulis hominibus, et de auxilio voluntatis debilitatem roborante et *infirmitatem sanante,* quo peccatores inexcusabiles efficiuntur (2).

3° *Ex doctrina S. Thomae,* qui explicite affirmat gratiam nulli deesse; sed eos tantum gratiae effectu privari, qui praevenienti gratiae impedimentum praestant: « Deus (ait) vult omnes homines salvos fieri, et ideo *gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* » (3). Et iterum: « Deus quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare: *Omnes enim vult salvos fieri* et ad agnitionem veritatis venire... Sed illi soli gratia privantur qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant: sicut sole illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequitur, licet videre non possit nisi lumine solis praeveniatur » (4). Insuper solemnis est Angelici doctrina, neminem se posse ad gratiam praeparare *sine gratia.* Atqui ipso affirmante quilibet homo rationis

---

(1) *De Natura et Gr.*, n. 81, PL. 44, 288 sqq. - Similiter explicans v. 7, psal. 18: « *nec est qui se abscondat a calore eius* »; ait: « Non permisit (Verbum caro factum) ullum mortalium excusare se de umbra mortis, *et ipsam enim penetravit Verbi calor* ». In psal. 18, n. 7, PL. 36, 155. Alia plura Augustini testimonia exhibent MONTAGNE et DESCHAMPS, *De haer. iansen.* III, disp. 8, c. 6-12.

(2) *Janseniani erroris calumniae sublatae*, c. 1.

(3) In *Hebr.*, lect. 3, v. 12.

(4) *C. Gent.*, III, c. 160.

et liberi arbitrii usum habens potest se ad gratiam praeparare. Scribit enim: « Quandiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, potest ad gratiam se praeparare de peccatis dolendo » (1).

4° *Ex ratione.* Eadem momenta quae superius attulimus ad ostendendam gratiae sufficientis, saltem *remote*, largitionem peccatoribus *obduratis*, a fortiori valent etiam pro infidelibus *negativis*, qui Dei misericordiam minus demerentur ac peccatores obstinati. Et certe si omnibus hominibus praeceptum legis Dei adimplendae instat, omnibus etiam praesto esse debet gratia sanans et roborans, saltem *quoad modum* supernaturalis, sine qua lex impleri non potest (2).

Scholia. - 1° *Qua ratione gratia salutaris infidelibus adultis applicari in eisque explicari concipitur.* - Quoniam « *sine fide impossibile est placere Deo* » (3), manifestum est nullam adulti infidelis conversionem concipi posse sine *actu fidei supernaturalis*, et hinc sine praevia cognitione veritatum fidei quae *necessitate medii* credenda sunt. Quo autem providentiae ordine harum veritatum manifestatio fiat infidelibus ad quos Evangelii notitia nondum pervenit, et ita fiat ut hi liberum mentis assensum et cordis affectum cognitis veritatibus praestent, nobis compertum non est; cum id tantum ex S. Scripturae et Ecclesiae doctrina nobis constet, scilicet: Deum hinc nemini, quantum ex se est, deesse nec quempiam perire pati citra voluntariae culpae reatum; inde vero miris ac variis modis electorum saluti prospicere (4). Attamen attenta ordinaria divinae oeconomiae

---

(1) IV, *Dist.* 20, q. 1, a. 1.

(2) Cf. Gotti, *De Repr.* q. 1, dub. 3. - Salmantic., tr. 111, q. 14, dub. 3.

(3) *Hebr.*, XI, 6.

(4) Iuvat hic referre memorabilia verba quibus hunc Ecclesiae sensum exprimit *Pius IX* in Encycl. ad Cardinales, Archiep. et Epi-

ratione, ex praestitutis principiis haec pie aeque ac vere statui posse videntur.

a) Deus infidelibus qui ex auxilio gratiae *quoad modum* supernaturalis legem moralem in omnium cordibus inscriptam servare satagunt, largitur ex sua benevolentia et iuxta suam voluntatem salvandi omnes *uberiora* auxilia, item *quoad modum* supernaturalia, ut possint etiam graviora legis praecepta adimplere. Si infideles his auxiliis obsequuntur, Deus concedit illis *primam gratiam entitative supernaturalem*, qua per illuminationem intellectus et per pium credulitatis affectum ad *actum fidei supernaturalis* praeparentur, et simul eis quae necessario ad salutem credenda sunt *aliquo modo* et praesertim atque ordinarie per internam inspirationem revelat. Haec est celebris S. Thomae sententia qui disserens de necessitate ad salutem actus *expliciti* fidei docet, pertinere ad divinam providentiam ut cuilibet honesto homini qui invincibili fidei ignorantia laborat, aliquo modo revelentur quae necessario credenda sunt. « Dicendum quod non sequitur inconveniens, posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis, vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, *certissime est te-*

---

scopos Italiae, 10 Aug. 1863: « Notum Nobis Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia *minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat.* » Denz. 1529.

nendum, quod ei Deus vel per internam ispirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium » (1).

b) Quoad autem huius revelationis extensionem certum est non esse necessarium ad salutem actum fidei *explicitum* (hoc est praevia cognitione obiecti crediti) omnium veritatum, vel etiam mysteriorum religionis christianae. Quinimo, plures theologi, et *moderniores communiter* censent, haec *duo* tantum necessitate *medii* ab omnibus credenda esse actu fidei *explicito*, idest: *esse unum Deum, eundemque esse hominum remuneratorem;* hinc quoad reliqua mysteria, quae implicite in illis duabus veritatibus continentur, sufficere pro adultis infidelibus ad quos Evangelii notitia nondum pervenit fidem et cognitionem *implicitam* (2). Egregie S. Thomas: « Omnes articuli (fidei) *implicite continentur* in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud Hebr. XI-6: *accedentem ad Deum aportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* In esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter exsistere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem » (3). Hinc idem Angelicus loquens de iis, quibus non fuit promulgata Evangelii doctrina qui tamen salvati dicuntur, etsi vel ipsa mysteria *Trinitatis* et *Incarnationis* non noverint, ait: « Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fue-

---

(1) *De Verit.* q. 14, a. 11 ad 1.

(2) De hac sententia egregie et ample disserit Card. Fischer: *Commentatio de salute infidelium*, praesertim c. XI. Cf. etiam Suarez: *De fide*, *Disp.* 12, sect. 4. Ceterum de hac ipsa quaestione fusius infra, ubi de necessitate motus fidei ad iustificationem sermo erit.

(3) II, II, q. 1 a. 7.

runt salvati absque fide mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem *explicitam*, habuerunt tamen fidem *implicitam* in divina providentia credentes Deum esse liberatorem hominum secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset » (1).

c) His praemissis haud difficile est concipere modum quo iuxta ordinariam Dei providentiam infideles elevari possint ad actum fidei *explicitum* eliciendum, qui necessarius est ad salutem. Constat enim quemlibet hominem naturali rationis lumine *per ea quae facta sunt*, certo cognoscere posse Deum unum et verum omnium principium et finem, et supremum remuneratorem, qui praemia in altera vita bonis actionibus conferat, pravisque poenas infligat. Insuper, cum « insit (ut loquitur S. Thomas) homini naturale desiderium cognoscendi causam cum intuetur effectum » (2); anima rationalis, si praesertim a pravis moribus non impediatur, naturaliter tendit in Deum summum bonum, cuius actionem in se praesentem multiformiter experitur. Haec equidem cognitio Dei, et hi motus animi in Deum *naturales* cum sint, et hinc nullam habeant proportionem entitativam ad ordinem supernaturalem minime ad salutem sufficiunt, sed omnino requiritur *fides supernaturalis*, idest firma adhaesio his veritatibus *ob auctoritatem*

---

(1) Ibid. q. 2, a. 7 ad 3. In hoc Angelici testimonio legitime arguitur fidem *implicitam* Incarnationis fuisse sufficientem ante Evangelii promulgationem, et hinc pari ratione sufficere etiam nunc pro iis, qui *inculpabiliter* evangelii notitiam non habent. Neque enim censendum est conditionem infidelium quoad possibilitatem salutis deteriorem et difficiliorem effectam fuisse post *adventum Salvatoris*. Itaque cum S. Thomas asserit (in hoc art. et anteriori) post *promulgationem* Evangelii necessariam esse fidem *explicitam Trinitatis et Incarnationis*, eum de *promulgatione relativa* loqui censendum est, ita ut Fides explicita necessaria sit omnibus iis, qui quomodocumque christianae legis notitiam sibi comparare potuerint.

(2) I, q. 12, a. 1; *C. Gentes*, l. III, c. 51; *Comp. Th.* c. 104.

Dei revelantis. At vero horum actuum elevatio ad ordinem supernaturalem facillime fieri intelligitur per *ipsam internam Dei inspirationem*, quae naturalem ipsius Dei cognitionem perficiat, elevet atque efficiat firmissimam persuasionem in hac ipsa superna Dei illustratione atque inspiratione fundatam. Tunc demum actus fidei supernaturalis habetur qui est ad salutem necessarius et sufficiens.

2° *De gratia sufficiente relate ad infantes, qui sine baptismo decedunt.* — *a*) Pia et, nunc saltem, communis sententia tenet Deum quantum in se est, etiam infantulis sine baptismo decedentibus auxilia ad salutem *sufficientia* praeparasse. Et recte quidem; nam etiam parvuli isti pertinent ad *omnes* homines, quos Deus vult salvos fieri. « Numquid parvuli (ait *Augustinus*) homines non sunt, ut pertineant ad id quod dictum est: *Omnes homines*, I *Tim.* II, 4? » (1). Hinc Auctor libr. *de Vocatione gentium* sapienter concludit: « Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant partem, quae semper universis est impensa nationibus » (2). Hucusque omnes conveniunt. Sed quaeri ulterius potest: num et quomodo gratia sufficiens his infantulis a Deo concedatur.

b) Et equidem non desunt inter ipsos catholicos theologos, qui insuper arbitrantur auxilium sufficiens, vel salutis remedium istis parvulis miris modis a Deo applicari. Sunt itaque, qui comminiscuntur illustrationem et inspirationem specialem a Deo iis immitti, qua libere possint actum fidei et amoris Dei elicere, vel *votum* baptismi *ante* vel statim *post* mortem proferre; quinimo eousque imaginationi indulgent ut probabile conseant baptismum ab

(1) *Cont. Iulian.*, l. 4, n. 42, PL. 44, 759.

(2) II, c. 23, PL. 51, 709.

Angelis his parvulis administrari (1). Alii baptismum suppleri posse opinantur per fidem et preces parentum (2), vel etiam per piam infantium praematuram mortem (3). Haec tamen opinamenta utpote fictitia, arbitraria atque etiam erronea defendi nequeunt. Ad quid enim sancta Ecclesiae sollicitudo ne desit pueris baptisma, si aliud ipsis remedium suppetit? Qua autem ratione haec opinionum figmenta componi possunt cum doctrina Ecclesiae, quae pro certo supponit quosdam *ob solum originale peccatum* aeterna salute privari? (4). Illud vero quod asseritur *post mortem* elici posse actum vitae aeternae meritorium, adversatur doctrinae catholicae asserenti omnem merendi facultatem cum ipsa morte cessare. Demum quod additur baptismum suppleri per fidem parentum vel per acerbum pueri obitum haud convenire videtur cum dogmate *de necessitate medii* ipsius baptismi vel in re, vel in voto. Itaque his sententiis exclusis, satius est

(1) Cfr. KNOLL qui ita, dubitanter tamen, scribit: « Quaeri potest an possibile non sit dicendum, Deum qui voluit ut baptismus fluminis in adultis per baptismum flaminis et sanguinis suppleri possit, ex infinitis sapientiae suae thesauris pro infantibus quoque medium quoddam statuisse, quo etiam in infantibus baptismus suppleretur? Ac praeterea quaeri potest an Deus, qui ex infinita bonitate decrevit, ut baptismus necessitate urgente, a quocumque masculo, vel femina imo ab haeretico valide et licite conferri possit, non etiam angelis facultatem tribuere potuerit, deficientibus hominibus baptisma, infantibus antequam expirent ministrandi? » *Comp. theol.* vol. II, § 325. Cf. etiam KLEE, *Dogm.* edit. IV, pag. 645 sqq.

(2) Sic CAIETANUS in p. III, q. 68 a. 2 et 11. Constat tamen hanc sententiam iussu Pii V in *Commentariis* suppressam fuisse. Citantur pro hac opinione etiam BIEL, GERSONIUS, TOLETUS, etc. Cf. CHIRCHEN-LEXICON, Friburgi, 1899, art. *Taupe* IX.

(3) Cf. SCHELL, *Dogm.* vol. III, ed. I, p. 479. Cf. CHIRCHEN-LEXICON, ibid.

(4) *Conc. Florent.* definit: « illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendas », DENZ., 588.

dicamus nos hoc unum scire, Deum istis etiam pueris auxilium sufficiens *praeparasse.* Si autem de facto hoc ipsum vel remedium baptismi iis non *applicatur* id ex causarum secundarum impedimentis provenit, quae Deus universalis provisor *per miracula* auferre non tenetur.

Obiectiones. — 1° S. Scriptura affirmat Deum gentes dereliquisse ingredi vias suas sine Christo, sine spe, sine Deo (1). Ergo nulla iis gratia confertur.

Resp. Dist. Antec.: S. Scriptura affirmat gentes non habuisse legem scriptam Moysis, nec specialem revelationem et promissiones Dei, aut ulteriora auxilia supernaturalia quae Iudaeis concessa fuerunt, *Conc.; nullum* nec proximum neque *remotum* auxilium gentibus fuisse concessum, *Nego.* - Hic est sensus testimoniorum quae opponuntur; quod vel ex eo patet quod Apostolus in primo loco subiungit: « *Et quidem non sine testimonio semetipsum* (Deus) *reliquit* » (2).

2° Atqui nullum auxilium a Deo *quibusdam* saltem gentilibus concedi constat ex eo quod gentes quandoque ex positiva Dei voluntate a beneficio fidei excluduntur, prout asseritur Actuum c. XVI, ubi Apostoli prohibentur quominus in Asia Minore verbum Dei praedicent (3). Ergo.

Resp.: Dist. Ant.: Si Deus excludat a beneficio fidei tum proximo tum *remoto, Trans.;* si *a proximo* tantum et quidem *ad tempus, Subd.:* non concedit quandoque beneficium *praedicationis evangelicae* publicae et solemnis, *Conc.;* non confert singulis individuis saltem *remotum auxilium,*

---

(1) *Act.* XIV, 15: « *Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas* »; *Eph.* II, 12: « *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum promissionis, spem non habentes et sine Deo in hoc mundo* ».

(2) *Act.* XIV, 16.

(3) v. 6. « *Transeuntes autem Phrygiam et Galatiae ragionem vetati sunt a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia* ».

quo converti possint, si recte honesteque vivant, *Nego.* - In adducto testimonio evidens est agi de oeconomia *transitoria,* quoad quasdam Asiae Minoris gentes, quibus tamen tempore opportuniori maximo fructu Evangelii sonus intonuit.

3° *Patres* explicite asserunt gratiam fidei non omnibus offerri. Sic Augustinus passim monet: « communem esse omnibus naturam non gratiam » (1). Et Fulgentius: « Non ergo putemus (scribit) gratiam Dei omnibus hominibus dari, non enim omnium est fides » (2).

Resp. Dist. : Patres docent non dari omnibus gratiam fidei proximam, vel gratiam conversionis sensu *semi-pelagiano, Conc.;* nullum dari *remotum* auxilium ad fidem, *Nego.*

Itaque his aliisque similibus dictis Patres non negant dari omnibus hominibus aliquod auxilium etiam *remote* sufficiens, sed expellunt universalitatem gratiae *proxime* sufficientis, quam urgebant *semi-pelagiani.* Isti enim docebant vocationem *proximam* ad fidem omnibus praesto esse; nec aliud requiri, quam *pium credulitatis affectum* per quem quilibet homo ipsam fidem sibi mereri potest. Cum autem haec pia credulitas in eorum sententia viribus naturalis arbitrii comparari ab unuquoque possit, eo ipso sequebatur etiam fidei gratiam non esse penitus gratuitam. Hanc igitur universalitatem *gratiae fidei* ob merita praecedentia Patres saec. V acriter adoriuntur.

4° Atqui ex Patribus nulla omnino gratia infidelibus datur. Ipsi enim docent *primam* gratiam esse fidem: « Fides ipsa (ait Augustinus) *prima* datur, ex qua impetrantur cetera, quae proprie opera nuncupatur, in quibus iuste

---

(1) Serm. 11, n. 4, etc.
(2) *De Veritat. praedest.* I, 20 PL 65,624.

vivitur » (1). Atqui ex eorum doctrina *fides non omnibus* datur: « Fides igitur (ait iterum Augustinus) et *inchoata* et perfecta est Dei donum, et hoc *donum quibusdam non datur* » (2). Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Fides, hoc est *inspiratio fidei*, *seu pius credulitatis affectus* est prima gratia *entitative* supernaturalis, *Conc.*; *actus ipse* fidei, seu fides ipsa etiam imperfecta, *Nego* (3). *Contrad. min. et nego Cons.* – Itaque non dicimus omnibus dari gratiam *credendi*, seu *ipsum actum fidei*, sed contendimus cunctis concedi auxilium *remotum*, quoad modum saltem supernaturale, et deinde *inspirationem fidei* quae est prima gratia vere supernaturalis, quae tamen *facultatem* tantum credendi confert non autem ipsumactum fidei. - Fides autem *prima* gratia vocatur non absolute, sed relative ad alia opera iustificationem proxime praecedentia. Hinc et S. Thomas docet: Prima conversio ad Deum fit per fidem » (4); et ipsum Conc. Trid. definit: « *Fidem esse humanae salutis initium, fundamentum et radicem omnis iustificationis* » (5).

---

(1) *De Praedest. Sanct.*, c. 7, n. 12, PL 44, 939.

(2) Ibid. cap. 8, n. 16, PL 44, 972.

(3) In Bulla *Auctorem fidei*, Iansenianorum *doctrina de fide velut prima gratia* his verbis damnatur: « Propositio, quae innuit fidem, a *qua incipit series gratiarum et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem quo homines fideles nominantur et sunt; perinde ac prior non esset gratia illa, quae *ut praevenit voluntatem sic praevenit et fidem* (Ex S. August. de dono persev. cap. 16, n. 41): suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea », prop. 22. Denz. 1385.

(4) I, II q. 113 a. 4.

(5) Sess. VI. Cf. Dechamps *haer. Jans.*, III, disp. 8, c. 12.

PARS III.

De effectibus gratiae.

I. *Effectus formales gratiae.* Remanet expedienda tractatio de effectibus gratiae habitualis. Horum alii sunt *formales*, alii vero ab ea procedunt tanquam a causa *afficiente*, vel *physica*, vel *morali*.

Effectus formales gratiae multiplices sunt, et dividi solent in *primarios* et *secundarios*.

1. Effectus *primarii* sunt: - *a*) Reddere hominem *deiformem*, seu participem divinae naturae iuxta illud: « *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* » (1). De hoc *formalissimo* gratiae effectu qui est veluti *prima* radix aliorum, satis ample diximus agentes de *essentia* gratiae habitualis (2).

b) *Iustificare hominem;* quod *duo* infert, scilicet ut homo a peccatis mundetur, et ut *positive* Deo gratus eiusque amicus efficiatur. Hic est effectus praecipuus, et *proximum* fundamentum ceterorum qui sequuntur.

c) Reddere hominem *filium Dei adoptivum et haeredem divinae gloriae.* Iustificatio enim est « translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei » (3), iuxta illud: « *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus* » (4). Hinc ab Apostolo iusti et electi prae-

---

(1) II Petr., I, 4.
(2) Cf. sup., p. 224 sqq.
(3) Trid., Sess. VI, cap. 4.
(4) I Ioa., III, 1.

destinati dicuntur in filios Dei adoptivos, utpote qui per Christum qui est filius naturalis, non spiritum servitutis in timore sed spiritum adoptionis filiorum Dei adepti sunt (1). Haec autem adoptio non est merum *ius extrinsecum ad hereditatem*, per externam voluntatis divinae declarationem, sed fit per *intrinsecam assimilationem* Deo et Filio Dei naturali per gratiam, quae a Spiritu S. diffunditur in cordibus iustorum (2), qua hi heredes vitae aeternae et coheredes Christi constituuntur. Hinc iterum *Apostolus:* « *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba* (Pater)... *Si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei coheredes autem Christi* » (3).

2. Effectus *secundarii* sunt: - *a*) *Animam iusti divino quodam fulgore ac caelesti pulcritudine perfundere.* « Est enim (ait Catechismus Rom.) gratia veluti splendor quidam et lux... quae ipsas animas pulcriores et splendidiores reddit » (4). Haec pulcritudo quasi connaturaliter oritur ex animae iusti superna assimilatione divinae naturae et ex comitatu virtutum, quae cum gratia simul in ea infunduntur. Venuste hunc gratiae effectum edisserit S. Ioa. Crysostomus: « Quemadmodum (scribit) si quis auream statuam,

---

(1) « *Praedestinavit nos* (*Deus Pater Domini nostri I. C.*) *in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae* ». *Eph.* I, 5.

(2) *Adoptio est gratuita assumptio personae extraneae in locum filii et heredis.* « In tantum enim (ait S. Thomas) aliquis homo adoptat alium sibi in filium, in quantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suae hereditatis. - Hoc autem dicitur hereditas alicuius ex quo ipse est dives. Et ideo, in quantum Deus admittit homines ad beatitudinis hereditatem, dicitur eos adoptare. Hoc autem plus habet adoptatio divina, quam humana; quia Deus hominem quem adoptat *idoneum facit per gratiae munus* ad hereditatem caelestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum iam idoneum eligit adoptando ». *S. Theol.* III, q. 23 a. 1.

(3) *Rom.* VIII, 15, 17.

(4) Part. II, c. 2, n. 50.

tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam, denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque folgentem restituit: sic et naturam nostram Deus peccati rubigine foedatam multoque affectam delictorum fumo illa pulcritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit et in aquas (baptismum) ceu in conflatorium iniiciens et pro igne Spiritus gratiam immittens, hinc renovatos cum solaribus radiis splendore decertantes educit contrito vetere homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito » (1).

b) *Efficere animam iusti templum Spiritus S.* Hunc etiam gratiae effectum frequenter S. Scriptura commemorat, et Patres eloquenter excolunt (2). Hic autem eo redit ut anima iusti ob gratiae pulcritudinem, Spiritui S. adeo placita sit, ut ipse ceu *Amor subsistens*, *ceu Donum et Sanctitas* novo modo novaque virtute praesens ei adsistat ut amans est in amato, in eaque inhabitet ut in domo sua colendus et amandus (3).

c) *Constituere hominem membrum vivum Christi* iuxta illud: « *Et vos estis corpus Christi et membra de membro* » (4). Sicut igitur palmes vitaliter coniungitur viti, sic iustus per gratiam unitur Christo, ab eo accipit vitale succum ut crescat, et fructus uberiores afferat. « Haec gratia (advertit egregie Vega) non est pro eadem habenda cum ea, quae iustis fit, dum merito Christi iustificantur; sed separabilis est ab illa et incrementum illius. Posset quidem Deus iustificare nos merito Christi et non efficere membra ipsius viva. Verum qui nostrae humanitatis dignatus est fieri particeps, tantopere amat et diligit nos, cum sumus grati suis

---

(1) *Catech.* I *ad Illuminandos*, n. 3, PG 49 227.

(2) Sic I, *Cor.* III, 16. « *Nescitis quia templum Dei estis; et Spiritus Dei habitat in vobis?* » Cf. ibid. VI, 19; *Rom.* V, 5, etc.

(3) Quo sensu specialis haec Spiritus S. in iustis inhabitatio intelligi debeat, dictum est superius, p. 192 sqq.

(4) I *Cor.* XII, 27. Cf. *Galat.* II, 20; Ioa. XV, 4, 5.

beneficiis et suae redemptionis fructus gaudere volumus, ut velut coniuncta et insita sibi membra habeat nos et ut talia nutriat, foveat, diligat. Et habet vita gratiae novas, peculiares, et praegrandes praerogativas, quaeque multum conferant ad interioris hominis renovationem. Sollicitam enim Christus habet curam omnium iustorum suorum, et multo maiorem, quam nos corporis nostri, et veluti caput in membra iugiter in eis virtutem influit, quae ipsos renovet, et magis ac magis perficiat, et de virtute in virtutem in dies singulos proficere faciat » (1).

II. *Effectus* qui a gratia tanquam causa *efficiente* procedunt. - Horum alii sunt *physici* idest a gratia derivant per physicam causalitatem; alii vero sunt *morales* seu gratiae debentur tanquam causae morali.

1. *Effectus physici* habentur: - *a*) Actus supernaturales entitative sumpti, in quantum procedunt per propriam et directam efficientiam ab *anima deificata* per gratiam, tanquam a principio *quo* radicali, et a facultate elevata et actuata per virtutes infusas veluti a principio *quo proximo*.

b) Ipsae virtutes supernaturales tum theologicae, tum morales, quae in animam una cum gratia infunduntur. Hi enim habitus infusi ab ipsa gratia habituali per modum *influxus physici* emanare videntur (2). Et equidem iusta profundam atque organicam iustificationis conceptionem quam S. Thomas delineat ac semper defendit, virtutes infusae comparantur ad gratiam ut potentiae operativae ad animam. Sicut itaque ab animae essentia potentiae emanant *physice* per naturalem resultantiam, sic habitus infusi *effluunt*, *oriun-*

(1) *De Iustif.*, l. 5, c. 8; Cf. S. Thom., *Summ. Theol.* III, q. 69. a. 5-6.

(2) Haec est communis sententia in schola S. Thomae contra Suarez, qui causalitatem moralem defendit. Cf. Gotti, *De Gr. habit.*, q. 3, dub. 5, § 3. - Suarez, *De Gr.*, vol. III, *De Essentia gratiae habit.*, l. 6, c. 13, n. 19 sqq.

tur et *derivant* a gratia habituali tanquam ab eorum principio et radice (1).

2. *Effectus gratiae morales*, seu qui a gratia procedunt tanquam a causa morali, sunt quaedam rationes sive *respectus reales*, qui actibus supernaturalibus a gratia physice emanantibus insunt ad aliquod bonum ulterius obtinendum, secundum determinatam legem, ordinem et adaequationem, saltem proportionalem. *Tres* communiter enumerantur: *Satisfactio, impetratio*, et *meritum;* quatenus actibus supernaturalibus a iusto productis inest *vis* quaedam *satisfaciendi* pro culpis venialibus, et pro reatu poenae temporalis peccato mortali remisso adhuc debitae; vel *valor impetrandi* nova auxilia ac beneficia Dei; vel demum *ius* aliquod *obtinendi* a Deo retributionem. Inter hos effectus princeps est *meritum* in quo ceteri fundantur et ad quod facile reducuntur (2).

III. *De quibus effectibus in hac parte agendum sit.* — Ut ex dictis apparet *duo* sunt fundamentales gratiae effectus; alter est *iustificatio,* quae spectat ad gratiam quatenus est *operans* et *causa formalis;* alter est *meritum*, quod pertinet ad gratiam prout est *cooperans*, seu principium actuum perfecte salutarium. De his ergo duplici quaestione agendum erit.

---

(1) « Dicendum (ait Angelicus) quod sicut ab essentia animae effluunt eius potentiae quae sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus » I, II, q. 110, a. 4 ad 1. Hinc ex doctrina Angelici gratia non est *virtus*, sed *novus modus essendi* qui animae essentiam immediate afficit; seu est (ut ipse etiam loquitur): « habitudo quaedam, quae praesupponitur virtutibus infusis sicut earum principium et radix ». Ibid. a. 3, ad 3; cf. *De verit.* q. 27 a. 5, ad 17.

(2) Cf. Suarez, *De gr.* l. 12, proem. et c. 1.

QUAESTIO I.

De Iustificatione

1° *Questionis praestantia.* Doctrina iustificationis est summi momenti, tum in se spectata, utpote quae respicit primarium effectum *formalem* gratiae et maximum Redemptionis beneficium; tum relate ad controversiam contra Novatores saec. XVI, quorum haereticale systema theologicum fere fundatur in erronea conceptione modi, quo applicatur nobis redemptio Christi (1).

2° *Usus biblicus verbi* « iustificare ». Cum scriptoribus profanis notio iustificationis per Redemptionem comperta non fuerit, huius vocabuli genuina significatio ex Scriptura desumenda est. Iamvero quatuor praecipue sensibus vox *iustificare* (δικαιοῦν) a Scriptura sumitur: *a*) sensu *recognoscendi rectum agendi modum,* ut cum dicitur: « *Et iustificata est* (ἐδικαιώθη) *sapientia ab omnibus filius suis* », (2); idest omnes hi recognoverunt rectitudinem oeconomiae Providentiae divinae: *b*) sensu *excusandi*, vel *explicandi modum agendi* vel *loquendi,* ut in hoc textu: « *Ille autem* (legis peritus) *volens iustificare* (δικαιῶσαι) *seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est proximus meus?* » (3): *c*) sensu *declarandi aliquem iustum,* ita intelligitur illud: « *Qui iustificat impium et qui condemnat iustum abominabilis est uterque apud Deum* (4); vel illud: « *In verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* » (5); sensu *faciendi*, vel *constituendi iustum,*

(1) Cf. *Symb. Schmalk*, p. II, § 3: « Si hoc caput non conficitur (aiebat Lutherus de suo systemate iustificationis) actum est de nobis ». Tischreden; Cf. Möehler *Simbolic.,* c: 3, § 10.

(2) Luc., VII, 35. Cf. Math., XI, 19.

(3) Luc., X, 29.

(4) Prov., XVII, 15.

(5) Matth., XII, 37.

vel *subiective proficiendi in iustitia*, ut in his: « *Ne verearis usque ad mortem iustificari* » (1); et: « *Qui iustus est iustificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc* » (2).

3° *Quid significet iustificare peccatorem ex doctrina reformatorum.* Protestantes *tertio*, ex nuper expositis sensibus, vocabulum *iustificare* in Redemptionis applicatione sumendum esse docuerunt, hoc est sensu *forensi* ac *iudiciali*: « Vocabulum iustificationis (ita definit *solida Declaratio*) in hoc negotio significat *iustum pronuntiare*, a peccatis et ab aeternis suppliciis absolvere propter iustitiam Christi, quae a Deo fidei imputatur » (3). Iustificatio itaque impii iusta Protestantes, est tantum *extrinseca* et *declaratoria*, cum qua peccatum in anima coexsistit, quamvis hoc non imputetur; non autem est intrinseca et formalis auferens peccatum et constituens hominem *iustum*. Ob id etiam iustitia inde exorta non est hominis propria, sed est iustitia et sanctitas Christi, quae ab homine per *fidem* quasi manu apprehenditur (4).

---

(1) *Eccli.*, XVIII, 22.

(2) καὶ ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι. *Apoc.*, XXII, 11. Hunc sensum etymologia ut magis proprium insinuat. Iustificare enim ex vocibus *iustum* et *facio*, significat *iustum facere*. Et *iustificari* passive idem est ac *iustum fieri* hinc *iustificatio* etymologice est *iusti effectio*. Etiam vox graeca δικαιοῦν eundem sensum profert; notum est enim verba activa graeca quae ex adiectivis *proxime* formantur, significare tale obiectum effici, quale per adiectivum exprimitur.

(3) *De fide Iustific.* III, § 15. Cfr. Möehler, l. c.

(4) Etsi vero recentiores theologi lutherani mitius locuti fuerint, et quandam sanctificationem iustificati animae inhaerentem admittere videantur, nunquam tamen sanctificationem huiusmodi tanquam elementum formale vel constitutivum iustificationis habent, sed ut aliquid ab ipsa iustificatione distinctum, neque ad eam necessario pertinens, sed mere consequens ut eius fructum vel indicium! « Iustificatio (scribit Rothe, *Dogm.* Vol. II, P. II, § 54) est essentialiter applicatio satisfactionis Christi, et continet *tria* momenta, quae sunt: *a*) imputatio iustitiae Christi, scilicet *meriti* Christi; *b*) remissio peccatorum; *c*) reconciliatio cum Deo, hoc est adoptio in filios Dei. Iustificatio itaque est actus

4° *Natura iustificationis apud semiratioalistas* (1). Hi concedunt in iustificatione auferri peccata et quandam interioris hominis renovationem fieri. At vero haec interior renovatio est meri *ordinis ethici.* Iustificatio enim iuxta hos Auctores, eo perficitur, quod Deus largitur gratiam actualem, qua peccator *credat*, et de peccatis suis doleat, et insuper confert *ius* ad auxilia ulteriora, quibus homo iustificatus concupiscentiam vincat vitamque suam secundum rationalem indolem restituat. Hinc iustificatio in hac sententia est quidem aliqualis intrinseca renovatio, sed tamen est mere *dynamica*, non *formalis;* et quidem fere sistit intra ordinem naturalis honestatis.

5° *Conceptus catholicus iustificationis.* Iuxta doctrinam catholicam iustificatio sumenda est sensu *proprio* ita ut impius per eam vere et intrinsece fiat iustus et sanctus, non solum per remissionem peccatorum, sed per infusionem gratiae et caritatis, quae animae iustificati inhaereat, eamque in ordine supernaturali amicitiae et filiationis adoptivae Dei permanenter constituat. Ex quo consequitur iustificationem esse intrinsecam hominis renovationem et elevationem ad ordinem supernaturalem eamque non solum esse *dynamicam,* sed *formalem* et *habitualem.* Licet autem iustificâtio sit opus *instantaneum* omnipotentis Dei non temen in ea homo *adultus* mere *passive* se habet, sed libere cooperando gratiae actuali seipsum disponere ac praeparare potest et debet non solum per motum fidei, sed per alios etiam actus supernaturales, praesertim per detestationem peccati. Haec sunt fere praecipua catholicae iustifi-

---

Dei *forensis idest iudicialis*, quo peccator iustus *declaratur*, et eo ipso est *actus immanens*, scilicet per ipsam fit tantum mutatio *relationis* ex parte Dei erga peccatorem; non autem ulla fit mutatio in ipso peccatore ». Quomodo haec cohaereant haud facile explicatur.

(1) HERMES, GÜNTHER, HIRCHER aliique quorum sententias attulimus in *Prologomenis*, pag. 19 sq. et pag. 209 sq.

cationis capita, quae in hac quaestione a nobis defendenda atque exponenda sunt.

6° *Quaestionis distributio.* Decem articulis absolvitur quaestio a S. Thoma; in quibus iustificatio consideratur vel quoad sua elementa veluti constitutiva (a.a. 1-2 et 6); vel quad dispositiones in subiecto adulto ad eam necessarias (a.a. 3-5); vel quoad suas proprietates tum absolute (a.a. 7-8), tum relative ad alia omnipotentis Dei opera (a.a. 8-10).

Nos brevitatis causa sex articulis rem expediemus agentes:

I. De iustificatione quoad suum terminum *a quo,* seu de remissione peccatorum (a. 1 et 6).

II. De iustificatione in ordine ad terminum *ad quem,* seu de ipsius causa formali, quae est gratiae infusio (a. 2).

III. De necessitate dispositionis, *in genere,* ad iustificationem in adulto (a. 3).

IV. De necessitate fidei.

V. De necessitate aliorum actuum supernaturalium et praesertim detestationis peccati (a. 5).

VI. De proprietatibus iustificationis (a. 7-10).

Articulus I.

Utrum iustificatio impii sit remissio peccatorum.

Praemittenda. — Ad conceptum iustificationis ulterius evolvendum, iuvat conspectum exhibere doctrinae huius articuli in quo S. Thomas inquirit quae sit relatio inter iustificationem et remissionem peccatorum (1).

1° *A qua iustitia denominetur iustificatio.* Iustificatio (advertit S. Doctor) a iustitia dicitur, et ad iustitiam essen-

(1) Cf. etiam hic a. 6 et *De Verit.* q. 28 a. 1, ubi ample haec eadem doctrina evolvitur.

tialiter refertur. Iam vero iustitia, quae generatim quandam *rectitudinem* importat, *tripliciter* sumi potest: - *a*) ut est virtus quaedam particularis, quae rectificat hominem in suis actibus in comparatione ad alium singularem hominem, ut unicuique reddat quod suum est; et huic iustitiae opponuntur tantum culpae contra *ius privatum* ut v. g. furtum, rapina, etc.

b) Prout est iustitia *legalis* ordinans actus hominis in comparatione ad bonum societatis, ut toti communitati tribuat quod ipsi debetur.

c) Vel demum prout significat quendam *statum* seu dispositionem interiorem hominis secundum quam ipse se habet in debito ordine erga Deum, erga proximum et seipsum, ita scilicet ut *ratio* subdatur Deo, et vires inferiores subdantur rationi. Huic iustitiae omne peccatum opponitur, cum quaelibet culpa aliquid de hoc ordine deroget. Itaque iustificatio de qua loquimur, hoc est per quam homo fit iustus etiam in ordine supernaturali, non a iustitia primo vel altero modo sumpta, sed hac tertia denominatur, sive sicut motus a termino, sive sicut effectus formalis a causa; eaque definiri potest: *Interior hominis dispositio ac status quo ipse recte erga Deum, erga proximum et erga seipsum ordinatur* (1).

2° *Iustificatio active et passive accipi potest.* Prior est *actio Dei*, qua homo rectus constituitur; altera est *effectus* talis actionis, scilicet motus vel mutatio ipsius hominis ad iustitiam. Heic sermo est de iustificatione *passiva,* quae iterum contingere potest vel per modum simplicis generationis, idest per mutationem de *negatione* iustitiae ad huius formam; vel per modum *motus de contrario in contrarium* hoc est per transmutationem quandam *de statu iniustitiae* ad *statum iustitiae.*

(1) Cf. Gotti, *De Iustif.*, q. 1, § 1, dub. 1.

3° *Iustificatio generice sumpta praescindit a remissione peccatorum; iustificatio autem impii hanc includit concomitanter.* Ex dictis facilis est solutio quaestionis propositae. Iustificatio enim si *generice* sumatur, prout est motus, seu processus quo creatura rationalis iusta fit et elevatur ad participationem sanctitatis Dei, praescindendo a ratione huius motus, num scilicet fiat a mera negatione huius iustitiae, vel a contrario, idest ab impietate, neque est remissio peccatorum, neque eam includit; posset enim contingere etiam ei qui in peccato non esset dum huiusmodi iustitiam a Deo acciperet, sicut de facto Adam accepit iustitiam originalem.

Si autem iustificatio accipiatur ut motus vel mutatio a *contrario,* seu *specifice* tanquam iustificatio *impii*, tunc evidens est in ea necessario includi remissionem peccatorum tanquam abolitionem termini *a quo* oppositi. Cum hac tamen differentia quod si ipsa iustificatio consideretur formaliter tanquam simplex *motus de subiecto in subiectum,* videlicet sub *mera ratione transitus de impietate ad iustitiam* ea idem erit quoad rem ac peccatorum remissio, cum unus idemque motus sit quo terminus *a quo* aufertur et inducitur terminus *ad quem;* quamvis habeatur differens connotatio termini; idem enim motus dicitur remissio culpae per respectum ad terminum *a quo,* et iustificatio secundum respectum ad terminum *ad quem.* Si vero iustificatio spectetur praecise ceu *mutatio,* hoc est prout est corruptio culpae et generatio iustitiae, tunc remissio peccati et inductio iustitiae erunt quidem *duae mutationes diversae,* quia alia est ratio formalis corruptionis et alia generationis; attamen etiam sub hoc respectu iustificatio idem erit ac peccatorum remissio *concomitanter*, eo modo, quo generatio unius est corruptio alterius: « Si ergo (concludit Angelicus) iustificatio accipatur ut quidam motus, cum oporteat eundem motum intelligi quo peccatum aufertur et iustitia

inducitur; idem erit iustificatio quod peccatorum remissio, solum ratione differens prout ambo eundem motum nominant; sed unum secundum respectum ad terminum *a quo*, alium vero secundum respectum ad terminum *ad quem*. Si autem accipiatur iustificatio per viam mutationis, sic aliam mutationem significat iustificatio, scilicet iustitiae generationem; et aliam peccatorum remissio, scilicet corruptionem culpae. Sic autem iustificatio et remissio, peccatorum non erunt idem nisi per concomitantiam. Utrolibet autem modo iustificatio accipiatur, oportet quod a tali iustitia dicatur quae peccato cuilibet opposita sit; nam et motus de contrario in contrarium, et generatio et corruptio sese concomitantes, contrariorum sunt (1).

4° *Doctrina fidei.* Iustificationem impii includere necessario remissionem peccatorum, et hanc fieri per *totalem* eorundem abolitionem seu deletionem est dogma fidei a Conc. Trid. definitum: « *Si quis per Iesu Christi D. N. gratiam quae in baptismate confertur... asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A. S.* » « *in renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma* » (2). Ut hoc praecipuum iustificationis catholicae caput distinctius contra iustificationem forensem et imputativam Novatorum defendamus sit:

CONCLUSIO

In iustificatione impii peccata mortalia sic remittuntur, ut penitus auferantur ac deleantur nec quidquam remaneat quod culpae mortalis rationem habeat.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura.* Verum quidem est quaedam in S. Scriptura occurrere testimonia in quibus

---

(1) *De Veritate*, l. c.

(2) Sess. 5, n. 5, DENZ. 674. Cf. Sess. 6, cap. 7.

iustificatio impii illustratur, comparatione deducta ex processu forensi seu iudiciali quo iudex declarat delicta reo accusato non esse imputabilia. Attamen tam magno numero et tam explicita atque efficacia adsunt alia testimonia, quibus directe et positive docetur per iustificationem deleri penitus peccata impii, ut verissime Bellarminus asserere potuerit: « Scripturam uti omni genere vocabulorum, quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quaerat vocabula quibus perspicue declaret peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperiri quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit » (1).

Hinc pauca illa testimonia non exhibent nisi modum specialem illustrationis dogmatis de totali abolitione peccati per gratiam iustificantem; qui si ceteris adiungatur, fere complet numerum modorum quibus haec veritas exprimi potest. Et equidem: - *a*) Peccata eorum quibus Deus veniam largitur, dicuntur: *remitti* (2); *tolli* (3); *proiici in profundum maris* (4); *auferri* (5); *transferri* (6).

b) Directe dicuntur *deleri; exhauriri* « *Poenitemini igitur et convertimini ut deleantur* (εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι, unguento vel litura delere) *peccata vestra* (7): « *Christus se-*

---

(1) *De Iustif.* II, c. 7, n. 6.

(2) MATTH., IX, 2: « *Confide fili, remittuntur* (ἀφίενταί) *tibi peccata tua* ».

(3) IOA., I, 29: « *Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit* (ὁ αἴρων) *peccatum mundi* ».

(4) MICH., VII, 18-19: « *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?... Revertetur* (Dominus) *et miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras et proiiciet eas in profundum maris* ».

(5) I *Paral.* XXI, 8: « *Obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi* ».

(6) II *Reg.* XII, 13: « *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* ».

(7) *Act.* III, 19. Et ISA., XLIII, 25: « *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas* ». Item *Psal.* L. 3. 11, etc.

mel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata (εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας) (1).

c) Iustificatio exhibetur tanquam *lotio* (2), *ablutio* (3) et *mundatio* (4) per quam peccati macula sic detergetur ut iustificatus sit *lotus, dealbatus, mundus, et nihil damnationis sit in illo* (5).

2º *Ex Patribus* (6). Vel ipsi Novatores hac in re Patres sibi adversarios fatentur (7). Et equidem, diserte adeo hi praedicant per baptisma totalem produci peccatorum deletionem, ut iustificationem forensem Lutheri in antecessum refutasse videantur. Sic Barnabas nitide statuit: Christum nos sanctos efficere per intimam innovationem qua in filios Dei transformamur (8).

Et Iustinus explicans rationem qua iusto crimina non

---

(1) *Hebr.* IX, 28 et ibid. v. 26, dicitur Christus: « *in consummatione saeculorum ad destitutionem* (ἀθέτησιν, reiectionem, remotionem) *peccati apparuisse* ».

(2) Sic ISA. I, 18: « *Lavamini, mundi estote: si fuerint peccata vestra ut coccinum* (hebr.: tanquam bis tincta coccino) *quasi nix dealbabuntur: et si fuerint quasi vermiculus* (coccum), *velut lana alba erunt* ». (Hebraice vox *alba* non habetur, sed intelligitur (Cf. MALVENDA). Cf. et *Psal.* L, 9. EZECH. XXXVI, 25.

(3) « *Et haec quidem fuistis* (hoc est, flagitiis dediti); *sed abluti estis* (ἀπελούσασθε); *sed sanctificati estis* (ἡγιάσθητε) *in nomine D. N. I. C. et in Spiritu Dei nostri* ». I *Cor.* VI, 11.

(4) « *Sanguis I. Christi Filii eius* (Dei) *emundat* (καθαρίζει) *nos ab omni peccato... Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus ut remittat* (ἵνα ἀφῇ) *peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate* ». I IOA., I, 7-9.

(5) « *Nihil ergo nunc damnationis* (κατάκριμα) *est in iis, qui sunt in Christo Iesu* ». *Rom.* VIII, 1.

(6) Cf. BELLARM., *De Iustif.*, II, 2, c. 8. - VALENTIA, disp. 8, q. 5, p. 5. - KLEE, *Hist. dogm.*, part. II, cap. 5. *De Iustif. natura.*

(7) CALVINUS, *Inst.* III, c. 11, n. 15. Cf. VEGA. *De Just.* I. c. 23.

(8) ἐπεὶ οὖν ἀνακαινίσας ἡμᾶς ἐν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν, ἐποίησεν ἡμᾶς ἄλλον τύπον, ὡς παιδίων ἔχειν τὴν ψυχὴν, ὡς ἂν δὴ ἀναπλάσσοντος αὐτοῦ ἡμᾶς etc. *Epist.* n. 6. PG. 2, 742. Cf. CLEM. ALEX. *Strom.* VI, n. 9, PG. 9, 294, sqq.

imputantur ait: «Beatus cui non imputavit (λογίσηται) Dominus peccatum. Id autem hanc vim habet, ut peccatorum ex Deo remissionem (ἄφεσιν) accipiat (peccator iustificandus); nequaquam autem quemadmodum vosmetipsos decipitis, et alii quidem vobis similes, qui dicunt, *etiamsi peccatores sint, Deum tamen,* modo illum cognoscant, *non imputaturum illis peccatum* (1).

Item Ioa. Chrysost. in Sacr. Poenitentiae concedi peccatorum remissionem per eorundem purgationem, non autem per simplicem declarationem non imputationis perspicue tradit: « Sacerdotibus (ait) non corporis lepram, sed animae sordes non dico probare purgatas, sed purgare prorsus concessum est ». (2).

Etiam ipse Augustinus non semel iustificationem sensu *formali* inculcat eamque contra Pelagianas calumnias vindicat: « Quid enim aliud (scribit) *iustificati*, quam *iusti facti,* ab illo scilicet, qui iustificat impium (*Rom.* IV, 5) ut ex impio fiat iustus?... Unde aliter dicimus, Deus *sanctificat sanctos suos:* aliter autem, *sanctificetur nomen tuum.* Nam illud ideo, *quia ipse illos fecit esse sanctos qui non erant sancti* » (3). Cum vero Pelagiani ex quibusdam dictis Augustini falso reputantes concupiscentiam, quae in renatis remanet a S. Doctore haberi ceu peccatum formale, obiicerent « baptisma (ex sententia catholicorum) non dare indulgentiam peccatorum nec auferre crimina, sed radere, ut omnes peccatorum radices in mala carne teneantur » : Augusti-

---

(1) *Dial. cum Tryph.*, n. 141, PG. 6, 797 sqq. Etiam Theodoretus non imputationem culparum in istificatione intelligendam esse tanquam completam earundem abolitionem, ita ut in iustificato nulla remaneat macula non semel declarat: sic v. gr. In *Rom.* V, PG. 82, 95 ait.: « ἡ πίστις μὲν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἄφεσιν, καὶ ἀμώμους καὶ δικαίους διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγήνεσίας ἀπέφηνε ».

(2) *De Sacerd.* III, n. 6, PG. 48, 644.

(3) *De Sp. et Litt.,* n. 45, PL. 44, 228.

nus respondet: « Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, auferre crimina, non radere..., nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda » (1).

Postremo addimus Gregor. M., qui baptisma comparans cum transitu Israelitarum per mare rubrum ait: « Qui dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mare rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Ioa.* XIII, 10). Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest cui de peccato aliquid remansit » (2).

3° *Ex ratione theologica.* Iustificationem impii fieri per completam culpae remotionem efficaciter arguitur ex doctrina Pauli de relatione inter Redemptionem per Christum factam, et infectionem humanae naturae per Adae lapsum inductam. Et sane: - *a*) Multo magis nobis profuit (teste Apostolo) Christus, quam Adam nocuerit (3). Atqui per Adae peccatum vere et proprie constituti sumus peccatores; ergo per gratiam Christi vere et intime constituimur iusti per peccati eradicationem. « *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (οἱ πολλοί), *ita per unius obeditionem iusti constituentur multi* » (4).

---

(1) *Contra duas epist. Pelag. ad Bonif.* I. 13, PL. 44, 562, sqq. Cf. alia testimonia apud Vega l. c.

(2) *Ep.* 45, PL. 77, 1162.

(3) *Rom.*, V, 15-17.

(4) Ibid., 19.

b) Similiter iustificatio per Christi gratiam antithetice opponitur ab Apostolo *morti peccati*, tanquam *vivificatio in Christo:* « *Deus... propter nimiam caritatem, suam, qua dilexit nos, et quum essemus mortui peccatis convivificavit* (συνεζωοποίησεν) *nos in Christo* » (1). Atqui mortui eramus per veram susceptionem reatus culpae: Ergo vivificamur per veram deletionem eiusdem reatus.

4° *Ex ratione naturali*, cui omnino repugnat admittere impium aliquem a Deo declarari iustum, a poena absolvi, et praemio infinito dignum haberi, quin *intrinsecus* iustus et sanctus sit. Absurdum est enim aliquem a Deo ob merita Christi *aliter* reputari ac in seipso sit. Unus quidem pro alio satisfacere potest non autem unus pro alio iustus esse. Itaque, cum idem homo nequeat simul esse iustus et iniustus, et simul diligi a Deo ut amicus et odio haberi ut peccator; sic nequit cum iustificatione impii a Deo facta coexistere peccatum.

Obiectiones. — 1° Etiam in renatis remanet peccatum operans cum Apostolus de seipso dicat: « *Jam non operor illud sed quod habitat in me peccatum* » (2). Ergo.

---

(1) *Eph.*, II, 4-5.

(2) *Rom.*, VII, 20. Haec tamen verba iuxta interpretationem omnium Patrum graecorum (uno excepto *Methodio*) et praesertim *Ioa. Chrysost.*, non proferuntur ab Apostolo in *persona popria*, idest hominis *iusti* et *tentati*, sed in persona impii, seu veteris hominis sub peccato adhuc constituti. Vel ipse *Augustinus*, huic interpretationi adhaeserat, sed postea eam retractavit, scribens: « Visum autem aliquando etiam mihi fuerat hominem sub lege isto Apostoli sermone describi: sed vim fecerunt mihi postea ista verba quod ait: *Nunc autem iam non operor illud* Ad hoc enim et pertinet illud quod ait et postea: *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu:* et quia non video quomodo diceret homo sub lege: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem* (v. 22): cum ipsa delectatio boni, quod etiam non consentit ad malum (hoc est enim delectari) nonnisi gratiae deputanda sit ». *Cont. duas ep. Pelag.* I, 10 PL. 44, 560. - Augustini expositionem sequuntur *Estius, Caietanus, Bernardus a Piconio* et etiam omnes veteres interpre-

Resp. Dist. Mai: Idest remanet *concupiscentia*, quae peccatum metonymice dicitur, quia ex peccato est et ad peccatum inclinat, *Conc.;* peccatum *formale, Nego.*

2° Atqui concupiscentia est vere peccatum. Eo ipso enim quod ea est radix peccatorum, est formaliter mala. Ergo peccata in iustificatione saltem non ex radice tolluntur, sed raduntur.

Resp. Dist. Ant.: Concupiscentia est radix *univoca* et formalis peccatorum, *Nego; aequivoca* et occasionalis seu per modum inclinationis, *Conc.* et *Nego Cons.*, etc. Explico: concupiscentia non sic vocatur radix peccati ut v. g. radix capilli, quae capillus est; sed *analogice*, quia a peccato inducta est, eo modo ac scriptura dicitur manus scribentis; et quia si consensus adsit, evadit peccatum. Haec est responsio Augustini: « Concupiscentia (ita ipse) vocatur peccatum non utique quia peccatum est, sed quia a peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit » (1).

3° Atqui Scriptura docet peccata a Deo in iustificatis *tegi* tantum et *non imputari:* « *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputaverit Dominus peccata* » (2). « *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi et non reputans illis delicta ipsorum* » (3). Ergo in iustificatione peccata remanent etsi non imputentur.

Resp. Dist. Ant.: Deus dicitur peccata *tegere* quasi ea occultet ne appareant, *Nego;* ea remittendo, hoc est ea

---

tes protestantes et ianseniani. Plerique tamen ex modernis interpretationem Patrum graecorum amplectuntur. Cf. Corluy *Spic.* II, p. 292-99.

(1) *Cont. duas ep. Pel.*, I, c. 13, PL. 44, 262. sqq.

(2) *Psal.* XXXI, 1-2. Hos duos vers. affert Apostolus (*Rom.* IV, 7-8) ut evincat gratuitatem vocationis ad fidem et iustificationis, quae nullis naturae praecedentibus meritis debetur, sed est domum gratuitum Dei. Cf. etiam *Ezech.* XXXIII, 16.

(3) II *Cor.*, V, 19.

sanando ne sint, sicut medicus tegendo vulnus unguento illud sanat, vel eo modo quo tegi dicitur v. g. color albus, colore nigro, quo fit ut ille evanescat, *Conc.* - Haec est iterum Augustini explicatio, qui enarrans citata verba: « *Beati quorum tecta sunt peccata* » scribit: « Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere... Nec sic intelligatis quod dixi peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et crescant... Deus tegat vulnera, non tu... nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat et curet; emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus; sub tegmine vulnerati celalur vulnus » (1). Addimus etiam non posse tegi coram Deo peccata nisi prorsus auferantur: « *Nam omnia nuda et aperta sunt oculis eius* » (2). Quoad testimonium vero Apostoli advertimus illud « *non reputans* » (μὴ λογισόμενος) idem valere ac *condonans* per abolitionem delictorum, ut vel ex eo patet quod per reconciliationem Christi homo factus dicitur « *nova creatura* » (καινὴ κτίσις). (3).

Articulus II.

Utrum ad remissionem culpae, quae est iustificatio impii, requiratur gratiae infusio.

Praemittenda. — 1° Agimus de elemento positivo, seu de *causa formali* iustificationis, circa quam triplex quaestio institui potest: *a*) Utrum nunc *in praesenti providentia* iusti-

---

(1) *Enarr.*, II in hunc Psal. n. 9, PL. 36, 264 sq.
(2) *Hebr.*, IV, 13.
(3) II *Cor.*, V, 17.

ficatio impii fiat per infusionem gratiae sanctificantis. *b*) Utrum *sola* gratia habitualis sit causa formaliter iustificans. *c*) Utrum gratia sanctificans e *natura sua* peccato mortali opponatur.

2° Et quoad primum quidem, dogma fidei est ad iustificationem requiri gratiae sanctificantis infusionem, quae iustificato inhaereat tanquam iustitia propria.

3° Quoad alterum vero omnes catholici theologi contendunt gratiam qua remittuntur peccata esse unicam iustificationis causam formalem non solum quando iustificatio fit *virtute Sacramenti,* sed etiam (secus ac Vasquezio visum fuerit) *extra* Sacramentum.

4° Demum quoad tertium concors quoque est theologorum sententia, contra Scotum, gratiam iustificantem ita natura sua opponi iniquitati, ut eius coexsistentia cum peccato mortali in eodem subiecto sit prorsus impossibilis. Ut haec distinctius declaremus triplicem conclusionem statuimus.

CONCLUSIO I.

Iustificatio impii non est sola peccatorum remissio, sed est etiam sanctificatio et renovatio interioris hominis per infusionem gratiae habitualis.

Conclusio proponit doctrinam ab Ecclesia sancitam contra Reformatores, qui, ut iam vidimus nullam formam intrinsece iustificantem admittunt, sed totam iustificationem perfici docent per remissionem peccatorum, quae tunc contingit, cum peccator indubia fiducia credit iustitiam Christi ad se pertinere et ob eam peccata sibi non imputari (1).

---

(1) « Iustificabitur (scribit Calvinus) impius fide, quia operum iniustitiae exutus, Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in conspectu Dei non ut peccator sed tanquam iustus appareat ». Rem

Hunc errorem proscribit *Conc. Trid.*, statuens insuper gratiam esse unicam causam formalem iustificationis (1).

Probatur: — 1° *Ex S. Scriptura.* Huc faciunt, et quidem directe, ea omnia testimonia quibus probavimus gratiam iustificantem esse *donum* aliquod *reale* in anima nostra a Dea infusum eique inhaerens (2). Cum autem protestantes quibusdam Apostoli Pauli locutionibus ad suam iustificationem forensem adstruendam maxime abutantur, praestat heic adhuc distinctius eius doctrinam de iustificatione expendere. Itaque Paulus:

a) Iustificationem impii describit tanquam *regenerationem et renovationem interioris hominis:* « *Eramus enim* (scribit) *aliquando et nos insipientes increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis... Quum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis* (διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, και ἀνακαινώσεως) *Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae* » (3).

---

inde illustrat exemplo Iacob, qui pellibus haedinis pilosum Esau imitantibus indutus, primogeniturae benedictionem ab Isaac recepit, quamvis non esset primogenitus. *Instit.* III, c. 11, § 2.

(1) « Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat: A. S. ». Sess. VI, can. 11. Et ibid. cap. 7, docet: « Unica formalis causa (iustificationis impii) est iustitia Dei non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus iustitiam in nobis recipientes ». Denz. 681.

(2) Cf. pag. 191 sqq. - Ea omnia quae ibi attulimus ad evincendam ontologicam essentiam gratiae sanctificantis, probant idipsum quod in hac conclusione statuimus.

(3) *Tit.*, III, 3 sqq.

Baptismus igitur per quem peccatores salvi fiunt est, ex doctrina Apostoli, *lavacrum regenerationis*, quae novae vitae communicationem importat; item est *lavacrum renovationis,* qua pristinus status mutatur et quidem, propter exigentiam antithesis, ex statu peccati in statum sanctitatis. Hos autem per Spiritus Sancti infusionem renatos ac renovatos Apostolus vocat. *gratia iustificatos*. Ergo iustificatio fit essentialiter per infusionem gratiae (1).

b) Iterum, eam explicite exhibet tanquam instaurationem internam hominis veteris, seu lapsi per eius constitutionem in statu verae sanctitatis; et hanc instaurationem effici docet per actionem quodammodo creatricem cui ceu terminus realis respondet *nova creatura,* seu novus essendi modus: « *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* » (2). *Gratia enim* (τῇ γὰρ χάριτί) *estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis* (*Dei enim donum est*). ... *Ipsius enim sumus factura* (ποίημα) *creati* (κτισθέντες) *in Christo Iesu in operibus bonis* (ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, hoc est, ad opera bona exercenda) » (3).

c) Declarat hunc novum essendi modum in eo consistere ut iusti efficiantur « *conformes imagini Filii Dei* (4); ita ut nunc portent imaginem Adae coelestis, sicut prius portaverant imaginem terreni (5).

---

(1) Cf. etiam *Rom.*, V, 5.

(2) *Eph.*, IV, 23. Cf. *Rom.*, VI, 4-5.

(3) *Eph.*, II, 8-10. Cf. II *Cor.*, V, 17. - *Gal.* VI, 15. - Cf. etiam *Iacob.* I, 18.

(4) *Rom.*, VIII, 29: « *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui* ». (συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ).

(5) I *Cor.* XV, 49. - Cfr. praeclarum opusculum Wieser quod inscribitur « *Pauli Apost. doctrina de iustificatione.* » Ubi perpensis singulis locis in quibus occurrit vox iustificare, δικαιοῦν, in epistolis paulinis, ostendit: *a*) multo plures esse locos, qui sensum iustificationis *formalis*, quam qui sensum iustificationis *forensis* prae se ferunt: *b*) nul-

2° *Ex Patribus.* Non in sola remissione culpae, sed et praesertim in formali hominis sanctificatione sitam esse iustificationem Patres summo consensu et disertissimo eloquio tradere, iam alibi satis diffuse probatum est (1), et ceteroquin vel ipsi Protestantes haud diffitentur. Sufficiat itaque hic animadvertisse, semper Patres ac diligenter dum agunt de sacramentorum efficacia, distinguere duplex elementum iustificationis *negativum* et *positivum;* et ipsam iustificationem, eam etiam quae infantulis per baptisma confertur, proferre veluti regenerationem per quam nova homini inseritur vita, et coelesti quadam pulcritudine eius anima exornatur, vi cuius ipsa fit Deo amabilis. Sic Cyprianus effectus baptismatis a se recepti describens, ait: « Postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper *se lumen infudit,* postquam coelitus spiritu hausto, *in novum me hominem nativitas secunda reparavit*, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur geri posse, quod impossibile putabatur ut esset, agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse cepisse, quod iam Spiritus Sanctus animaret » (2). Et Basilius: « Baptismus est *mors peccati, regeneratio animae...* adoptionis donum » (3) Et Greg. Nyss.: « Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa... Baptismus hominem purgat... et

---

lum locum, qui de iustificatione *formali* agit, supponere *forensem; omnes* autem locos, qui de iustificatione *forensi* agunt, supponere iustificationem *formalem: c*) phrases *iustificari* ex fide, iustificari *gratis* et *gratia* nunquam sensum *forensem*, sed semper sensum *formalem* indicare, qui duplex continet elementum, idest *negativum*, *remissionis peccatorum*, et *positivum, renovationis mentis et spiritus.* Ibid. § 19, n. 10.

(1) Cfr. sup. pag. 213-14 et 228-31.

(2) *Epist. ad Donat.* 4 PL. 4, 204.

(3) *Hom.* 13, n. 5, PG. 31, 434.

ad pristinam pulcritudinem, quam optimus artifex Deus in nobis effinxerat, reducit (1) ».

Item Cyrillus Alex. de effectibus Eucharistiae disserens, scribit: « Dedit ergo suum corpus Christus pro vita omnium et per ipsum rursus in nobis vitam inserit » (2). Etiam Augustinus frequenter remissionem peccatorum secernit ab infusione gratiae et in hac rationem formalem iustificationis indicat. Sic. v. g. enarrans verba Psalmistae: « *Feci iudicium et iustitiam* » scribit: « Quis enim fecit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium, hoc est, *per gratiam facit iustum?* » (3). Demum Ioa. Chrysost. exponens illud *Eph.*: « *In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo* » (4) ita, eloquenter delineat effectus iustificationis per Christum: « Gratificavit... hoc est non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quemadmodum enim si quis scabiosum et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame confectum et perditum statim formosum fecerit iuvenem omnes homines pulcritudine vincentem...; at postea cum purpura induerit et diadema illi imposuerit et omni regio ornatu eum decoraverit; ita nostram instruxit et ornavit animam, pulcramque fecit, desiderabilem et amabilem. Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam... Ita nos etiam fecit gratiosissimos et sibi desiderabiles. *Concupiscet* enim inquit, *Rex speciem tuam* (*Psal.* 44. 13) (5).

---

(1) *Or. De Bapt. Christi.* PG. 46, 579. Cfr. etiam quoad effectum Poenitentiae, Ioa. Crysost. - *De compunctione* l. I, n. 8, PG. 47, 407.

(2) *II in Ioa.*, c. VI, 52, PG. 73, 566.

(3) In *Psalm.* 118, Serm. 26 PL. 37, 1577. Cfr. etiam *De Baptismo parvulorum*, I. 26, PL. 44, 131, etc.

(4) I, 6: Εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.

(5) PG. 62, p. 14. Cf. Vega *De Inst.* l. 5, c. 9, l. 7. c. 23, etc. Scheeben, *Dogm.* vol. II, n. 677 sqq., etc.

3° *Ex ratione theologica.* *a*) Fundamentalis ratio desumitur ex prima causa efficiente iustificationis, hoc est ex *dilectione Dei*, quae non aliter iustificationis impii causativa concipi potest, quam per efficientiam immutativam peccatoris, qua peccatis sublatis, rectitudo, seu novus essendi modus illi restituatur (1). Illud enim quod Novatores affirmant, fieri scilicet mutationem relationis ex parte Dei, non autem ex parte peccatoris absurdum est. Non enim ulla *relatio realis* ad extra in Deo exsurgere unquam potest; sed neque *relatio logica* in eo oriri potest, quin habeatur in creatura *reale* aliquod *correlativum*, quod sit illius fundamentum.

b) Dein argui etiam potest ex disertissima S. Scripturae doctrina circa capacitatem augmenti iustitiae nostrae (2). Iustitia enim Christi, per cuius imputationem iuxta Protestantes nos iustificamur, eadem semper manet, neque est augmenti capax. Ergo id per quod *formaliter* iusti efficimur est donum aliquod creatum nobis proprium et animae nostrae inhaerens. Neque opponi potest imputationem iustitiae Christi crescere posse secundum fidei magnitudinem; nam fides ex theoria reformatorum est *mera conditio applicans* iustitiam Christi, tamquam formam *extrinsecam* nostrae iustificationis. Porro quaecumque sit conditio applicans eandem formam, haec *inaequalis* esse nequit.

b) Demum addimus iustificationem *infantium* per baptisma vix intelligi posse, nisi haec per aliquod donum eorum animae infusum perficiatur. Nequeunt enim infantes actum fidei elicere quo sibi iustitiam Christi applicent.

Obiectiones. — 1. *Apostolus* docet ideo nos apud Deum iustificari quia « *Christus factus est nobis sapientia a Deo et*

---

(1) Cf. hic, I II, q. 110 a. 1. - *De Verit.* q. 27 a. 1, etc.
(2) Cf. sup., pag. 336 sqq.

iustitia et sanctificatio et redemptio » (1); et quia Christi obedientia nobis imputatur: « *Per unius obeditionem iusti constituentur multi* » (2). Ergo causa formalis nostrae iustificationis est iustitia Christi nobis imputata.

Resp. Dist. Antec.: Iustificamur quia Christus factus est nobis iustitia *meritorie* et *efficienter*, idest passione et morte sua nobis merendo redemptionem et iustificationem, *Conc.*; *formaliter* nobis imputando suam iustitiam, *Nego:* et *nego Consequens.* Itaque Apostolus in priori testimonio excludere intendit quamlibet rationem meriti a nostris operibus independenter a gratia Christi effectis respectu iustificationis, et asserit hanc unice repetendam esse a meritis Christi; dicit enim, vers. antec. « *Ut non glorietur omnis caro in conspectu eius* ». Adde, sic dici Christum nobis factum *iustitiam*, ut dicitur factus *sapientia* et *redemptio*. Atqui non *formaliter*, sed *active,* seu in genere causae *efficientis* Christus est nobis redemptio et sapientia, secus et redemptores essemus, et sapientes sapientia eius. Ceterum hae locutiones saepe in S. Scriptura occurrunt sensu *causae efficientis* et *meritoriae* ut cum Deus dicitur *fortitudo nostra* (3); *salus et illuminatio nostra* (4), *patientia nostra* (5), etc. - Demum ex testimonio Pauli, secundo allato, legitime arguitur Christum esse nobis iustitiam efficienter et meritorie tantum, non autem formaliter. Nam sic per Christi obeditionem nos constituimur iusti, ut per Adae inobedientiam facti sumus rei: iam vero peccatum Adae non est *causa formalis peccati originalis,* sed efficiens et meritoria.

2° Atqui Christus dicitur factus iustitia nostra ut causa

---

(1) I *Cor.*, I, 30.
(2) *Rom.*, V, 19.
(3) *Psalm.*, XVII, 2.
(4) Ibid., XXVI, I.
(5) Ibid., LXX, 5.

formalis, non quidem intrinseca, sed *extrinseca*. Revera iustitia, qua per Christum iustificamur, comparatur vesti qua induimur; quin imo haec vestis est ipse Christus. « *Induite novum hominem* » (idest Christum) (1); *Quicumque enim baptizati estis in Christo, Christum induistis* » (2). At vero, indumentum nos quidem tegit, non tamen nos innovat, sed est nobis extrinsecum.

Resp. Dist. Mai.: comparatur vesti ut indicetur gratiam nobis provenire extrinsecus a Deo tanquam a causa efficiente, et a Christo tanquam a causa meritoria, - *Conc.;* eo quod gratia non adhaereat nobis intrinsece fiatque nobis propria, *Nego*. - Equidem, qui veste induitur non exuit maculas aut deformitates corporis, sed eas tantum tegit. At vero ex eodem Apostolo qui Christum induit, *exuit veterem* hominem: « *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum* » (3); atque eo modo induit ut quomodo *Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, ita et *in novitate vitae ambulet* (4). Addimus, non infrequenter S. Scripturam ex more Orientalium uti hac similitudine *indumenti* ad indicandam intimam unionem formae cum subiecto, sic Christus dicitur: « *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* » (5); et gloriosa corporum resurrectio ita affirmatur: « *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* » (6).

---

(1) *Eph.*, IV, 24.
(2) *Gal.*, III, 27.
(3) *Coloss.*, III, 9-10.
(4) *Rom.*, VI, 4.
(5) *Philipp.*, II, 7.
(6) I *Cor.*, XV, 53.

CONCLUSIO II.

Sola gratia habitualis est causa formalis iustificationis etiam extra Sacramenti susceptionem.

Status quaestionis. - 1. Omnes theologi concedunt iustificationem parvulorum, et etiam adultorum, qui virtute sacramenti cum sola *attritione* iustificantur, per solam gratiam habitualem *formaliter* fieri. Verum cum omnibus perspectum sit per actum *contritionis*, seu *caritatis perfectae* cum solo sacramenti *voto* hominem adultum iustificationem adipisci, inquiri ulterius potest: num actus huiusmodi peccatorem *dispositive* tantum, vel etiam *formaliter* iustificet.

2º Vasquez censuit actum caritatis perfectae vim habere ex se ipso formaliter iustificandi impium (1).

Attamen haec singularis sententia merito ab omnibus excluditur utpote quae doctrinae Conc. Trid. satis evidenter adversatur (2).

Probatur. — 1º *Ex Doctrina Conc. Trid.*, quod: *a*) explicite docet: « *Unicam formalem causam* (iustificationis nostrae)

---

(1) In I, II disp. 203, c. 3 sqq. — Hic tamen Vasquez hanc sententiam tanquam probabilem tantum, et quidem attenta absoluta possibilitate proponit. Ait enim: « se *solum contendere esse probabile* contritionem formatam dilectione Dei super omnia ex se tantae virtutis esse, ut sine gratia habituali et sine novo favore ei accedente, nos possit iustificare de potentia absoluta, si separaretur ab habitu » cap. 10, n. 129. Verum in III p. disp. II, cap. 6, n. 62, eandem sententiam ut certam proponit, scribens: « In adulto qui iustificatur extra sacramentum magis certum est eum iustificari contritione, quam gratia habituali ».

(2) Cf. SUAREZ, *De Gratia* l. 6, cap. 3, n. 11 sqq. et praesertim ibid. toto cap. 13. Hanc VASQUEZII opinionem in eo quod admittit iustificationem quandoque fieri per aliam causam formalem, quam per gratiam habitualem, Eximius *temerariam* iudicat: In III p. disp. 4, sect. 8.

esse iustitiam Dei... qua nos iustos facit, iustitiam in nobis recipientes, (1). Ergo de facto saltem in praesenti providentiae ordine nequit alia formalis causa induci a gratia habituali diversa (2).

b) Declarat nihil eorum quae praecedunt gratiae et caritatis habitualis infusionem, ipsam instificationem mereri de condigno: « *Gratis autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur* ». (3).

Itaque si nullus poenitentis actus iustificationem promereri potest, multo minus actus contritionis et caritatis a peccatore elicitus eam *formaliter* causare potest.

Demum, inter actus ad iustificationem *disponentes* enumerat etiam actum caritatis perfectae, [quo peccatores « Deum tanquam *omnis iustitiae* (sanctitatis) *fontem diligere incipiunt* » (4). Atqui actus ad formam disponentes nequeunt essentialiter constituere ipsam formam (5).

2° *Ex ratione theologica.* Conclusio nostra confirmatur ex analysi actus caritatis quem poenitens elicit. Huiusmodi enim actus cum sit non solum *entitative*, sed etiam in ratione *dignitatis moralis*, seu meriti *finitus,* et insuper sit actus hominis *nondum iustificati*, impar omnino est ad perfectam Deo pro peccato satisfactionem exhibendam; ad hanc enim actus meriti *infiniti,* ut fuit passio Christi, exi-

(1) Sess. 6, cap. 7.

(2) Constat mentem Concilii fuisse iustificationem nostram perfici per donum nobis infusum atque nostrae animae inhaeres. Cf. PALLAVICINO, *Ist. del Conc. di Trento*, 1, 8, c. 14.

(3) Sess. 6, cap. 8.

(4) Sess. 6, cap. 6.

(5) Obiectio, quam VASQUEZ desumit a Sess. 14, cap. 4 Conc. Trid., ubi declaratur « *reconciliationem* (iustificationem) *ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* » nulla est. Nam Concilium non tribuit contritioni vim iustificandi *formaliter*, sed solum *dispositive.*

gitur. Atqui si actus contritionis et caritatis poenitentem formaliter iustificarent, eo ipso de se et perfecte per hos actus peccator Deo satisfaceret; quia per hos actus formaliter auferretur offensa sive iniuria Deo illata, et impius fieret Deo intrinsece amabilis et gratus. Ergo.

Scholia. — 1° *An de potentia Dei absoluta possibilis censenda sit alia iustificationis causa formalis ab infusione gratiae diversa.* Scotus instituens subtilem quaestionem (ceteroquin haud magni momenti) de *possibilitate* alterius modi iustificationis et deletionis peccatorum, censuit in alio providentiae ordine peccatorem iustificari posse sine infusione gratiae per Dei favorem extrinsecum ex quo consequatur culparum deletio (1). - Verum schola S. Thomae id negat, contendens iustificationem impii concipi non posse sine infusione gratiae (2).

Haec altera sententia, si sermo sit de iustificatione in ordine supernaturali, vera utique apparet. Et equidem; negandum omnino videtur *unum eundemque effectum formalem* diversae causae tribui posse. Cum igitur constet de facto *unicam* causam formalem iustificationis esse gratiam habitualem, nulla alia causa admitti potest. Nec merus favor Dei extrinsecus supponi potest tanquam causa formaliter delens peccata, cum nequeat intelligi dilectio Dei efficax quae nullam realem entitatem in subiecto dilecto ponat.

Si tamen praescindatur ab elevatione creaturae ad ordinem supernaturalem, nullum dubium esse potest condonationem culpae contra legem naturalem a Deo fieri posse extrinseca benevolentia ex qua tamen producatur *recti-*

(1) Cf. *Script. Oxon.* I dist. 17, q. 1, a. 2. - MONTEFORTINO, tom. 4, q. 113, *art. incidens.* Cf. et VASQUEZ l. c. et I, II, disp. 106.

(2) Cf. GONET, *de Iustif.* disp. I, a. 3. - GOTTI, *De ess. Iustif.* q. 1, dub. 5, § 1. S. THOMAS, in hoc art. II, simpliciter concludit: « *Non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae* ».

ficatio facultatum naturalium subiecti hac ratione iustificati.

2° *Quae sit formalis causa remissionis peccatorum venialium.* - *a*) Certum est veniales culpas non remitti nisi homini habenti gratiam habitualem; quia homo nondum iustificatus nihil exhibere potest, quo talem remissionem obtineat; neque enim Deus retractationem offensae *levis* ratam habere potest, si fiat ab eo qui offensae gravi affectu suo adhaeret (1).

b) Item certum est hanc remissionem extra sacramentum non contingere *sine actu poenitentis*, idest independenter ab actu contritionis vel caritatis; vel sine congrua dispositione in sacramenti susceptione (2).

c) Quae autem sit propria forma expulsiva peccati venialis disputatur. Sunt qui dicunt esse ipsam gratiam sanctificantem, non quidem secundum suam substantiam (nam peccata venialia remanent etiam in iustis) sed ratione alicuius modi superadditi, hoc est ratione *maioris intensionis*. Alii putant esse ipsum *poenitentis actum*, ex quo maior caritatis intensio sequitur. Alii demum censent esse *gratiam sanctificantem mediante actu poenitentis* (3).

Melius fortasse diceretur esse directe ipsum actum poenitentis, *quatenus gratia habituali seu caritate informatur*. Hoc sensu S. Thomas scribit: « Dicendum quod remissio venialium est effectus gratiae, per actum scilicet, quem de novo elicit, non autem per aliquid habituale de novo animae infusum » (4).

---

(1) « Debitum (ait ANGELICUS) culpae (gravis) contrariatur amicitiae, et ideo una culpa vel offensa (gravis) non remittitur sine alia: ridiculum enim videtur quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, et non de alia ». III, q. 86, a. 3, ad 4. - Hoc *a fortiori* valet de condonatione culpae levis ei qui gravi detinetur.

(2) Cf. III, q. 87 a. 1.

(3) Cf. SUAREZ *De Gratia* l. 7, c. 24. - GOTTI, l. c. § 3.

(4) III, q. 87, a. 2, ad 1.

Et iterum: « Licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus, qui non potest esse in eo qui subiacet peccato mortali » (1).

CONCLUSIO III.

Gratia habitualis natura sua expellit peccatum mortale ita ut in uno eodemque subiecto ea simul esse nequeant.

Praemittenda. — Circa oppositionem inter gratiam sanctificantem et peccatum mortale tres adsunt sententiae.

a) Scotus (2) et Nominales (3) consent gratiam non ex sua natura expellere peccatum, sed ex institutione Dei, seu ex ordinatione qua Deus decrevit ad gratiae praesentiam abolere peccata; quo fit ut coexistentia gratiae et peccati in eodem subiecto non sit de se impossibilis (4).

b) Suarez concedit repugnantiam inter gratiam habitualem et peccatum esse quodammodo *connaturalem*, non tamen *physicam*, neque tantam ut ex Dei potentia absoluta haec duo simul in eodem subiecto coexsistere nequeant (5).

c) Thomistae denique, quibus uniuntur plerique ex ceteris theologis, contendunt hanc oppositionem esse prorsus *physicam* et *absolutam* (6). Horum sententiam, quae

(1) Ibid. a. 4, ad 2.

(2) l. 4, dist. 16, q. 2, n. 5 sqq. Cf. MONTEFORTINO I, II, q. 113 a. 6 incid.

(3) OCCAM, l. 4 q. 3; GABRIEL l. 4 dist. 14, q. 1, a. 2.

(4) Quidam tamen ex Scotistis admittunt ex quadam extrinseca indecentia hanc coexsistentiam excludi. Cf. MASTRIUM, *De Iustif.* q. 1, n. 4 et q. 2, n. 38.

(5) « Respectu divinae omnipotentiae (scribit *Eximius*) nude consideratae, non est physica repugnantia quod gratia in anima actu peccante mortaliter conservetur..., quia peccatum actuale non consistit in physica privatione habitualis gratiae, sed in actu inordinato ». *De Gratia*, l. 7, c. 19, n. 19.

(6) Cf. GONET l. c. a. 5. - GOTTI l. c. dub. 7.

est legitimum corollarium conclusionis antecedentis, in qua statuimus gratiam habitualem esse *unicam* causam formalem iustificationis, tanquam certiorem amplectimur.

Probatur: — 1° *Ex S. Scriptura.* In testimoniis S. Scripturae non semel citatis gratia habitualis opponitur peccato ut *lux tenebris* (1); ut *novitas vetustati* (2); ut *vita morti* (3). Atqui lux et tenebrae, vita et mors in eodem subiecto sunt omnino incompossibiles. Ergo.

2° *Ex Ratione theologica.* — *a*) Primo arguimus ex *formalissimo effectu* gratiae *sanctificantis*, qui in eo est ut homo divinae naturae consors efficiatur et in supernaturalem Dei similitudinem transformetur per participationem sanctitatis divinae. Atqui natura divina participata, licet analogice, ut *sanctitas* nequit intelligi exsistens in eo in quo est *aversio a Deo*, quod est ipsum peccatum habituale. - Et haec eadem ratio excludit etiam Suarezii opinamentum. *Amor* enim et *odium* seu aversio, *absolute* et *physice* inter se pugnant. Cum itaque per gratiam, natura Dei (quae est sanctitas substantialis), et amor Dei illi similis, quo Deus seipsum amat, iusto communicentur, nequit in eo simul consistere odium Dei, seu *aversio* a Deo.

b) Insuper, arguere possumus ex doctrina S. Thomae circa rationem formalem peccati *habitualis*, seu maculae ex peccato actuali resultantis, quae *in statu elevationis* consistit in *privatione gratiae* cum ordine ad suam causam, quae est peccatum actuale (4). Hinc *privatio* gratiae habitualis est *constitutivum*, licet inadaequatum, peccati habitualis. At vero, quae privative opponuntur nequeunt in eodem

(1) II *Cor.* VI, 14; *Eph.* V, 8.

(2) *Coloss.* III, 9-10, etc.

(3) *Rom.* VI, 4.

(4) Dicendum quod macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem *solam*, sed significat *privationem* quandam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum » I, II, q. 86, a. 1 ad 3.

subiecto coexsistere, etiam attenta absoluta Dei potentia. Ergo sicut absolute repugnat in eodem supposito esse mortem simul et vitam, vel in homine esse unionem animae cum corpore et non adesse vitam, quae formaliter causatur per hanc unionem, ita implicat in una eademque anima coexsistentia peccati et gratiae habitualis.

Obiectiones. — 1° Ex Conc. Trid. *favor* Dei coniungi debet gratiae ut haec iustificet, seu expellat peccatum: « Si quis dixerit gratiam qua iustificamur esse tantum favorem Dei; a. s. » (1). Ergo non ex sua natura gratia expungit peccatum.

Resp. Dist. Antec.: Ita tamen ut *favor* Dei sit quid indistinctum a voluntate Dei infundendi gratiam, *Conc.*; quasi sit partialis causa formalis iustificationis, *Nego*. Mens itaque Concilii est proscribere Protestantium doctrinam, qua asserebant iustificationem fieri absque ulla intrinseca iustificati renovatione, sed per solam immanentem Dei benevolentiam; hinc Conc. definit ad iustificationem haud sufficere hunc transcendentalem favorem Dei, sed exigi favorem operativum iustitiae, quae tanquam propria inhaereat formaliter singulis iustificatis.

2° Obiicitur ex doctrina Scoti: Saltem ex Dei potentia, gratia et culpa in eadem anima coexsistere possunt. Sane: Peccatum mortale non expellit gratiam *effective*, sed moraliter tantum, seu *demeritorie*, quatenus peccatum meretur a Deo puniri per privationem gratiae. Atqui quod moraliter tantum enti physico opponitur non ita absolute cum hoc insociabile est, ut in eodem subiecto conservari a Deo nequeat. Ergo fieri potest ut persistente, vel adveniente peccato, homo retineat, Deo volente, gratiam habitualem (2).

(1) Sess. 6, can. 11.

(2) « Culpa et gratia (ait SCOTUS) non sunt formaliter opposita nec formaliter repugnantia. Probatio, quia tunc agens effective, vel defective potens super *esse* unius, posset effective vel defective super

Resp. Dist. Maio: peccatum mortale expellit gratiam demeritorie et *effective* per causalitatem formalem, *Conc.*; *tantum moraliter*, *Nego.* etc. - Explico: Duo momenta in peccato mortali probe sunt distinguenda: *a*) *offensa*, seu iniuria Deo illata, quae fit per actionem graviter inordinatam, et quae perseverat ad instar reatus in peccatore non poenitente; et ita consideratum peccatum *demeritorie tantum* expellit gratiam: *b*) *aversio* a Deo et conversio ad creaturas ut ad ultimum finem; et sub hoc altero respectu peccatum excludit *caritatem* et subinde gratiam habitualem cui caritas est indissolubiliter connexa. Neque obstat quod a Scoto additur, nempe *solum Deum* posse gratiam destruere, cum ipse solus sit illius causa efficiens. Non enim asserimus peccatum destruere vel expellere gratiam per modum *causae efficientis* quae directe in ipsam gratiam agat, sed dicimus expulsionem gratiae effici a peccato per causalitatem *formalem*, vel quasi formalem, quatenus peccatum directe et efficienter immutans et veluti informans subiectum, reddit illud incapax quod informetur gratia (1). Est enim proprium formae, quae in subiecto mutabili recipitur, ut necessario desinat subiectum informare si novae conditiones exsurgant quae sint cum eadem forma incompossibiles. Sic etsi Deus sit causa efficiens, et quidem per veram creationem, animae rationalis eiusque unionis formalis cum corpore, potest tamen anima a cor-

---

non esse alterius... Voluntas autem creata potest effective vel defective super *esse* culpae, quia ab ipsa est culpa. Ergo posset effective vel defective super esse gratiae, quod est falsum; quia gratia non destruitur nisi annihiletur, sed creatura non potest aliquid annihilare ». IV dist. 16, q. 2, n. 15. Cf. etiam MONTEFORTINO l. c.

(1) Idem dicendum est de expulsione peccati per gratiam, quae, ut ait S. Thomas, « non expellit culpam per modum causae efficientis... sed expellit formaliter. Ex hoc enim ipso quod informat subiectum, sequitur quod culpa in subiecto non sit; sicut patet de sanitate et infirmitate » *De Verit.* q. 28, a. 2, ad 9.

pore separari per actionem causae secundariae, quae ita corpus directe corrumpat ut nequeat hoc esse amplius subiectum capax talis formae.

Articulus III.

Utrum ad iustificationem impii requiratur motus liberi arbitrii.

Praemittenda. — 1° *De quo inquiratur.* Iustificationem hucusque consideravimus prout est *opus Dei*, qui ad eam per auxilia actualia hominem praeparat eamque illi elevato atque perfecte disposito formaliter confert per gratiam habitualem. Nunc superest, ut inquiramus an homo ex parte sua aliquid praestare possit ac debeat, quo per motum liberi arbitrii auxiliis gratiae Dei cooperando ad iustificationem suscipiendam se disponat.

Aliis verbis quaerimus, num aliquae *dispositiones* requirantur *ex parte hominis*, quibus se *ăctive* sub influxu gratiae Dei excitantis atque adiuvantis ad iustificationem recipiendam praeparet. Dispositiones autem intelligimus, non eo solum sensu, quod *gratiae obicem* removeant, sed ita etiam ut vim quandam in se habeant, quae Deum vera quadam ratione ad sanctificationem largiendam moveant. Loquimur vero de homine adulto et libero arbitrio utenti; nam infantes et amentes gratiam cum baptismo recipiunt absque motu liberi arbitrii, cuius non sunt capaces.

2° *Errores.* Novatores saec. XVI cum, praeeuntibus Wicleff et Huss (1), docerent ex sola absentia gratiae iustificantis omnia peccatoris opera inquinari, cohaerenter nullam ex parte hominis dispositionem ad iustificationem pos-

(1) Cf. p.p. damnat. Huss., p. 16, Denz. 537.

sibilem esse asserebant (1). Lutherus quidem et Calvinus fidem requirunt, non tamen veluti dispositionem subiectivam, quae peccatorem iustitiae recipiendae coaptet, sed tanquam *instrumentum,* quo iustitia Christi apprehenditur » (2).

3° *Doctrina Ecclesiae.* Conc. Trid., definit oportere hominem adultum per motum suae voluntatis praeparari ac disponi ad iustitiam recipiendam: « Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi: a. s. » (3).

CONCLUSIO

Homo adultus per motus liberi arbitrii excitati divina gratia et adiuti potest ac debet se disponere ad iustificationem consequendam.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura.* Peccator per bona opera se ad iustificationem disponere potest ac debet, si gratia Dei inspirante atque adiuvante libere facere potest opera supernaturalia, quae iustificationem praecedant, et

(1) Prop. 6 Lutheri a Leone X proscripta sic se habet: « Contritio quae paratur per discussionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem ». Denz. 630. Cf. ibid. 660.

(2) « Fides (scribit Calvinus) etiamsi nullius sit per se dignitatis et pretii, nos iustificat Christum afferendo, sicut olla pecunia referta hominem locupletat ». *Inst.* II, c. 11, n. 7. Ecclesia *Anglicana* idem mitius docet: « Opera quae fiunt ante gratiam (iustificantem) Christi et Spiritus Sancti afflatum, cum ex fide I. Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque gratiam, ut multi dicunt de *congruo* merentur, imo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit ac praecepit, peccati rationem habere non dubitamus ». *Confess. Aug.* a. 13.

(3) Sess. 6, can. 9. Cf. ibid. cap. 5 et 6; item can. 4, 6 et 7.

cum ea certam connexionem habeant, sintque ad eam recipiendam necessaria. Atqui haec a peccatore exhiberi posse ac debere Scriptura saepe testatur. Sic dum ait: « *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos* » (1); et: « *Nisi poenitentiam habueritis omnes simul peribitis* » (2). Itaque poenitentia salutaris, seu quae cum divino auxilio fiat, *praeexigitur* (*convertimini ad me*), et huic promittitur gratia iustificans (*convertar ad vos*), tanquam *conditioni sine qua non* (*nisi poenitentiam habueritis*). Item saepissime Deus peccatores *hortatur* ad orationem, ad ieiunium, ad stipem pauperibus largiendam, aliaque opera poenitentiae et misericordiae promittens sub horum operum conditione peccatorum remissionem, et de facto peccata condonans (3).

2° *Ex traditione.* Omittimus testimonia Patrum, quos hac etiam in re sibi contrarios Protestantes agnoscunt (4), et unice insistimus *praxi* solemni Ecclesiae, quae a priscis temporibus semper ad susceptionem sacramentorum *Baptismi* et *Poenitentiae,* quibus iustificatio confertur, eos tantum admisit, qui haud dubia conversionis ad Deum et ad fidem signa prae se tulerint (5). Hunc Ecclesiae agendi modum ipse Augustinus comprobat celebri sententia: « Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te: fecit nescientem, iustificat volentem » (6).

3° *Ex ratione.* - *a*) *S. Thomas arguit praesertim ex natura voluntatis humanae quae in iustificatione ad Deum*

---

(1) Zach., I, 3. Cf. Ioel, II, 12. Ezechiel, XVIII, 21, etc.

(2) Luc. XIII, 3. Cf. Marc. XVI, 16; *Act. Ap.* II, 38.

(3) Cf. Dan., IV, 14; *Eccli.*, II, 20, etc. Cf. testimonia superius allata p. 283 sqq.

(4) Cf. supr. pag. 285 sqq.; Schwane, *Dogmnegeschichte,* vol. II, § 95, n. 3.

(5) Cf. Katschthaler, *De Gr.*, p. I, cap. 4, art. 3; Tixeront *Histoire des dogmes.* Parisiis 1906, cap. 10, § 1.

(6) *Serm.* 169, c. 11, n. 13, PL. 38, 923.

movetur et convertitur. Et sane: iustificatio fit a Deo movente hominem ad iustitiam, ipse enim est qui iustificat impium. Atqui Deus movet secundum modum et conditionem uniuscuiusque mobilis. Unde et hominem movet secundum conditionem humanae naturae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrii (1). Haec ratio omnino probat concursum liberi arbitrii esse necessarium ad iustificationem adulti ex divina lege et constitutione, attenta providentia Dei volentis operari secundum rerum naturam. Si autem attendatur *absoluta potentia Dei,* dicendum forte est posse Deum, nulla ex parte hominis supposita dispositione, impendere gratiam. Hoc tamen in casu gratia ipsa infusa efficeret subiectum proxime capax et dispositum, rectificans voluntatem (2).

b) Addi etiam potest, sapientiam et sanctitatem Dei exigere ut homo libere gratiae auxilianti cooperetur ad se disponendum sanctificationi accipiendae, ne desidia foveatur

---

(1) Hoc. art. et q. 112 a. 2. Cf. etiam *De Verit.*, q. 28, a. 3 ubi arguit etiam *ex ipsa ratione iustificationis*, quae est quaedam *voluntatis immutatio.* Voluntas autem accipi potest vel pro ipsa *potentia* volendi, vel pro *actu* volitionis. Iam vero, *actus* voluntatis non potest immutari nisi ipsa *cooperante*; si enim non esset in ipsa, non esset eius actus. E contra, *potentia* voluntatis sicut sine sua cooperatione est facta, ita sine sua cooperatione potest immutari. Cum itaque in adultis requiratur immutatio *actus voluntatis* quia per actum voluntatis sunt a Deo aversi et ad aliquid inordinate conversi, et haec conversio fieri nequeat quam per *actum contrarium,* manifestum est in iustificatione adultorum requiri cooperationem liberi arbitrii. Aliter autem dicendum est de *pueris* qui cum non habeant per *actum* voluntatis propriae voluntatem ad aliquid conversam, sed habeant solam *potentiam* voluntatis culpabiliter originali iustitia destitutam, possunt iustificari sine *motu* propriae voluntatis.

(2) Cf. Gotti, *De ess. iustif.* q. 2, dub. 2, § 3. - Fatendum tamen est sine actu proprio voluntatis iustificationem in adulto vix intelligi posse. Cf. hunc art. ad 2.

et virtutum fervor enervetur. Eoque magis quod saltem aequum omnino est ut homo qui libertatis abusu peccavit, per rectum libertatis usum ad peccatorum remissionem per gratiae susceptionem praeparetur.

Obiectiones. — 1° Homo ex doctrina Pauli *iustificatur gratis* (1); ita ut iustificatio impii sit opus *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (2), in cuius manu homo est ut *lutum in manu figuli.* At vero qui se libere disponit ad formam non gratuito omnino accipit ipsam formam. Ergo.

Resp. Dist. Maio.: iustificatur *gratis* ad exclusionem operum naturae, vel legis, vel quae iustificationem vere *promereantur*, *Conc.*; ad exclusionem motuum liberi arbitrii qui a *gratia* et *fide* procedant et simpliciter disponant, *Nego.* « Gratis autem (ait Conc. Trid.) ideo iustificari dicimur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur » (3). Eodem sensu iustificatio asseritur *Opus Dei*, quia nullimode ea tribui potest operibus nostris, quae *per vires naturales* efficimus, sed ex gratia Dei est quae nos ad salutariter agendum movet. Cum itaque ipsa opera *disponentia* ad iustificationem sint ex gratia, ea quoque Deo miserenti tribui debent, in cuius manu homo est ut lutum in manu figuli, a quo quidquid in se est arte confectum recipit. Hoc tamen non impedit quominus homo sub influxu gratiae possit ac debeat se libere praeparare ut sit vas in honorem, cum ipse Apostolus moneat: « *Si quis ergo emundaverit* (ἐκκαθάρῃ) *se ab istis* (iniquitatibus) *erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne opus paratum* » (4).

---

(1) *Rom.*, III, 24.
(2) *Rom.*, IX, 16.
(3) Sess. 6, cap. 8.
(4) II *Tim.*, II, 21.

2° Atqui actus nostri licet sub Dei motione fiant, nos ad iustificationem disponere non possunt. Nam inter dispositiones et formam esse debet connexio. Sed nulla connexio habetur inter actus hominis peccatoris, licet supernaturales sint, et formam iustitiae. Eoque magis quod secus homo iustificaret seipsum, eo modo ac parentes licet animam non producant, tamen generant hominem eo quod dispositiones proximas ad formam spiritualem recipiendam ponant.

Resp. Dist. Maio.: Esse debet connexio vel physica, vel *moralis*, *Conc.*; semper *physica*, *Nego*. — *Contrad. Min.:* physica et per *modum meriti*, *Conc.; moralis* ex promissione Dei, *Nego*. - Et ad confirmationem nego *paritatem*. Disparitas est in hoc, quod parentes propria virtute et forma aequalis perfectionis ponunt ultimam dispositionem ad animam rationalem quae *naturaliter* huic debetur: peccator autem ex virtute gratiae Dei moventis se disponit ad formam perfectiorem, qualis est gratia habitualis.

Articulus IV.

Utrum ad iustificationem impii requiratur motus fidei.

Praemittenda. — 1° *Doctrina Reformatorum de fide iustificante.* Nunc qui sint motus liberi arbitrii qui ad iustificationem disponunt inquirimus; et primo quidem agimus de *actu fundamentali* qui est fides. Protestantes in doctrina fidei iustificantis peccant *excessu* et *defectu*. — *Excessu* in eo quod affirmant *solam* fidem esse iustificantem, quia ea sola nobis applicat iustitiam Christi. *Defectu* dum fidem iustificantem coarctant ad meram *fiduciam*, qua quis credit sibi remitti peccata. - *Triplicem* enim ii distinguunt fidem: *historicam,* qua credimus iis quae in S. Scriptura continentur:

miraculorum, qua omnipotentiae Dei fisi, miracula ab eo quandoque in nostrum bonum fieri exspectamus: et *promissionum,* qua credimus promissionibus Dei. - Haec autem postrema fides vel est *generalis* respiciens omnia Dei promissa; vel est *specialis* qua quisque credit sibi ob merita Christi non imputari peccata. Hanc *fidem promissionum specialem,* quam Lutherus aliique insigniores theologi protestantes confundunt cum *fiducia,* quae definitur *spes roborata,* et ad voluntatem pertinet cuius est actus, non autem ad intellectum, formaliter necessariam esse docent ad iustificationem eamque *solam* iustificare (1).

2º *Doctrina catholica.* Ecclesia docet: *a*) Actum fidei supernaturalis praeexigi in adultis tanquam *unam* ex dispositionibus, eamque fundamentalem, ad iustificationem: *b*) hanc autem fidem esse *dogmaticam,* seu assensum intellectus veritatibus a Deo revelatis, praecise ut revelatae sunt. « Hanc vero fidem (ait Conc. Vaticanum) quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest » (2). Hinc apparet huius fidei salutaris obiectum *materiale* esse omnem et solam veritatem a Deo revelatam; *formale* autem, esse rationem obiectivam qua intel-

---

(1) Cf. Bellarm., *De Iustif.*, III, c. 2 sqq. - Möehler, *Symbol.* § 16 sq. - Osswald, *Die Heiligung*, p. 75 sqq. - Calvinus videtur quidem hanc fidem habere tanquam actum *intellectus*, dum eam nominat « cognitionem firmam certamque, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata per Spiritum S. et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur »: attamen statim subdit: « hanc assensionem fidei, cordis esse magis quam cerebri, et affectus magis quam intelligentiae ». *Inst.* III, c. 2, n. 7-8.

(2) *Constit. De fide cath.* cap. 3, Denz. 1638.

lectus determinatur ad assentiendum veritatibus a Deo revelatis. Controversia cum haereticis non est de *materiali* obiecto. Duo itaque distincta conclusione statuimus: 1° Requiri in adultis ad iustificationem fidem supernaturalem: 2° Fidem *dispositive* iustificantem non esse fiduciam, ad mentem Novatorum, sed esse fidem theologicam.

CONCLUSIO I.

Ad iustificationem impii requiritur motus fidei supernaturalis.

Fidem et quidem proprie dictam, seu *ex obiecto formali supernaturalem* ad iustificationem requiri semper in adultis, est doctrina certa et catholica. — Conc. Trid. explicite docet: « *Sine qua* (fide) *nulli unquam contigit iustificatio* » (1). Quod iterum proponitur a Conc. Vaticano: « Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio » (2). Haec autem fides ad iustificationem prorsus necessaria, ea est ex Conc. Trid. quam iustificandi « excitati divina gratia et adiuti, ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes *vera esse* quae *divinitus revelata* et promissa sunt » (3). Hinc est fides ex principio gratiae et ex ipso obiecto, *ordinarie saltem, supernaturalis*. Conc. autem Vaticanum declarat, fidem sine qua nemini iustificatio contingit, esse etiam quoad obiectum formale seu motivum, supernaturalem, cum concipi debeat ob auctoritatem Dei revelantis (4).

(1) Sess. 6, c. 7.
(2) l. c. Denz. 1642.
(3) Ibid. cap. 6.
(4) Inter propositiones ab Inn. XI damnatas haec invenitur: « Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo ad iusti-

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae diserte tradit necessariam esse ad iustificationem fidem *stricte dictam:* « *Qui crediderit* (ait Christus) *et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur* » (1). Actus ergo fidei est conditio *sine qua non* ad salutem. Et Apostolus affirmat: « *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* » (2). Hic sermo est de actu fidei iustificantis, de qua antea dicitur: « *Iustus meus ex fide vivit* » (3); et per quem homo in ordine supernaturali *placet Deo;* et talis actus simpliciter necessarius ad iustificationem asseritur. Hinc ex eodem Apostolo iustificatio nemini contingit independenter a virtute fidei Christi. « *Iustitia autem Dei per fidem I. Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum:... Arbitramur* (λογιζόμεθα) *enim iustificari hominem*

---

ficationem sufficit ». Denz. 1040. - Hinc tanquam erronea reiicienda est eorum sententia qui putant quandoque in quibusdam extraordinariis adiunctis homines salvari posse per *solam naturalem cognitionem Dei, vel boni honesti.* (Cf. Vega, *De Iustif.* l. 6, c. 20); vel aliorum etiam qui censent ad iustificationem non semper esse necessariam fidem stricte dictam (Cf. Ripalda, *De Ente supernat.* l. 1, disp. 20, sect. 22 et sq.). Animadvertendum autem est hos theologos ultro admittere tanquam dogma catholicum necessitatem fidei propriae dictae ad iustificationem *in casibus ordinariis,* et in eo tantum dissentire quod aestiment hanc fidem supernaturalem non esse conditionem *sine qua non* ad salutem pro illis hominibus qui *inculpabiliter* Evangelii praedicationem vel fidei christianae notitiam non susceperunt. Hoc quidem defendi nequit; sed neque tamen notio fidei *stricte dictae* adeo restringenda videtur ut eius obiectum tantum *ex auditu* per evangelii praedicationem haberi posse dicatur, potest enim obiectum fidei inde oriri ut a Deo immediate fiat revelatio *auditui* mentis per illustrationes supernaturales quibus intellectui hominis infidelis, iam apte disposito, manifestentur eae veritates, quae *necessitate medii* credendae sunt. (Cf. super. pag. 380 sqq.

(1) Marc., XVI, 16.

(2) *Hebr.*, XI, 6.

(3) Ibid., X, 38.

per fidem sine operibus » (1). Fidem autem exigi stricte supernaturalem vel inde patet quod actui fidei iustificantis assignetur obiectum, tum *materiale,* tum *formale* supra ordinem naturae. Haec enim fides describitur tanquam « *sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium* (οὐ βλεπομένων); (2) hinc eius obiectum non est verum *naturaliter* cognitum, sed quod a Deo creaturae *aliquo supernaturali modo* manifestatur. Item, obiectum *formale* seu *motivum* cui haec fides inniti debet, non est intrinseca et obiectiva rei evidentia, sed *auctoritas Dei revelantis :* « *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam... In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia* (οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ) *sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens* (πληροφορηθείς - plene suasus) *quia quaecumque promisit, potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam: sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum* » (3). Unde Abraham iustificatus est per fidem innixam auctoritati Dei revelantis, et in hoc est exemplar nobis imitandum, ita ut nemo possit ad iustitiam pervenire, nisi per fidem, qua Deo revelanti credimus.

2° *Ex Patribus.* Nemo unquam in dubium vertit Patres necessitatem fidei tanquam primariae ad iustificationem dispositionis non agnovisse. Iam Origenes enuntiat: « *Impossibile est salvari sine fide* » (4). Et Ambrosius: « Ante omnia fides nos commendare Deo debet (5). Et Hieronymus explicans illud Matth. XXVIII, 19. « *Euntes docete*

(1) *Rom.*, III, 22-28.
(2) *Hebr.*, XI, 1.
(3) *Rom.*, IV, 3, 20-24.
(4) *Hom.*, 26, n. 2 in *Num.* PG. 12,772.
(5) *Cain et Abel* II, c. 2, n. 8, PL. 14, 343.

omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S. » scribit: « Primum docent omnes gentes deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri, ut corpus Baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit veritatem » (1).

2° *Ex ratione.* - *a*) Ipsa iustificationis natura, quae est *accessio*, seu *conversio* ad Deum, fidem exigit tanquam primarium mentis motum in Deum. Sicut enim vita rationalis non explicatur nisi praeeunte lumine et exercitio rationis, sic etiam homo nequit vivere vita supernaturali, nisi praelucente cognitione supernaturali. Haec autem cognitio habetur per fidem. Egregie S. Thomas: « Ad conversionem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem... Et ideo motus fidei requiritur ad iustificationem impii » (2).

b) Fidem autem requiri formaliter supernaturalem ex eo etiam probatur, quod cum *terminus* iustificationis sit entitative supernaturalis, ita et *initium* motus ad hunc terminum supernaturale sit oportet. « Per cognitionem naturalem (ait iterum S. Doctor) homo non convertitur in Deum in quantum est obiectum beatitudinis et iustificationis causa: unde talis cognitio non sufficit ad iustificationem » (3).

Corollaria — 1° Ex dictis sufficienter colligitur ad iustificationem exigi actum fidei *in re* et *explicitum* tanquam *medium* omnino necessarium, non autem sufficere fidem *in voto* vel *implicitam*, quae, v. gr., in aliquo amore Dei initiali et imperfecto naturaliter concepto continetur. Nam fides non est solum quaedam conditio *extrinseca* ex Dei voluntate apposita, qualis est baptismus, sed est conditio

---

(1) *In Matth.* l. 4, PL. 26, 218. Cf. KLEE, *Dogmnengesch.* part. II, cap. 5.

(2) Hoc art.

(3) Hic, ad 2.

intrinseca, quae ab ipsa iustificationis natura exigitur tanquam *medium sine quo* non sufficienter proponitur obiectum supernaturaliter amandum (1).

2° Hinc etiam arguitur non sufficere ad iustificationem actum fidei in Dei exsistentiam et providentiam *naturalem;* sed requiri fidem in Deum apprehensum tanquam *remuneratorem aliquo saltem modo* supernaturalem: Huc spectat prop. ab Inn. XI damnata quae asserit: « Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris » (2).

CONCLUSIO II.

Fides dispositive iustificans est fides theologica, seu est firmus assensus veritatibus a Deo revelatis; non autem fides specialis vel fiducialis Protestantium, quae neque requiritur, neque admitti potest.

Conclusio exhibet doctrinam definitam a Conc. Trid.: « Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua instificemur: a. s. - Si quis dixerit omni homini ad remissionem pecca-

---

(1) Cf. Suarez, *De Fide*, disp. 12, sect. 8; Lugo, *De Fide* disput. 12, n. 33.

(2) Denz., 1039; S. Thomas hic ad 3 ait: « In iustificatione impii requiritur actus fidei quantum ad hoc quod homo credat Deum esse iustificatorem hominum per *mysterium Christi* ». Hanc tamen fidem in Deum iustificatorem per mysterium Christi non semper requiri *explicitam*, sed in casibus extraordinariis sufficere *implicitam* iam alibi advertimus ex doctrina ipsius Angelici, qui supponit quosdam salvari potuisse, qui *etsi non habuerunt fidem* (mediatoris) *explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos* ». II, II, q. 2 a. 7 ad 3. Cf. supra pag. 381.

torum assequendam necessarium esse ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa: a. s. - Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo quod se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici: a. s. » (1).

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae: *a*) Fidem *de qua iustus vivit* et *qua quis est Deo placens* definit vel describit tanquam assensum mentis veritatibus a Deo revelatis: « *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* » (2). Fides itaque salvifica est firma persuasio qua in intellectu credentis futura bona quasi anticipatam subsistentiam habent; vel est basis et fundamentum cui innititur spes aut fiducia futuri boni; hinc neque potest esse ipsa fiducia. - Item, est *convictio* de rebus, quae nec sensu, neque naturali ratione attingi possunt, sed quae nobis per revelationem innotescunt, non autem est fiducia remissionis peccatorum. - Hoc etiam solide confirmatur tum ex *obiectis* quae Apostolus huic fidei assignat, quae sunt veritates

---

(1) Sess. 6, can. 12-14.

(2) Ἔστιν δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Hebr.*, XI, 1. Merito S. Thomas advertit haberi hic veram fidei definitionem etsi complicitam. « Apostolus complete (per haec verba) definit fidem, licet obscure. Per istam enim definitionem distinguitur fides ab omnibus quae pertinent ad intellectum. Per hoc enim quod dicitur *argumentum*, idest *convictio*, distinguitur fides ab opinione, dubitatione et suspicione, quia per ista non habetur firma adhaesio intellectus ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur *non apparentium* distinguitur ab habitu principiorum et scientia. Et per hoc quod dicitur *rerum sperandarum* distinguitur a fide communiter sumpta, quae non ordinatur ad beatitudinem ». (In h. loc.) - Vox ὑπόστασις intelligi potest: *a*) pro firma persuasione de his quae sunt in spe, qua fit ut *speranda bona* quasi *praesubsistant* in mente credentium. Hanc expositionem tradit *S. Augustinus* et ex eo S. Thomas, qui sic rem explicat, loc. cit.: « Fides est *substantia* idest faciens in nobis substare res spe-

a Deo revelatae, v. gr., mundi *efformatio* per verbum Dei (1) et exsistentia Dei remuneratoris supernaturalis (2); tum ex allatis e vetere Testamento exemplis (*Noe, Abraham, Sara, Iacob, Ioseph, Moysis. Gedeon, Barac, David, Samuel prophetae, Machabaei*) qui omnes ideo merito fidei laudantur, quia iis quae Deus praeannuntiabat crediderunt (3).

b) Semper ac S. Scriptura de fide salvifica loquitur, eam fidem indicat quae sit *assensus mentis* et cuius obiectum sit veritas a Deo revelata, hoc est vel *in genere* doctrina Evangelii: « *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* » (4); vel Christi divina filiatio: « *Haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius* » (5); vel Christi resurrectio: « *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* » (6). Exigitur itaque assensus iis veritatibus quas confiteri tene-

---

randas, quod facit duobus modis; uno modo quasi *merendo*... Visio enim Dei est merces fidei. Alio modo quasi per suam proprietatem praesentialiter faciat quod id quod creditur futurum in re, aliquo modo iam habeatur, dummodo credat in Deum »; vel *b*) intelligitur *fundamentum*, *basis* cui fides innititur; ita *Salmeron* aliique: vel demum *c*) idem est ac firma *expectatio* rei a Deo praeannuntiatae. Cf. Corluy, *Spic.* vol. II, pag. 210. – Vox autem *argumentum* (ἔλεγχος) ab eodem S. Thoma post *Augustinum*, exponitur veluti *convictio* quae tanquam medium demonstrationis habet infallibile verbum Dei rem credendam proponens.

(1) « *Fide intelligimus aptata esse sacula* (τούς αἰῶνας) *verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent* ». Ibid. v. 3.

(2) Ibid., v. 6.

(3) Ibid., v. 7 sqq. De Noe dicitur: « *Fide Noe responso accepto de iis quae adhuc non videbantur metuens* (εὐλαβηθεὶς) *aptavit arcam in salutem domus suae* ». Profecto haec fides haud est fiducia, quae metum non parit.

(4) Marc., XVI, 15-16.

(5) Ioa., XX, 31.

(6) *Rom.*, X, 9.

mur. Atqui martyres non publice confitebantur sibi peccata remitti, sed verum Deum esse Christum, atque in Evangelio divinam revelationem contineri.

c) Huic doctrinae cohaerens apparet in S. Scriptura *praxis* apostolica, quae exigit ad salutem assensum mentis divinae revelationi. Sic Eunucho poscenti baptisma Philippus respondet: « *Si credis ex toto corde licet* (baptizari). Eunuchus vero fidem profitetur his verbis: « *Credo filium Dei esse Iesum Christum* » (1).

2° *Ex Traditione.* Ecclesia iam inde a primis seculis ad baptismi susceptionem in adultis fidei dogmaticae seu symboli professionem semper expostulavit. Huius praxis documenta apud Patres passim occurrunt. Sic Cyrillus Hieros. scribit: « Interrogatus est unusquisque (vestrum) utrum crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti; et confessi estis salutarem confessionem » (2). Et Ambrosius: « Descendisti in fontem; recordare quid responderis, quod credas in Patrem, in Filium, credas in Spiritum Sanctum » (3). Illud etiam ex Augustino novimus viguisse suo tempore praxim interrogandi circa fidem eos a quibus pueri baptizandi afferebantur, ut horum fidei quasi sponsores fie-

---

(1) *Act.* VIII, 37. - Cf. etiam *Act.* XVI 30-31 ubi custodi carceris tremefacto et petenti: « *Quid me oportet facere ut salvum fiam?* – respondent *Paulus* et *Sila*: « *Crede in Dominum Jesum et salvus eris* ». - Ex his iam facile apparet quam magna perversio naturae actus fidei sit conceptus quem de hac exhibent *Modernistae*, docentes fidem quae omnis religionis etiam supernaturalis est initium et fundamentum non esse assensum intellectus veritati supernaturaliter revelatae, sed esse *motum quendam cordis*, seu peculiarem quendam *sensum*, qui ex indigentia *divini* oritur, atque a nobis certis aptisque in adiunctis sentitur. Quo fit ut ipsa *dogmata* non sint nisi merae illius sensus qui in conscientia individuali evolvitur *explicationes*. Cf. Decretum *Lamentabili* S. Inquisitionis, die 3 iulii 1907, prop. 20, 22, 26 et praesertim Encycl. Pii X *Pascendi*, die 8 sept. 1907, edit. Vatic., p. 15 sqq.

(2) *Catech. Myst.* 2, c. 4, PG. 33, 1079.

(3) *De Myst.* c. 5, n. 28, PL. 16, 397.

rent: « Interrogamus eos, et dicimus: Credit in Deum? Respondetur: credit » (1).

3° *Ex Ratione.* Fiducia specialis prout a Protestantibus exigitur, neque haberi potest, neque eam habentem iustificare potest. Sane: *a*) Illud solum firma fiducia, quae etiam fides sit, credendum est, quod in revelatione continetur. Sed nullibi revelatum est peccata mihi remissa esse.

b) Neque concipi potest qua ratione haec fides, qua credo me *esse iustificatum* effici possit causa meae iustificationis, vel medium applicans iustitiam Christi. Causa enim vel medium praecedit, natura saltem, effectum et terminum. Atqui fides iustificans haereticorum nequit praecedere sed subsequitnr iustificationem. Si enim iustificatio in me iam peccatore non adesset, *falso* crederem me esse iustificatum (2).

Obiectiones. - S. Scriptura vim iustificandi *spei fiduciali* tribuit: - *a*) Sic *Ioannes* ait: « *Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se sicut ille sanctus est* » (3). - *b*) Et *Paulus* scribit: « *Ut iustificati gratis gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae* » (4). *c*) Et iterum: « *Spe enim salvi facti estis* » (5).

Resp. Dist. Antec.: S. Scriptura exigit spem fidei innixam tanquam unam ex dispositionibus quae ad iustificationem concurrunt, *Conc.:* tribuit fiduciae de *obtenta* pecca-

---

(1) *Ep. ad Bonif.* (98), n. 7, PL. 33, 363. Cf. Bellarm. *De Instif.* I, c. 9. - *Kirchenlexicon,* Friburgi 1895, voc. *Pathe* (patrînus).

(2) Cf. Bellarm. l. c. 10. - Möehler, *Symbol.* § 16-17. - Wiêst, *Demonstr. dogm.*, vol. 6, p. 119 sqq.

(3) Ep. I, III, 2-3.

(4) *Ad Tit.* III, 7.

(5) *Rom.* VIII, 24.

torum remissione influxum aliquem ad ipsam iustificationem in genere causae efficientis, vel meritoriae, vel dispositivae vel etiam *applicantis* impio merita Christi, *Nego*.

Quoad testi monia allata : - *Resp.* ad 1um *Dist.:* Qui habet hanc spem sanctificat se *active* idest *sancte vivendo*, non *peccando, Conc.; passive* vel *formaliter* applicans sibi iustitiam. *Nego*. Vis verbi graeci (ἁγνίζει) et contextus hanc unam interpretationem exigunt. Obiectum enim huius spei est beatitudo caelestis, et in eo fundatur quod iam *sumus filii Dei*, licet nondum apparuerit Qui autem filius Dei est, *non peccat* (v. 6 et 9); qui vero peccat *ex diabolo est* (v. 8). Hinc (ἁγνίζειν) idem est ac *sancte vivere, non peccare*.

Ad 2um *Resp.: a*) Apostolum non loqui de spe iustificante, sed de spe quae virtus est eorum, qui iam iustificati sunt.

b) Item de *spe vitae aeternae*, non autem remissionis peccatorum.

c) Demum non dicit *ex spe*, sed *secundum spem* (κατ' ἐλπίδα); hinc sensus est, nos effici oportere *de facto* heredes vitae aeternae, quam nunc spe tantum exspectamus.

Ad 3um Eadem est responsio. Spe enim tantum, dum vivimus, salvi facti sumus exspectantes glorificationem corporis nostri. Hic sensus ex contextu evidens est : « *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc* (v. 22). *Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei* (υἱοθεσίαν) *exspectantes, redemptionem corporis nostri* (v. 23). *Spe enim salvi facti sumus* » (v. 24) (1).

---

(1) Cf. Bellarm. l. c., c. 11. - Wieser, *Pauli Ap. doctr. de Iustif.* § 11. - Murrey, *De Gratia*, p. 355 sqq.

Articulus V.

Utrum ad iustificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum.

Praemittenda. — 1° *De aliis dispositionibus, quae praeter fidem ad iustificationem adulti requiruntur, vel concurrunt.* In articulo praecedenti S. Thomas necessitatem fidei ad iustificationem in adultis probans, docet in hoc fidei motu, prout est conversio ad Deum *perfecta*, contineri etiam motum caritatis et aliarum virtutum: « Motus fidei non est perfectus, nisi caritate informatus, unde simul in iustificatione impii cum motu fidei est etiam motus *caritatis*. Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc ut quod ei se subiiciat; unde etiam concurrit actus *timoris filialis* et actus *humilitatis* » (1). In hoc autem articulo agit tantum de alio fundamentali motu liberi arbitrii quo fertur in detestationem peccati; omnis enim peccatoris dispositio ad iustitiam recipiendam duplici motu completur, idest *conversionis* ad Deum, quae primo fit per fidem, et *aversionis* a peccato, quae per huius detestationem explicatur.

Verumtamen cum Novatores *veterem errorem renovantes* (2), enixe contendant nihil aliud praeter fidem ex parte peccatoris exigi aut fieri posse ad iustitiam induen-

(1) Art. 4 ad 1.

(2) S. Irenaeus (*Haer.* I, c. 20, PG. 7, 670) refert Simonem Magum aliosque ex praepostera intellectione praedicationis paulinae (*Rom.* III, 28: *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis*) docuisse *solam* fidem sine alio opere ad iustificationem et salutem sufficere. Hic error a S. Augustino (*haer.* 54, PL. 42, 40) attribuitur etiam Eunomio. In eo tamen differunt vetusti haeretici a Novatoribus, quod illi nomine fidei, eam intelligerent qua omnes veritates a Deo revelatas credimus. Cf. Vega. *De Iustif. gr.*, *fide et operibus,* q. 2.

dam et *solam fidem iustificare* (1), non abs re erit explicitius doctrinam catholicam de ceteris dispositionibus ad iustificationem necessariis propugnare et vindicare.

2° *Doctrina Catholica.* Conc. Trid. dispositiones in adulto ad iustificationem praerequisitas his verbis distincte enumerat: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, et dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae *timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem *diligere* incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per *odium* aliquod et *detestationem*, hoc est per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum *proponunt* suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata » (2). *Sex* itaque a Conc. distin-

---

(1) « Fides (scribit LUTHERUS) sine caritate et ante caritatem iustificat; fides est formalis iustitia propter quam homo iustificatur, non propter caritatem ». *In cap. II ad Galatas.* Et *Solid. Declar.* III, § 23 statuit: « Neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus sed sola fides est illud instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi, et remissionem peccatorum apprehendere et accipere possumus ». Cf. MÖEHLER, § 16. - Advertendum tamen est progressu temporis theologos protestantes ab hac absurda Lutheri doctrina recessisse ita ut et ipsi nunc communiter bona opera commendent. Attamen his operibus quae a peccatore poenitente fiunt, semper negatur quilibet *influxus dispositivus* ad iustificationem. « Opera illa (scribit BUDDEUS, *Inst. Dogm.*, l. 4, c. 4) semper cum fide coniuncta sunt, spes scilicet et caritas, et non possunt non praesentia esse cum homo iustificatur, licet *nulla ratione ad iustificationem concurrant* ». Cf. KATSCHTHALER, *De Gr.*, part. I, cap. 4, art. 3.

(2) Sess. 6, c. 6.

guuntur dispositiones, scilicet: actus *fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, poenitentiae* seu contritionis, et *propositi* recipiendi sacramenta ad remissionem peccatorum, Deique praecepta servandi. Non est tamen *de fide* hos *omnes* actus semper ad iustificationem adulti requiri; cum idem Concilium in canone subiecto hoc unum definiat: *aliquid aliud* praeter fidem requiri: « Si quis dixerit sola fide impium iustificari ita ut intelligat *nihil aliud* requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam *cooperetur;* a. s. ». (1).

CONCLUSIO

Sola fides non iustificat, sed ad iustificationem consequendam alii actus seu motus liberi arbitrii requiruntur tamquam verae ac propriae dispositiones, quibus peccator ad Deum perfecte accedat et a peccato recedat.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura* quae haec duo *explicite* docet: *solam fidem non iustificare* sed *aliarum etiam virtutum actus ad iustificationem concurrere.* — Primum ample traditur a S. Iacobo, qui in sua ep. cap. II a v. 14 ad 26 in hoc maxime insistit, ut exemplis etiam allatis probet: « *quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum* » et quoniam « *fides sine operibus mortua est* » (2). Sed

(1) Ibid. can. 9.

(2) Ὁρᾶτε ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον; v. 24. - ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν. v. 26.

Doctrinam huius epistolae sibi contrariam fetebantur Novatores, hinc eam ex canone librorum sacrorum expunxerunt. Quin imo Lutherus eam *stramenticiam* declarat utpote quae nihil evangelicae doctrinae vel saporis contineat (Darum ist S. Iacob Epistel eine recht stroherne Epistel gegen sie (epistolas paulinas) denn sie doch keine evangelische Art an ihr hat » (Praefatio ad Nov. Foed. 1524). Nunc tamen haec Epistola tanquam verbum Dei a plerisque interpretibus protestantibus, qui rationalistae non sunt, habetur. Cf. Cornely, *Cursus S. Scripturae*, vol. III, Introd. spec. diss. II, § 19, n. 6, ubi authentia huius epistolae ample et solide vindicatur.

etiam Paulus *insufficientiam* fidei ad iustitiam adquirendam nisi caritate informetur, docet: « *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (οὐδὲν ὠφελοῦμαι) » (1). Alterum passim in Scriptura occurrit, sic: *a*) *Timori* tribuitur concursus ad iustificationem: « *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari* » (2): Et iterum: « *Timor Domini fons vitae* » (3). In his autem testimoniis non tantum de *timore reverentiali*, qui ex perfecta caritate procedit, sermo est, sed de timore qui *expellit* peccatum, qui est *fons vitae*, et *initium sapientiae*, qui igitur in peccatore est ante remissionem culpae (4).

b) *Spes* timori socia sit oportet, sine qua neque vera fides habetur, neque motus accessus ad Deum. Hinc Psalmista dum *beatos* proclamat eos, *quorum remissae sunt iniquitates*, subdit: « *Sperantem in Domino misericordia circumdabit* » (5). Et alibi absolute enuntiatur: « *Qui sperat in Domino sanabitur* » (6).

c) *Dilectio* consequitur spem, eo quod peccator dum remissionem peccatorum sperat, amare incipit quem beneficii largitorem praestolatur. Hinc dicitur: « *Qui non diligit manet in morte* » (7); et de poenitente *Magdalena*: « *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* » (8).

d) Subinde et necessario sequitur motus *in peccatum*, seu contritio; qui enim Deum offendit non ex corde ad

(1) I *Cor.* XIII, 2. Cf. II PETR. I, 10. - I IOA. III, 7, etc.

(2) *Eccli.*, I, 27-28.

(3) *Prov.* XIV, 27. Cf. *Eccli.* I, 16; *Psal.* CX, 10; *Prov.* I, 7, etc.

(4) « Rarissime quippe accidit (scribit AUGUSTINUS, *De Catech. rudibus* c. 5, PL. 40, 316) imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo *Dei timore* perculsus ».

(5) *Psal.*, XXXI, 10.

(6) *Prov.*, XXVIII, 25.

(7) IOA., III, 14.

(8) LUC., VII, 49.

Deum redit nisi se doleat quod offenderit. Hanc salutarem poenitentiam Scriptura respicit dum ait: « *Nisi poenitentiam habueritis omnes simul peribitis* (1). Et iterum: « *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* » (2). Ideo quos Deus vivificare vult per poenitentiam vocat: « *Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam* » (3).

e) Demum *propositum* non peccandi a vera contritione seiungi nequit, qui enim firma non peccandi voluntate caret a peccato non ex corde abhorret.

2° *Ex Ratione.* Multiplicitatem motuum liberi arbitrii ex parte peccatoris iustificandi secundum actus virtutum quas supra distinximus, exigit *ipsa natura iustificationis impii.* Haec enim, ut arguit S. Thomas, duos fundamentales motus includit; unum quo peccator tendat in Deum; alterum quo peccatum detestetur. Et equidem, iustificatio fit ad instar cuiusdam motus in quo homo recedit a peccato et accedit ad iustitiam. Ergo sicut peccando, voluntarie a iustitia ad peccatum accessit, ita ut a peccato ad iustitiam se convertat necesse est, ut adsit in eo voluntarius recessus a peccato, et accessus ad iustitiam. Atqui *recessus* et *accessus* in motu liberi arbitrii accipitur secundum *detestationem* et *desiderium:* Ergo « *oportet quod in iustificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex; unus quo per desiderium tendat in Dei iustitiam, et alius quo detestetur peccatum* ». (4). Iam vero hi duo fundamentales motus praedictarum etiam virtutum actus continent. Conversio enim ad Deum fieri debet non solum *secundum intellectum per fidem*, qua primo apprehendimus obiectum amandum, sed

(1) Luc., XIII, 3.
(2) II *Cor.*, VII, 10.
(3) *Act.*, XI, 18. Cf. Ezech. XVIII, 31. - *Act.* 38, etc.
(4) Hoc art.

etiam *secundum affectum,* idest per *amorem, desiderium* seu *spem,* quae *timorem* non excludit (1). Neque iterum aversio a peccato sincera est si poenitens peccatum praeteritum non ita detestetur, « *ut pigeat fecisse et iterare non velit* ». (2).

Obiectiones. — 1° Saepe S. Scriptura iustificationem tribuit *fidei:* « *Fides tua te salvam fecit* » (3): *gratia enim salvati estis per fidem* (4). « *Non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu, quae ex Deo est iustitia in fide* » (5).

Resp. Dist. Ant.: Tribuitur fidei iustificatio tamquam primae et fundamentali dispositioni quam ceterae supponunt et a qua derivant, *Conc.; Uni* fidei per exclusionem aliarum dispositionum, *Nego.* - Ideo itaque fidei praecipuus in iustificationem influxus adscribitur, quia fides, ut ait Conc. Trid.: « est humanae salutis initium et radix omnis iustificationis » (6). Qui enim fidem habet, eo ipso ceteras conditiones ad salutem necessarias cognoscere et habere potest, qui vero ea caret, nec quid faciendum sit ut iustificetur

---

(1) « Quia (arguit profunde ANGELICUS) iustitia completiva in affectu existit, ideo si homo secundum intellectum tantum converteretur in Deum, non contingeret Deum, secundum id quod iustitiam recipit, idest secundum affectum; et sic iustificari non posset. Requiritur ergo quod non solum intellectus convertatur in Deum, sed *affectus.* Primus autem motus affectus in aliquid est motus *amoris*... qui quidem motus in *desiderio* includitur sicut causa in effectu, desideratur enim aliquid quasi amatum... Sicut ergo simul est motus cognitionis cum motu amoris, ita motus amoris cum motu spei vel desiderii; sicut enim apprehensum movet amorem, ita amor movet desiderium seu spem. Sic ergo liberum arbitrium in iustificatione impii movetur in Deum motu *fidei, caritatis* et *spei;* oportet enim iustificatum in Deum converti amando ipsum cum spe veniae ». *De Verit.* q. 28, a. 4.

(2) *De verit.* ibid. a. 5.

(3) Luc., VII, 50.

(4) *Eph.*, II, 8.

(5) *Philipp.*, III, 9.

(6) Sess. 6 cap. 8.

cognoscit. Hinc motus fidei non solum est *primus* in ordine praeparationis ad iustitiam (1), sed aliae etiam dispositiones a fide derivant, nec consistere possunt sine fide: Egregie S. Thomas: « Haec tria (motus fidei, caritatis et spei) computantur pro uno motu completo in quantum unum includitur in alio; denominatur tamen iste motus a fide, eo quod (haec) virtute continet in se illos motus et in eis includitur » (2). Ceterum eo ipso in loco qui primo obiicitur, de illa muliere quam fides salvam fecit, dixerat Christus: « *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* ». In aliis testimoniis paulinis evidens est fieri comparationem inter legem V. T. et legem ac doctrinam Christi quae per Evangelii praedicationem nostrae fidei proponitur, ut mox dicetur.

2° Atqui Scriptura *uni* fidei tribuit iustificationem. Hoc passim asseritur a S. Paulo, praesertim in epistolis *ad Rom.* et *ad Gal.*, ubi haec thesis *de sola fide iustificante* ex professo defenditur: « *Arbitramur enim* (ait) *iustificari hominem per fidem sine operibus legis* » (3). Et iterum: *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi Iesu: et nos in Christo Iesu credimus ut iustificemur ex fide Christi et non ex operibus legis: propter quod* (διότι) *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro* » (4).

Resp. Nego Antec.: — Ad testimonia ex Paulo allata *Resp.:*

1° Nunquam Apostolum docere *solam* fidem iustificare; quin imo ipse expresse monet fidem ut ad iustitiam va-

(1) Hoc utique non ita intelligendum est quasi *fides sit prima gratia;* possunt enim, ut iam probatum est contra Jansenianos, quasdam pias cogitationes et voluntatis motus in homine infideli inveniri quae fidem praecedant. Cum tamen huiusmodi supernaturales illustrationes atque inspirationes ad *actum* fidei disponant, possunt merito ad ipsam *fidem*, prout *imperfecta* adhuc et *implicita* est, revocari.

(2) *De Verit.* l. c.

(3) *Rom.*. III, 28.

(4) *Gal.*, II, 16. Cf. *Rom.*, IV, 2; *Eph.*, II. 8.

leat per *caritatem* operari oportere. « *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur* » (1). Ideo autem frequentior in ordine ad iustificationem fidei mentio fit, quia ut diximus, fides est radix ex qua opera caritatis et aliarum virtutum supernaturalium germinant: « Ex fide autem (scribit Augustinus) ideo dicit (Apostolus) iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur ex qua impetrantur cetera, quae proprie opera nuncupantur in quibus iuste vivitur » (2).

2° Speciatim illud quod addit Apostolus *sine operibus* hominem iustificari, de mera exclusione influxus operum naturae, vel legis mosaicae intelligendum est, non autem operum, quae fiunt sub *fidei* influxu et sub gratiae Christi motione (3). Hinc nunquam Apostolus affirmat absolute iustificari hominem *sine operibus,* sed addit sine operibus *legis*. Hanc porro esse genuinam Pauli mentem evidens fit praesertim ex scopo generali, quem ipse sibi proponit, qui huc tendit ut demonstret neque Gentiles per opera naturae, neque Iudaeos per opera legis mosaicae potuisse mereri Evangelii praedicationem. Insuper advertendum est istam locutionem « *opera legis* » nullibi inveniri in libris N. Foederis, praeterquam in solis epistolis ad Romanos et ad Galatas. Iamvero omnibus notum est et ex ipsa lectione textus manifestum, integram fere epistolam ad Gal. et magnam etiam partem epistolae ad Rom. in eo po-

---

(1) *Gal.*, VI, 6.

(2) *De Praedest. Sanct.* n. 12, PL. 44, 969.

(3) Hanc erroneam doctrinae paulinae interpretationem quorundam haereticorum sui temporis vellicat AUGUSTINUS: « Homines autem non intelligentes quod ait ipse *Apostolus: Arbitramur iustificari hominem sine operibus legis*, putaverunt eum dicere: *sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat* ». *De Gr. et lib. arb.* n. 18, PL. 44, 892.

tissimum insistere ut impugnet pervicacem errorem Iudaeorum de interiori et adhuc perdurante valore *operum legis* (1). Itaque a gratia iustificari homines per fidem sine operibus legis idem est ac nullum meritum fidem praecedere, et opera legis, vel quaecumque alia opera bona, si quae sint, ad salutem minime valere nisi a fide procedant. Ceterum si fides tantum ad iustitiam sufficeret, frustra atque inepte Apostolus christianos hortaretur: « *ut in omne opus bonum abundent* » (2).

ARTICULUS VI.

De proprietatibus iustificationis.

Hoc articulo breviter expediemus quae quatuor sequentibus articulis a S. Thoma disseruntur, agentes de quibusdam *dotibus* per quas iustificationis opus eminet tum quoad *suum fieri*, tum ratione suae intrinsecae *dignitatis*, etiam comparate ad cetera excellentiora Dei opera.

---

(1) Ex his apparet admodum inepte opponi pugnam inter doctrinam S. PAULI et doctrinam S. IACOBI, sane: IACOBUS vim iustificandi tribuit bonis operibus *prout haec procedunt a fide.* Hinc utrumque exigit et *fidem et bona opera* ex fide orta. « *Abraham* (ait) *pater noster nonne ex operibus iustificatus est afferens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est? Et suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum* (καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον) ». IAC. II, 21-24. - PAULUS vero negat virtutem iustificativam operibus, quae *ex fide non fiunt*, acriter impugnans et profligans sententiam Iudaeorum asserentium *opera legis valere* ad iustitiam *independenter a fide.* Itaque uterque *Apostolus* conveniunt in eo quod doceant nullum nostris operibus inesse meritum in ordine ad iustitiam independenter ab influxu fidei. Cf. WIESER, *Pauli Doctrina de instif.* § 3 sqq.

(2) Cf. II *Cor.* IX, 8. Cf. VEGA, *De Iustif.* l. 8, c. 6-8.

CONCLUSIO I.

Iustificatio peccatoris formaliter in se sumpta non gradatim, sed uno instanti efficitur.

Status quaestionis. — 1° Iustificatio hic sumitur tum active tum passive in sua ratione *formali*, quatenus est infusio gratiae sanctificantis qua et peccata delentur, et homo fit filius Dei adoptivus et ius adquirit ad vitam aeternam.

2° Hanc formalem iustificationem, non *successione temporis*, sed *instantanee* a Deo effici contendimus contra errorem Hermesii (2) et Güntheri (3); qui docent iustificationem fieri *pedetentim* per successivos actus, utpote quae consistat in serie gratiarum *actualium*, quibus homo excitatus atque adiutus in fide, spe et caritate crescit, donec iugi hac divinis auxiliis cooperatione, et *exercitio* actuum harum virtutum perfecte Deo adhaeret et *habitualiter* honeste ac iuste vivit.

Probatur: — 1° *Ex Conc. Trid.* quod: *a*) Docet infantulos baptismo iustificari, quin defectu usus rationis et conscientiae se ad iustificationem per virtutum actus praeparare possint (4).

b) Insuper definit: « Nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera ipsam iustificationis gratiam promereri posse » (5) Ergo eo minus dispositiones quae in adulto praerequiruntur constituere formaliter possunt ipsam iustificationem, quae illas consequitur.

---

(2) *Dogm.* p. 3, § 260 sqq. Cf. Kleutgen, *Theolog. der Vorzeit.* vol. II, n. 182.

(3) Letztere, *Symbol.*, p. 119.

(4) Cf. Sess. 5, can. 4-5.

(5) Sess. 6, cap. 8.

2° *Ex Patribus*, qui ita iustificationem Baptismo attribuunt ut ea uno instanti effici debeat. Dicunt enim: *a*) per baptismi lavacrum peccatores *purgari*, *renasci, cum Christo resuscitari;* quae omnia temporis successionem a iustificatione excludunt.

b) Insuper affirmant ipsam iustificationem a Deo effectam, habendam esse tanquam radicem et initium christianae vitae, non autem veluti huius consectarium: « Digitus Dei (ait Augustinus) est spiritus Dei per quem sanctificamur, *ut ex fide viventes per dilectionem operemur* » (1).

3° *Ex Ratione*, quae inde desumitur quod *iustificatio est operatio Dei, qua simul liberum arbitrium movetur et infunditur gratia.* Ideo enim, ut arguit S. Doctor, aliquam formam non *subito* imprimi in subiecto contingit, quod subiectum non est dispositum, et agens *tempore* indiget, quo subiectum disponat. Atqui nos ultimam dispositionem ad iustificationem in subiecto adulto adesse supponimus, loquimur enim de iustificatione impii prout est infusio gratiae sanctificantis; et aliunde Deus, qui est causa efficiens iustificationis nullam dispositionem requirit, nisi quam ipse facit; et hanc facere potest eo instanti, quo gratiam infundit. Ergo (2). Si tamen iustificatio lato sensu sumatur non formaliter sed *extensive*, prout infert dispositiones ex parte subiecti adulti « *quae non sunt de substantia iustificationis, sed via in iustificationem* » quandoque quidem extraordinario modo *subito* fit, Deo instantanee movente liberum arbitrium peccatoris erga se per fidem et caritatem, et in peccatum per huius detestationem, et simul infundente gratiam, qua peccatum aufertur (quamodmodum in Paulo et Maria Magdalena accidisse credimus); *ordinarie* vero paulatim et successive evenit; ita tamen ut semper iustificatio

---

(1) De *Spirit.* et *Litter.* n. 28, PL. 44, 218.
(2) Hoc art. 7.

formalis uno momento perficiatur. Ad rem Angelicus: « Dico igitur, quod extrema iustificationis sunt gratia et privatio gratiae, inter quae non cadit medium circa proprium susceptibile: unde oportet quod transitus de uno in alterum sit in instanti; *quamvis causa huius privationis successive tollatur,* saltem secundum quod homo cogitando disponit se ad gratiam, vel saltem secundum quod tempus praeterit postquam Deus se gratiam daturum praeordinavit; et sic gratiae infusio fit in instanti. Et quia *expulsio culpae est formalis effectus gratiae infusae;* inde est quod tota iustificatio impii in instanti est. Nam forma et dispositio ad formam completam et abiectio alterius formae totum est in instanti » (1).

Scholia. — 1° *De ordine naturae secundum prius et posterius inter ea quae ad iustificationem requiruntur* (2). Quatuor itaque in iustificatione impii concurrunt; nempe *gratiae infusio; motus* liberi arbitrii in Deum per *fidem* perfectam; *motus* liberi arbitrii *in peccatum*, et *remissio culpae* (3). Haec quidem, ut diximus, *tempore sunt simul;* sed tamen *ordine naturae* unum eorum est prius altero. Et sane: *dupliciter* haec quatuor considerari possunt, scilicet vel *ex parte Dei iustificantis*, hoc est per respectum ad causam efficientem; vel ex parte hominis, idest per respectum ad causam materialem seu *subiectivam*. - *a*) Itaque si priori modo considerentur ex parte Dei, tunc ordine naturae in iustificatione impii *primum* est gratiae infusio; *secundum* motus liberi arbitri in Deum; *tertium* motus liberi arbitrii in peccatum; et *quartum* remissio culpae. Et equidem iustificatio est quidam *motus* quo peccator sub divino impulsu convertitur ad Deum. Atqui in quolibet motu *primum in or-*

(1) De *Verit.* q. 28 a. 9.
(2) Cf. hic., art. 6.
(3) Cf. art. 6.

dine naturae est *motio* ipsius *moventis*, et hinc in nostro casu est *gratiae infusio; secundum* est *dispositio materiae,* seu motus ipsius *mobilis;* qui in iustificatione impii duplex est, nempe *accessus* ad Deum per motum liberi arbitrii, et *recessus a peccato* per aliam motus rationem quae motum in Deum consequitur, ideo enim peccata detestamur quia haec Deo quem amamus displicent: demum est *terminus* ultimus totius motus, qui est remissio et condonatio culpae.

b) Si vero motus iustificationis consideretur ex parte *hominis* tunc prius *ordine naturae* est *recessus* a termino *a quo*, seu remissio culpae, quam *accessus* ad terminum *ad quem*, seu ad gratiam santificantem; eo modo quod ex parte aëris illuminandi prius est purgari a tenebris, quam consequi lumen. Item est prior motus liberi arbitrii in peccatum, quam in Deum; quia per priorem motum recedit homo a termino *a quo*, idest a peccato, et per motum in Deum accedit ad terminum *ad quem,* idest ad iustitiam, seu gratiam sanctificantem. Demum uterque motus ex parte hominis prior est quam infusio gratiae, siquidem ad eam hominem disponit (4).

2° *Num ultima dispositio* ad *iustificationem* (*contritio et caritas) procedat effective a gratia habituali, vel a gratia actuali*. Cum S. Doctor in hoc art. 8 asserat, in genere *causae efficientis* infusionem gratiae *praecedere* motum liberi arbitrii, quidam opinantur *ultimam dispositionem* ad iustificationem procedere tanquam a causa efficiente a *gratia habituali*: (1). Attamen alii communiter et *verius* dispositiones illas repetunt a *gratia actuali* (2). Hi cohaerenter censent

(1) Hic., art. 8, et *De Ver*. q. 28. a 9.

(2) Ita GONET, *De Iust.* disp. 1, a. 8, et VASQUEZ, I, II, disp. 211.

(3) Cf. SUAREZ, *De Gr*. l. 8, c. 11. - GOTTI, *De Essentia Iustif.* q. 2, dub. 4, § 6.

nomine *gratiae* indicari a S. Thoma non quidem *praecise gratiam* habitualem, sed gratiam gratum facientem *in genere*, prout in ea includitur etiam gratia actualis. Et profecto, vix intelligi potest quomodo actus qui disponunt ad formam, ab ipsa forma producantur; cum praesertim Conc. Trid. doceat instificationem consequi has dispositiones (3). Melius forte res explicari potest, si dicatur *eosdem actus* qui *ante infusionem gratiae habitualis sunt mere dispositivi, per infusionem eiusdem gratiae dignificari tanquam a sua causa formali et fieri meritorios*. Aliis verbis: hi actus ante infusionem gratiae sunt simplices *dispositiones* ad iustificationem; *post infusionem* sunt veluti elementa *constitutiva motus*, seu processus iustificationis propriae dictae (4).

CONCLUSIO II.

Iustificatio impii est excellentissimum Dei opus, quod non quidem simpliciter, sed certo sub adspectu maius est creatione et glorificatione (1).

Nobilissimum Dei opus esse iustificationem ostendunt ii omnes mirabiles effectus, quos in homine ab ea consequi didicimus. Hoc unum revocare sufficiat; per eam hominem ex *impio*, ex *odibili Deo*, ex *filio irae* fieri Dei *amicum*, filium *eius adoptivum*, *vitae aeternae heredem*, et quod horum omnium radix est, *divinae naturae participem*. Verum ut distinctius huius divinis operis dignitas eniteat, iuvabit eam conferre cum *creatione* in ordine naturali, et

---

(3) Sess. 6, cap. 7, quod sic incipit: « Hanc dispositionem, seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur ». Cf. et cap. 8.

(4) Qui hanc quaestionem potius subtilem quam utilem prosequi cupiat, adeat pro priori sententia GONET, l. c. et pro altera SUAREZIUM, l. c. et IOANNEM a S. THOMA, I, II, disp. 28 a. 2.

(1) Hic, art. 9.

cum *glorificatione* in ordine supernaturali; ex qua comparatione apparet dignum iustificationi competere honoris locum inter geminas illas Dei operationes, quae tanquam omnium maximae communi consensu commendantur.

Probatur. — 1° Aliquod opus (arguit S. Thomas) *maximum* dici potest. vel ex parte *modi quo fit*, vel ex *magnitudine rei quae fit.* Iam vero *ratione modi* quo res fit, maximum Dei opus est utique *creatio*, per quam res fit ex *nihilo*, nullo praeexsistente subiecto. Sed tamen quoad *rem ipsam* quae efficitur, iustificatio est opus *maius* creatione, quia dum creatio coeli et terrae terminatur ad bonum naturae mutabilis. iustificatio impii elevat hominem ad bonum aeternum divinae participationis.

2° Adverte insuper, operis magnitudinem considerari posse vel ex absoluta dignitate et *quantitate* rei quae fit, vel *spectata proportione* ad terminum sive subiectum *cui*, vel *in quo* fit opus. Itaque absolute considerata *glorificatio* iustorum est profecto opus maius quam iustificatio impii, quia illa est possessio boni aeterni, quod *iure* tantum et *spe* competit iusto. Si tamen iustificatio spectetur relative *ad subiectum*, iterum ipsa est maius opus quam glorificatio, quia maior est *disproportio* atque distantia inter *impium* et *iustum*, ac inter iustum et beatum; beatitudo enim iure debetur iusto, qui ad illam est per gratiam cooptatus; dum impio debetur poena.

Scholion. — *Iustificatio* est quidem opus summa semper admiratione dignum, quia sola Dei occulta virtute fieri potest, non tamen est *ordinarie* et proprio sensu *miraculosum;* quia non est praeter communem providentiae supernaturalis ordinem. « Quandoque vero (subdit Angelicus) tam vehementer Deus animam movet ut statim quamdam perfectionem iustitiae assequatur; sicut fuit in conversione Pauli, adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: et

ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur ». (1).

QUAESTIO II.

De Merito.

Praemittenda. — 1° *Notio generica meriti.* Nunc demum remanet ut agamus de *merito*, quod, ut iam diximus (2), est potissimus effectus gratiae *cooperantis* a qua tanquam a principio operandi in ordine supernaturali *moraliter* procedit. Meritum in communi intelligimus *affectionem*, vel proprietatem quandam (habitudinis) actus humani *morālis*, vi cuius iste est praemio vel poena dignus (3). Distinguitur itaque meritum tum a *bonitate morali* vel *malitia* actus humani tanquam a sua causa et fundamento; tum a *praemio*, vel a *poena* tanquam a suo *effectu*. Eoque magis quod non omnis actus *moraliter bonus* hanc meriti proprietatem adnexam habet. Sic. v. g. actus, quo beati Deum amant, est quidem maxime moralis, sanctus et sanctificans, non tamen est *meritorius*.

Itaque *meritum* in *abstracto* proprie loquendo est *proportio quaedam habitudinis*, quae intercedit inter bonitatem moralem, vel malitiam actus tanquam a termino *a quo* et inter praemium vel poenam tanquam terminum *ad quem*.

In *concreto* autem meritum dici potest ipsum *opus prout est praemio* vel *poena dignum*. Etsi autem meriti vocabulum *per se* denotet etiam relationem actus *mali* ad poe-

---

(1) Hic, art. 10. – Id quod a S. Thoma in secunda huius art. ratione dicitur, nempe: « iustificationem impii non esse miraculosam, quia *naturaliter anima est gratiae capax* »; non ita est intelligendum quasi anima habeat naturalem potentiam ad ordinem gratiae: sed hoc unum sibi vult S. Doctor: *potentiam obedientialem recipiendi gratiam consequi ex natura creaturae rationalis.*

(2) Cf. supr. p. 393, n. 2.

(3) Cf. I, II, q. 21 a. 3.

nam, communius tamen accipitur pro iure vel connexione actus *boni* ad praemium; quo sensu in hac quaestione nisi aliter notetur, meritum semper assumitur: nexus enim actus mali ad poenam potius *demeritum* dici solet.

2° *Notio satisfactionis* et *impetrationis.* Notioni meriti affines quidem sunt conceptus *satisfactionis* et *impetrationis* (qui sunt ceteri duo *effectus morales* gratiae). Sed tamen *formaliter* differunt. Differt meritum a *satisfactione*, quia illud respicit *mercedem* vel praemium; haec autem *placationem iniuriae.* Differt etiam ab *impetratione*, quia licet ambo ad retributionem referantur et moveant, diversa tamen in eis est *ratio motiva. Merens* enim movet *iustitiam* retribuentis ad *mercedem* vel praemium dandum, exhibens illi opus quod ratione sui obiectivi valoris sit praemio *aliqualiter* saltem proportionatum.

Impetrans autem profert tantum submissam *petitionem* et manifestationem propriae indigentiae, qua retribuentis *misericordia* ad dona sua largienda ex liberalitate moveatur. Sic *mercenarius* exhibens opus postulat mercedem; *mendicus* suam egestatem ostendens eleemosynam petit. Insuper *impetratio* per se competit *soli orationi*; meritum vero cuilibet operi bono inesse potest. Hinc qui meriti est incapax potest quandoque aliquid impetrare. Ita Angeli, et Beati, et Animae purgantes multa nobis impetrant, *quin mereantur.* E contra iusti viatores *orando* semper merentur, eo quod oratio sit opus bonum, quin tamen semper impetrent quod petunt (1).

3° *Variae meriti species. a*) *Meritum de condigno* et *de congruo.* Cum retributio bonis operibus ex duplici diverso titulo convenire possit, nimirum vel ex *debito iustitiae*, vel ex quadam *decentia,* praesertim considerata praemiantis

---

(1) Cf.. II, II, q. 83, a. a. 15-16.

liberalitate, duae meriti species habentur, quae a theologis saltem iam a tempore S. Thomae, usu communi et denominatione technica dicuntur *de condigno* et *de congruo*. « Dicitur (ait Angelicus) aliquid mereri *de condigno*, quando invenitur aequalitas inter meritum (opus meritorium) et praemium secundum *rectam aestimationem*; *de congruo* autem tantum quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur, quod *dantem decet* » (1). Sic v. g. operario *de condigno* debetur pacta merces et militi munere suo functo stipendium: militi autem maxime strenue pro rege dimicanti competit *ex congruo* speciale praemium. - Per hoc igitur formaliter distinguitur meritum de *condigno* a merito de *congruo*, quod illud *iustitiae*, istud autem cuidam convenientiae morali innititur: hinc illud est meritum proprie dictum, alterum vero analogice tantum rationem meriti participat. Attente enim consideranti *quadruplex* apparet distinctio inter utrumque meritum:

α) Prima *obiectiva* ex parte operis quod in merito de *condigno* habet *aequalitatem* cum praemio, vel mercede, non quidem arithmeticam, sed secundum rectam aestimationem, et quadantenus secundum comprehensionem virtualem, « sicut semen (ait eleganter S. Thomas) arboris in quo est virtus ad totam arborem » (2). E contra in opere meritorio ex *congruo*, haec aequalitatis cum praemio proportio non invenitur, sed tantum habetur quaedam convenientiae moralis relatio.

β) Altera *subiectiva* ex parte *merentis* in quo meritum de *condigno* fundat verum *ius* ad praemium, cui respondet *debitum* in retribuente; dum meritum de *congruo* nullum ius affert, sed tantum quandam *decentiam* ad praemium fun-

(1) I *Dist.* 27, q. 1 a. 3.-Cf. etiam *Suppl.* q. 14 a. 4.
(2) Hic, q. 114 a. 3, ad 3.

datam non tam in intrinseco valore operis, quam potius in liberalitate praemiantis.

γ) Tertia ex parte *connexionis* cum praemio, quod *infallibiliter* debetur merito de *condigno*, non autem merito de *congruo*, quod per se *fallibile* est, nisi adsit promissio, quae retribuentis fidelitatem devinciat.

δ) Quarta demum ex parte *finis* seu obiecti immediati, quod pro merito de *condigno* est vita aeterna, dum obiecta meriti ex *congruo* sunt *media* ad vitam aeternam.

b) Meritum de *condigno* subdividitur in *commune* et secundum *rigorem iustitiae*. In merito *strictae* iustitiae perfecte salvatur aequalitas inter praemium et meritum; et habetur cum quis opus *adaequate* proportionatum ad praemium alteri profert, *propriis viribus* factum, nec aliunde *debitum*, *pro se* et non *pro aliis*. Cum itaque in huiusmodi merito requiratur aequalitas vel saltem *independentia personalitatis* iuridicae inter merentem et retribuentem, manifestum est in nulla creatura hoc strictum meritum inveneri posse relate ad Deum, sed esse proprium unius Christi Redemptoris ob unionem hypostaticam.

4° *Divisio quaestionis*. S. Thomas decem articulis, agit de possibilitate meriti in homine erga Deum (a. 1); de principio meriti in ordine supernaturali, quod est gratia (a. 2); de exsistentia in iusto meriti de *condigno* vitae aeternae (a. 3); de influxu caritatis in opera meritoria de condigno (a. 4); deinde sex ceteris articulis inquirit de obiectis quae intra meriti causalitatem utcumque includuntur, vel ab ea absolute excluduntur. Cum vero nos iam alibi dixerimus de *absoluta necessitate gratiae* ad meritum supernaturale (1) et de omnimoda *gratuitate primae* gratiae, quam nullum meritum praecedere potest (2),

---

(1) Cf. supr. p. 118 sq.
(2) Cf. supr. p. 199 sq.

novem articulis qaestionem distribuimus, inquirentes: 1. Utrum homo possit aliquid mereri a Deo, seu de possibilitate meriti *in genere*, etiam praescindendo ab ordine supernaturali: 2. Utrum iustus possit per gratiam mereri vitam aeternam etiam ex *condigno*: 3. Quae conditiones requirantur ad *meritum de condigno*: 4. Utrum gratia sit principium merendi mediante caritate principaliter: 5. Utrum iustus possit mereri primam gratiam *alteri*: 6. Utrum iustus possit sibi mereri reparationem post lapsum: 7. Utrum iustus possit sibi mereri augmentum gratiae vel caritatis: 8. Utrum iustus possit sibi mereri perseverantiam finalem: 9. Utrum bona temporalia cadant sub merito.

Articulus I.

Utrum homo possit aliquid mereri a Deo.

Praemittenda. — Antequam exsistentia et natura specifica meriti quod bonis iustorum operibus inest, dogmatice statuamus atque determinemus, ipsam radicem meriti in homine erga Deum, et eius essentiam, veluti transcendentalem, praestat investigare. In hac inquisitione, quae fit a S. Doctore art. 1 huius questionis, *praescinditur* ab elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, et homo consideratur ut *causa libera* suorum actuum; meritum autem accipitur in *notione* sua *generalissima*, prout denotat proportionem aliquam ad *aliquod* praemium.

Radix igitur *possibilitatis* meriti petitur a *libero arbitrio*, seu rectius et praecise ab *ordinatione divina*, per quam Deus homini virtutem operandi deputavit, et *seipsum movendi* ad agendum per liberum arbitrium. Attamen, cum quidquid homo habet a Deo acceperit, illique ut supremo Domino sit natura sua essentialiter subditus, nequit esse subiectum capax *iuris* et *meriti simpliciter dicti*, idest

iuxta perfectam iustitiam, erga Deum, sed tantum secundum proportionem quandam et « secundum *praesuppositionem divinae ordinationis* ita scilicet, ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem ad quod ei Deus virtutem operandi deputavit » (1).

Hac distinctione inter meritum rigorosae iustitiae et meritum ex suppositione divinae ordinationis omnes obiectiones, quae ex ratione fiunt contra possibilitatem meriti in creatura rationali erga Deum, facile solvuntur; sit itaque:

CONCLUSIO

Homo non potest aliquid a Deo simpliciter mereri secundum absolutam iustitiae aequalitatem; potest tamen aliquid vere a Deo mereri secundum quandam iustitiae proportionem ex praesuppositione divinae ordinationis.

I. **Probatur prima pars**: — Meritum secundum perfectam iustitiae exigentiam inter eos tantum contingere potest inter quos adest perfecta aequalitas, vel *iuridica independentia.* Meritum enim et merces ad iustitiam referuntur: ibi igitur est meritum *simpliciter dictum* ubi conditiones strictae iustitiae servantur. Atqui ad rigorosam iustitiam non sufficit ut pretium vel opus sit quoad suam physicam entitatem aequale rei retribuendae, vel praemio, sed requiritur ut merens sit aequalis dignitatis personalis specificae, vel saltem genericae ac retributor, vel certe exigitur in merente quaedam *independentia realis* et *iuridica* a retribuente; ita ut ille non sit huic saltem totaliter subiectus et opus exhibeat quod plene sit suum, idest, quod ab ipso libere procedat, nec ullo titulo iuridico retribuenti debeatur.

---

(1) Hic, art. 1.

Iam vero in quacumque creatura haec independentia realis et iuridica a Deo est prorsus impossibilis. Quaelibet enim creatura essentialiter Deo omnino subiicitur quoad *esse* et quoad *operari*, ita ut nullum bonum in ea sit nisi Deo sponte et libere donante, eiusque dominium retinente. Hinc nihil ab homine Deo exhiberi potest, quod ab eo gratis non acceperit et in eum necessario non sit referendum. Ergo.

II. **Probatur altera pars**: — Ut verum habeatur meritum sufficit proportio inter opus ab homine *libere* praestitum et praemium secundum quandam aequalitatem, si ex parte Dei adsit ordinatio illius operis ad praemium. Si enim opus sit entitative, et saltem proportionate aequivalens praemio, et si hoc ipsum opus Deus ordinaverit ad praemium, patet in homine ius oriri ad praemii retributionem, et in ipso Deo adesse debitum eiusdem retributionis; licet ob inaequalitatem maximam quae inest inter creaturam et Creatorem, Deus non tam homini, quam sibi libere opus ordinanti ad mercedem, debitor quodammodo dicendus sit.

Iam vero non repugnat opus aliquod humanum in genere moris spectatum, entitative aequivalere *alicui* praemio, saltem ordinis naturalis. Ergo si Deus hoc ipsum opus ad mercedem ordinaverit, ex illius libera exhibitione exsurgit in homine ius ad retributionem.

Obiectiones. — 1° Merces debetur operi in alterius utilitatem praestito. Atqui nulla Deo utilitas ex hominis obsequio provenit. Ergo.

Resp. Dist. min.: Nulla *intrinseca* utilitas, ex qua Deo perfectionis augmentum contingat, *Conc.; extrinseca*, quae in eius glorificatione consistit, seu in manifestatione et recognitione suae bonitatis, *Nego:* « Ex hoc (ait S. Thomas) quod eum (Deum) colimus nihil ei accrescit, sed nobis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operi-

bus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter eius gloriam operamur » (1).

2º Atqui extrinseca glorificatio non sufficit ad rationem meriti. Nam de ratione meriti est ut opus seu obsequium nullo titulo sit debitum ei cui tribuitur. At glorificatio omnibus titulis a creatura debetur Creatori. Ergo.

Resp. Dist. Mai.: Obsequium nullo titulo retribuenti debitum esse debet ad meritum *ex rigore iustitiae*, *Conc.;* ad meritum verum quidem, sed secundum aliqualis tantum iustitiae retributionem, *Subd.:* nisi habeatur retribuentis ordinatio, qua opus ad praemium referat, *Conc.;* si haec praeordinatio et dispositio adsit, *Nego.* – Adde quod licet obsequium ex iustitia debeatur, cum tamen libere ita profertur, ut possit per libertatis abusum negari, est laude et praemio dignum praesupposita divina ordinatione: « alioquin (ait sapienter S. Doctor) actus, quo quis reddit debitum, non esset meritorius » (2).

3º Atqui meritum creaturae repugnat dignitati et libertati Creatoris: merito enim respondet *debitum ex* parte retribuentis. At vero Deus nemini debitor esse potest. Ergo.

Resp. Dist. min.: Deus alteri debitor fieri nequit citra praesuppositionem ordinationis, *Conc.;* posita sua promissione et ordinatione, *Subd.:* nequit alteri fieri debitor ob ius huic originarie inhaerens, *Conc.;* debitor, vel *fidelis* sibi ob suam promissionem, *Nego.* « Debitor (ait Augustinus) factus est Deus, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit *promittendo* » (3).

(1) Hic, ad 2.

(2) Hic, ad 1.

(3) *Serm.* 158 *De Verbis Apost.*, cap. 2, PL. 38, 863.

Articulus II.

Utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam aeternam de condigno (1).

Praemittenda. — 1° *Errores.* Possibilitate meriti *in genere* ex parte hominis erga Deum asserta, nunc de vera ratione meriti, quae bonis iustorum operibus inest, inquirimus (2).

Novatores saec. XVI generatim quodcumque hominis iustificati meritum erga Deum horrebant. Et *logice* quidem ex fundamentali doctrina Lutheri circa naturam mere *extrinsecam* nostrae iustificationis. Nulla enim opera bona, eoque minus vitae aeternae meritoria admitti possunt in eo qui etiam post adeptam iustificationem intrinsece corruptus manet, et sub absoluto concupiscentiae dominio in omnibus suis operibus agit. Quo etiam fit ut nostrae salutis meritum uni Redemptori Christo competat, cui magna infertur

---

(1) Hic. art. 3.

(2) Supponimus *principium* meriti in ordine supernaturali esse *gratiam;* et hinc nullum opus vitae aeternae meritorium esse nisi ab homine in gratia iam constituto procedat et ex impulsu gratiae fiat. « Vita aeterna (ait S. Thomas) est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium eius... Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur »: hic art. 2. Adverte hunc articulum iisdem terminis proponi ac art. 5 q. 109. - Distinctus tamen est respectus sub quo in utroque articulo consideratur *ordo gratiae* ad vitam aeternam, iuxta duplicem relationem quam gratia dicit ad vitam aeternam, scilicet vel *medii necessarii* ad finem, vel *causae* ad effectum. Prior relatio consideratur in q. 109. In hoc autem art. 7, q. 114 ostenditur potius *nexus causalis* gratiae ad beatitudinem. Hinc in hac altera consideratione gratia potissimum ut *habitualis*, seu formaliter sanctificans adsumitur.

niuria attribuendo iusti operibus qualemcumque meriti vel etiam bonitatis rationem (1). Etsi vero theologi protestantes hanc Lutheri immoralem doctrinam postea emollierint, asserentes bona iustorum opera Deo placere, et esse praemiorum temporalium digna, nunquam tamen aliquam meriti virtutem in ordine ad vitam aeternam his bonis operibus agnoverunt (2).

2° *Doctrina catholica* tanquam *dogma fidei* credendum proponit bonis iustorum operibus *veram* meriti rationem competere. « Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt non vere mereri... vitam aeternam a. s. » (3).

Ex hac definitione theologi fere omnes concludunt confirmari tanquam *certam* eorum sententiam, qui bonis iustorum operibus valorem meriti de *condigno* attribuendum esse

(1) « Omne opus iusti (scribit LUTHERUS) damnabile est et peccatum mortale si iudicio Dei iudicetur ». Et iterum : « Erga Deum non operibus sed nuda fide indigemus: debemus enim cum solo Isaac venire, idest in fide; servos et asinos, hoc est opera, deorsum dimittere oportet ». Cf. MÖEHLER, *Symb.* § 22. - KLEE, *Dogmengesch.* par. II, cap. 5. - DENZ., n. 650. – DENIFLE, *Lutherus und Lutheranismus,* I, 13 H. – Idem quoad substantiam, licet mitiori forma, docet CALVINUS asserens: « nullum unquam extitisse pii hominis opus, quod si severo Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile » *Inst.* l. 3, c. 14, § 11. - Ceterum notum est hoc ipsum Lutheri nefarium dogma primis Ecclesiae saeculis docuisse SIMONEM MAGUM, NICOLAITAS, GNOSTICOS plerosque praesertim VALENTINIANOS et MANICHAEOS: media autem aetate BEGUARDOS, FRATRES LIBEROS aliosque sectarios. Cf. KLEE, l. c.

(2) Cf. MÖEHLER l. c. – WIEST, *Demonstr. dogm.* vol. 6, pag. 114 sqq.

(3) *Conc. Trid.* sess. 6, can. 32. Cf. ibid. cap. 16. – Hoc ipsum definit *Conc. Araus.* II, can. 18. « Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant ». DENZ. 161. Idem docent *Conc. Lat.* IV, c. 1. DENZ. 357; et *Conc. Flor.* Decr. Union. DENZ. 588.

contendunt (1). Licet enim Conc. Trid. ab hac voce abstinuerit, et quidem *consulto*, ne quorundam veterum scholasticorum contrarium dicendi modum directe damnaret; cum tamen definiat ipsum iustificatum bonis operibus *vere* mereri vitam aeternam, quae illis tanquam *merces* a Deo fideliter reddenda est (2); legitime arguitur inesse iis dignitatem meriti de *condigno*. Hoc unum enim est *verum* et proprie dictum meritum, cui ex iustitiae debito respondet merces, vel praemium; dum meritum *de congruo* est tantum meritum *secundum quid* et analogice. Hinc contraria sententia post Conc. Trid. obsolevit.

CONCLUSIO

Bonis iustorum operibus ex gratia factis competit vera ratio meriti et quidem de condigno.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura*, quae: *a*) *generatim* bonis hominum operibus meritum adscribit. Sic, Ecclesiasticus: « *Omnis misericordia* (eleemosyna) *faciet locum uni-*

---

(1) Haec ceteroquin doctrina etiam ante Conc. Trid. communior erat. Hanc defendunt S. THOMAS in hoc art. et in *Comment S. Pauli*. cap. 4 et 8 ad *Rom.*, etc. S. BONAVENTURA, II sent., dist. 27 a. 2 q. ult. - SCOTUS, I, dist. 17, q. 1 a. 1 et alibi passim. - RICHARDUS a MEDIAVILLA, IV, dist. 46 a. 1, q. 1, aliique plurimi. - Contrariam proponunt, GREG. ARIMINENSIS I, dist. 17, q. 1 a. 2; DURANDUS, I, dist. 17, q. 2 et II, dist. 27, q. 2, aliique pauci. Cf. circa hanc duplicem sententiam inter antiquos S. BONAV. l. c. *Scholia* Edit. QUARACCHI. - VEGA. *De Instif. fide et operibus*, q. 5. - BELLARM., *De Inst.* l. 5, c. 20. - SUAREZ, *De Gr.* l. 12, cap. 1.

(2) Cf. Conc. Trid., sess. 6, cap. 16 ubi ratio meriti inhaerens bonis piorum operibus sic delineatur: « Bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam *merces* ex ipsius Dei promissione bonis operibus et *meritis fideliter* reddenda. Haec est enim illa *corona iustitiae*, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, *a iusto iudice sibi reddendam* ».

cuique secundum meritum operum suorum» (1) Et Apostolus: « *Beneficientiae autem et communionis* (εὐποιΐας καὶ κοινωνίας, idest, liberalitatis seu communicationis suorum bonorum cum pauperibus) *nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus* (εὐαρεστεῖται ὁ θεός, idest, sibi complacet, placatur et ad remunerationem inducitur). (2).

b) *Veram meriti rationem* in ordine supernaturali commendat, dum asserit Deum *reddere, retribuere* secundum opera sive bona, sive mala. Sic Matth.: « *Reddet unicuique secundum opera eius* » (3). Et Apostolus: *Qui parce seminat, parce et metet; qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet* » (4). Iamvero quod datur iuxta mensuram operis, non profecto gratuito confertur, sed tanquam *retributio* meritis, habita ratione dignitatis ipsius operis. Hoc ipso argumento utitur Paulus ut *gratuitatem gratiae arguat,* ex eo scilicet quod haec non datur operibus: « *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia;* (5).

c) Docet eandem esse respective relationem operum bonorum, quae a iustis fiunt ad vitam aeternam, ac est inter malas impiorum actiones et poenam aeternam. Atqui omnibus, vel ipsis Protestantibus consentientibus, aeterna poena debetur reis ob mala eorum merita. Ergo etiam bonis

---

(1) XVI, 15: Graecus textus habet: ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. Plures Codices loco κατὰ ἔργα legunt: κάτ' ἀξίαν. Ex hoc apparet quam inepte CALVINUS S. HIERONYMUM reprehendat eo quod verterit « *secundum meritum* » dum haec vox in S. Scriptura non occurrit. Vox quidem pro diversitate linguarum in versione graeca non est, sed *sensus* conceptum *meriti* omnino exigit. Utraque enim locutio *meritum* designat pro dignitate, vel iuxta mensuram operum. Cf. GORDONI in h. l.

(2) *Hebr.* XIII, 16.

(3) XVI, 27. Cf. *Psal.* LXI, 13.

(4) II *Cor.* IX, 6.

(5) *Rom.*, XI, 6.

iustorum operibus inest ratio veri meriti, cui respondet ex parte Dei debitum dandi vitam aeternam: « *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim et dedistis mihi manducare. – Discedite a me maledicti... esurivi enim et non dedistis mihi manducare* (1).

d) Hoc autem meritum esse vere *de condigno* S. Scriptura primo quidem insinuat iis frequentioribus testimoniis quibus asserit vitam aeternam dari tanquam *mercedem* bonis iustorum operibus. Sic, v. gr. Christus ipse ad fortitudinem discipulos hortatur proposita spe mercedis. « *Gaudete et exsultate quia merces* (ὁ μισθὸς) *vestra copiosa est in caelis* » (2). Et Paulus: « *Unusquisque autem propriam mercedem* (μισθὸν) *accipiet secundum suum laborem* (κατὰ τὸν ἴδιον κόπον) » (3). Et Ioannes: « *Qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam* » (4).

e) Demum *explicite* vitam aeternam tanquam ex *iustitia* meritis iustorum retribuendam affirmat: Sic Apostolus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona iustitiae* (ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος), *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* (ὁ δίκαιος κριτής) *non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius* » (5). Et iterum: « *Non enim iniustus est Deus ut obliviscetur operis vestris et dilectionis* » (6). Cui consonat Iacobus: « *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, acci-*

(1) Matth., XXV, 34... 41.

(2) Math., V, 12.

(3) I *Cor.*, III, 8.

(4) IV, 36.

(5) II *Tim.* IV, 7-8. Cf. I *Cor.*, IX, 24, ubi vita aeterna comparatur *bravio* quod ex iustitia debetur ei qui in agone contendens victor prodit.

(6) « οὐ γὰρ ἄδικος ὁ θεός, ἐπιλαθέσται τοῦ ἔγον ὑμῶν καὶ τῆς ἀγάπης ». *Hebr.*, VI, 10.

piet coronam vitae (τὸν στέφανον τῆς ζωῆς), *quam repromisit Deus diligentibus se* » (1). Itaque Deus, non solum tanquam misericors, et liberalis, sed etiam ut *iustus iudex,* et ut *simpliciter iustus* vitam aeternam hominibus in gratia decedentibus ob eorum merita iuxta debitum iustitiae compensanda retribuit.

2° *Ex Patribus.* Patres, quos sibi generatim hac in re adversarios fatebantur reformatores, omnibus modis dignitatem meriti bonis piorum actionibus vindicant. Et profecto: *a*) Communis Patrum doctrina est, vitam aeternam dari bonis operibus tanquam *remunerationem eodem modo ac poena* aeterna reis ob demerita irrogatur: « Edocti a Prophetis (ait Iustinus) poenas ac supplicia ac bonas remunerationes pro meritis actionum cuiusque irrogari verum esse confirmamus » (2). Et Ambrosius: « Nonne evidens est meritorum aut praemia, aut supplicia post mortem manere? » (3). Et Augustinus: « Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; *ita merito iustitiae tanquam stipendium vita aeterna* » (4).

---

(1) I. 12. Cf. *Sap.*, V, 16; *Isaias*, XL, 10, etc.

(2) *Apol.*, I. n. 43, PG. 6. 391.

(3) *De Officiis*, I c. 15; PL. 16. 40.

(4) *Epist.* 194 *ad Sixtum,* c. 5, n. 20. PL. 33, 876. Cf. CYPRIAN. *De habitu Virginum*, n. 23, PL. 4, 463. HIERONYM. *C. Jovinian.*, II, passim., etc. Cf. alia plura testimonia apud BELLARM. *De Iustif.* l. 5, cap. 4. - BERTI, *Discipl. theol.*, l. 19, c. 7. - Neque dissentit S. BERNARDUS, cuius nobis adversarii hoc testimonium opponunt: « Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex iure, aut Deus iniustitiam aliquam faceret nisi eam donaret ». Serm. I *De Annunt.* PL. 183, 383. Respondemus, *Doctorem Mellifluum* hoc tantum intendere ut neget *ius trictum* exsurgere in iusto ex suis bonis operibus *citra promissionem,* vel *ordinationem* divinam; quod est certissimum; ad hoc enim ius semper praesupponi debet promissio vel ordinatio Dei. Ceterum non semel S. Bernardus rationem veri meriti iustorum bonis operibus adscribit, ut dum ait: « Omne quod feceris bonum, quod quidem non facere liberum est, merito ad meritum deputatur ». Serm. 81 *In Cant.*

b) Docent *diversum gloriae gradum* retribui iustis secundum diversa merita ex varia operum dignitate ac perfectione aestimanda, hinc ad vitae christianae perfectionem fideles excitant, spe maioris retributionis: « Merita mea (ait Polycarpus coram iudice) doloris aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto praemia maiora percipiam » (1). Et Irenaeus: « Pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per *agonem* nobis acquiritur, sed non ultra coalitam, et quanto per *agonem* nobis advenit, tanto est pretiosior » (2).

c) Denique diserte asserunt Deum fieri *debitorem* erga bona iustorum opera, et hinc gloriae retributionem esse ex parte Dei *actum* non solum misericordiae, sed etiam *iustitiae*. « Bonum factum (scribit Tertullianus) Deum habet debitorem sicut et malum, quia iudex omnis remunerator est causae » (3). Et Augustinus: « In his quae iam habemus laudemus Deum largitorem: in his, quae nondum habemus, teneamus *debitorem*. Debitor enim factus est non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo » (4). Et iterum: « Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet corona iustitiae » (5).

---

(1) *Acta Martyrii S. Polyc.* n. 10, PG. 5, 1032 - Cf. BARDENHEWER, Patrol., § 11, 4.

(2) *Adv. haeres.*, IV, c. 15, n. 57, PG. 16, 40.

(3) *De Poenit.* c. 2. PL. 1, 1230.

(4) *Serm.* 158, PL. 33, 863.

(5) *De Nat. et Gratia*, c. 2, PL. 44, 249. Falso omnino quidam ex theologis protestantibus ac iansenianis S. Augustinum veluti *meriti* iustorum osorem traducere volunt, ex eo quod ipse docuerit vitam aeternam non ex merito sed ex gratia dari. Sane S. Doctor semper affirmat sacram Scripturam vere et explicite docere vitam aeternam reddi bonis meritis iustorum. Attamen cum ordinis supernaturalis gratuitas vindicanda illi esset contra Pelagianos et Semipelegianos, qui ex eo quod vita aeterna proponitur nobis ut *merces* et *corona* arguebant gratiam generatim dari ex operibus praecedentibus, ostendit ita vitam aeternam dici mercedem redditam operibus, ut tamen *radicaliter* sit

3° *Ex ratione.* *a*) Primo quidem arguere possumus ex alio dogmate, nempe ex iudicio particulari et universali, quae operibus iudicandorum rationem meriti, vel demeriti inesse supponunt. « Si enim nullum est meritum (ait scite S. Augustinus) vel bonum piorum, vel malum impiorum, quomodo iudicabit Deus mundum? » (1).

b) *Directe* arguimus ex libertate *arbitrii* quae etiam sub gratiae influxu manet. Homo enim per liberum arbitrium, etiam elevatum, est *dominus suorum actuum*, et liberum Deo praestare potest obsequium. Atqui obsequium ab homine iusto *libere* praestitum, posita divina ordinatione, ius ad praemium confert. Licet enim omne obsequium Deo a creatura debeatur, tamen cum per *libertatis abusum* ab homine illud Deo denegari, vel non plene exhiberi possit, si hoc ipsum libere proferatur ab homine *Deo caro eiusque*

---

gratia, eo quod non aliter opera salutaria fieri possunt, quam per gratiae auxilium. « Nulla ne (ait ep. 194, c. 4, n. 6, PL. 33, 876) sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt, *Sed ut iusti fierent* (non igitur ut iuste operarentur) *merita non fuerunt* ». In libro autem *de Gratia et libero arb.* ex professo inquirit, qua ratione vita aeterna sit merces et tamen ex gratia sit; et difficultatem inter hos duos terminos apparentem solvit: « Sed nascitur (ait c. 8, n. 18-19) non parva quaestio quae Domino donante, solvenda est. Si enim vita aeterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit s. Scriptura *quoniam Deus reddet unicuique secundum opera eius:* quomodo gratia est vita aeterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente?... Ista quaestio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus et ipsa bona nostra opera quibus aeterna redditur vita ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus Iesus: *Sine me nihil potestis facere.* (Ioa., XV, 5). Itaque, carissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio et vita aeterna quae bonae vitae redditur, gratia Dei est; et ipsa enim gratis datur, quia *gratis data est illa, cui datur.* Sed illa cui datur tantummodo gratia est; haec autem, quae illi datur, quoniam praemium eius est, gratia est pro gratia, tanquam *merces pro iustitia;* ut verum sit, quoniam verum est quia reddet unicuique Deus secundum opera sua ». PL. 47, 892 sq.

(1) Ep. 214, *Ad Valen.*, n. 4, PL. 33, 970.

amico, et aliunde procedat a potentia per gratiae donum elevata ad ordinem supernaturalem, vere praemio dignum censendum est. Egregie S. Thomas: « Dicendum, quod etiam reddendo quod debet meretur aliquis: in hoc enim aliquis apud Deum meretur in quo etiam vitae laudabilis apud homines constituitur. Actus autem iustitiae est laudabilis, sicut et aliarum virtutum, unde etiam actus iustitiae meritorius est (quamvis quidam hoc quondam negaverint) et tamen actus iustitiae in redditione debiti etiam quod homini debetur consistit. Quamvis enim illud quod reddit, quod debitum est alteri, suum non sit; nihilominus tamen *modus operationis, in quo fundatur* et *ius merendi* et *laus*, ipsius reddentis est qui voluntarie (libere) et propter bonum iustitiae reddit » (1).

c) Demum ex accuratiori analysi elementorum constituentium ipsum opus bonum hominis iustificati, et sub gratiae influxu elicitum legitime arguitur eius *proportio aequalitatis virtualis* ad vitam aeternam, in qua proportione fundatur meritum de *condigno*. Et profecto, opus obiective bonum ex motivo supernaturali et ex gratia excitante atque cooperante factum, est *entitative supernaturale,* et ideo *in se* iam praehabet veram proportionem ordinis ad finem supernaturalem, idest ad beatitudinem. Insuper eadem intrinseca proportio habetur ex parte *operantis,* cum homo iustus sit amicus Dei, eiusque filius adoptivus, vivum Christi membrum, et ut *tale formaliter* ponens opus. Sicut igitur inter semen et arborem et fructum habetur vera proportio aequalitatis, non quidem arithmetica, sed *virtualis*: sic est vera atque intrinseca habitudo aequalitatis virtualis inter opus procedens a motione Dei supernaturali et ex influxu *vitali* gratiae sanctificantis et caritatis, quae iusto conferunt esse deificum vitamque radicaliter divinam, et inter beatitu-

(1) II, *Dist.* 27, q. I, art. 3 ad 3.

dinem aeternam. Vita enim beata virtualiter in *esse divino* per gratiam homini communicata continetur ut in *seminis virtute* est arbor et fructus » (1). Nihil ergo deesse censendum est operi. quod ab homine iustificato ex gratiae actualis et sanctificantis virtute libere exhibetur, ad hoc ut sit intrinsece proportionatum in *actu primo* ad vitam aeternam. Adest quoque *acceptatio* divina, seu ordinatio huius operis ad mercedem beatitudinis, quae ordinatio non solum praesupponitur ex gratuita largitione auxiliorum divinorum et gratiae sanctificantis, sed *expresse* declaratur in promissione divina. Iure itaque Angelicus concludit, quod etsi opus hominis, si consideretur quoad substantiam eius et *prout procedit ex libero arbitrio,* non possit esse meritorium de *condigno* propter maximam inaequalitatem inter ipsum et vitam aeternam, sed tantum de *congruo,* quia « congruum est ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis » ; tamen si hoc opus consideretur prout procedit ex gratia Spiritus Sancti, et secundum dignitatem gratiae per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei: « sic est meritorium vitae aeternae ex condigno » (2).

Hanc ipsam S. Thomae doctrinam eleganter exponit atque illustrat Doctor Seraphicus, indicans diversas rationes quae in opere iusti fundant meritum tum ex *congruo*, tum *ex condigno.* « Opus meritorium (ait) comparationem habet ad *principium* a quo exit et ad *finem* pro quo fit, et ad *statum* in quo fit. - Si loquamur de ipso per comparationem ad *principium,* sic opus et ortum habet a *voluntate libera*, et ortum habet a *gratia.* Et in quantum ortum habet a *voluntate libera* est meritorium merito *congrui ;* sic

(1) Hic, ad 3.

(2) Hic, art. 3. Cf. II, *Dist.* 27, a. 3 et 5.

enim quodam modo nostrum est, et quasi alterius generis est, quam sit ipsum praemium, quod debet ei retribui. In quantum autem ortum habet *a gratia*, sic cum gratia reddat hominem acceptum Deo et sit *quid divinum*, et ad hoc sit ordinata, ut ducat ad Deum; opus illud est meritorium merito *condigni*. - Si autem comparemus opus meritorium ad eum *pro quo* fit, hoc potest esse dupliciter: vel ad *largitatem dispensantis*, vel ad *veritatem pollicentis*. Si comparetur ad *largitatem dispensantis* sic est meritorium merito *congrui*: nam pro suae liberalitatis immensitate decet ipsum pro modico obsequio retribuere magnum praemium. Si vero comparetur ad veritatem *pollicentis*, ex qua promisit et quodam modo voluntarie se obligavit, quod tanto operi tantum redderet praemium; sic opus illud meritorium est merito *condigni*. – Si autem tertio modo comparemus opus meritorium ad statum, hoc potest esse dupliciter: aut quantum ad *temporis opportunitatem*, aut quantum ad *operis difficultatem*. Si quantum ad *temporis opportunitatem*, quia nunc est *tempus seminandi*, sicut dicit Apostolus (II *Cor*. IX, 6, *Gal*. VI, 8), et qui facit opera meritoria semen proiicit in *terram bonam*: *congruum* est ut ex hac terra magnum fructum suscipiat. Et ideo recte Deus ei qui in praesenti dimittit modicum, promittit reddere centuplum. Si autem consideretur operis *arduitas*, quia opus tale sic est in voluntate facientis, ut sit supra vires; et homo elevatur in faciendo ipsum supra se, et bono proprio praeponat bonum aeternum hinc est, quod tale genus operis aeterna remuneratione est dignum, et sic per ipsum mereri contingit merito *condigni*. - Patet igitur quod opus meritorum consideratum in comparatione ad *voluntatis libertatem*, et *dispensatoris liberalitatem* et *temporis opportunitatem* est meritorium merito *congrui*. Comparatum vero ad *gratiae digni-*

tatem, ad pollicentis veritatem et ad *sui ipsius difficultatem* est meritorium merito *condigni* (1).

Scholion. — *Ad quam iustitiae speciem retributio vitae aeternae pro meritis pertineat.* Ex dictis consequitur meritis iustorum praemium a Deo reddi non ex *gratitudine,* vel ex *fidelitate tantum,* ut censent Medina (2), Vasquez (3) aliique pauci, sed ex aliquali *iustitia.* Modus loquendi S. Scripturae, quae ut vidimus, *ex iustitia Dei* probat infallibilitatem retributionis, et hanc vocat *coronam iustitiae,* evidenter indicat eam esse actum iustitiae. Neque enim aliunde mercedis retributio ex parte Dei esse potest actus *gratitudinis,* quia repugnat Deum referri ad aliquam creaturam tanquam ad benefactorem cuius accepta beneficia compenset; et insuper donum *ex gratitudine* datum nequit dici *merces.*

Sed neque est actus *merae* fidelitatis, quia retributio ex fidelitate fundatur *tantum in promissione* reddentis donum, non autem etiam in *pacto* operis intrinsece proportionati ad praemium. « Sicut enim (ait scite S. Thomas) reddere iustum pro re accepta ab aliquo est actus iustitiae: ita etiam recompensare mercedem operis, vel laboris est actus iustitiae » (4). Est ergo retributio divina bonis operibus *actus iustitiae.* - Attamen cuius iustitiae actus sit, idest num spectet ad iustitiam *commutativam,* vel simpliciter *distributivam* disputatur.

Suarez, quem alii quidam sequuntur, censet hunc esse actum iustitiae stricte *commutativae* ob *pactum* vel *quasi pactum* quod intercedit inter Deum et hominem, cui hoc praemium proponitur et promittitur sub conditione talis operis praestandi (5).

---

(1) II Sent. Dist. 27, a. 2, q. 3.
(2) I, II in h. art.
(3) I, II, disp. 114-115.
(4) Hic, a. 1.
(5) *De Gr.* l. 12, c. 30.

Plerique tamen cum *thomistis* docent remunerationem Dei esse actum iustitiae *distributivae*, quamvis cum participatione cuiusdam *modi* iustitiae commutativae (1). Huic sententiae adhaeremus. Et sane: Iustitia *commutativa* supponit in merente plenum sui operis vel laboris dominium; et certe exigit in eo veram independentiam iuridicam a retribuente, quae in creatura erga Deum neque concipi potest. Restat ergo ut praemii aeterni retributio sit actus *iustitiae distributivae*, quae propria est *superioris,* qui *subditis remunerationem* elargitur secundum uniuscuiusque meritum. Fatendum tamen est in retributione divina haberi etiam aliqualem *modum* iustitiae commutativae; quia *tantum* Deus dat, quantum dare ex promissione debet, et *tantum* creatura recipit, quantum accipere meretur (2).

Obiectiones. — Adversarii arguunt:

1° Ex doctrina S. Pauli, qui veram condignitatis proportionem inter bona opera iusti, et gloriam futuram expresse negare videtur: « *Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (3) ».

Resp. Nego antec. - Ad testimonium allatum *Dist.*: Passiones nostrae non sunt condignae si physice tantum et materialiter considerentur praescindendo a dignificatione morali quam ex gratia actuali, et sanctificante recipiunt, *Conc.*; si formaliter sumuntur tanquam ex gratiae influxu dignificatae, *Nego.* - Equidem ipse Apostolus bonis iustorum operibus prout a gratia elevantur et dignificantur efficaciam moralem, seu in *ratione meriti,* attribuit producendi aeternam gloriam. « *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate* (καθ'

---

(1) Cf. Gonet, *De Merito*, disp. 2 a. 4. - Gotti, *De Merito Iust.* q. 1, d. 3. - Billuart, *De Gratia*, disp. 8 a. 3.

(2) Cf. Gotti, l. c. § 1, n. 9. - Salmanticenses, *De Merito*, disp. 1.

(3) *Rom.* VIII, 18.

ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, - idest, secundum excellentiam in excellentiam, seu quod idem est, valde excellentissime) *aeternum gloriae pondus operatur* (κατεργάζεται) *in nobis* » (1).

2° Item arguunt ex iis locis ubi vita aeterna vocatur *hereditas* (2), quae igitur non ex *merito* sed *iure hereditario* confertur.

Resp. Dist.: Sic vita aeterna dari dicitur tanquam hereditas, ut tamen *adultis* concedi dicatur tanquam *merces,* idest quibusdam a Deo appositis conditionibus, quarum libera adimpletione iusti vere hereditatem *mereantur, Conc.*; ita ut omnibus detur ex solo titulo hereditatis: - *Nego.* - Verum quidem est omnibus baptizatis, qui ante usum rationis decedunt, vitam aeternam donari tanquam simplicem hereditatem *ob ius* a filiatione adoptiva exsurgens, quam per baptismum cum gratia sanctificante receperunt. Attamen verum aeque est Deum pro adultis quasdam ad hanc hereditatem consequendam apposuisse conditiones, ut per earum liberam adimpletionem iusti *novo titulo veri meriti* gloriam futuram assequerentur: « *Si autem filii* (ait Apostolus), *et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (εἴπερ συνπάσχομεν ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν) » (3).

3° Demum obiicitur illud Lucae: « *Quum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles* (ἀχρεῖοι - inepti) *sumus; quod debuimus facere fecimus* » (4).

Resp. Dist.: Et haec dicta sunt a Christo ad humilitatem in suis discipulis fovendam, *Conc.*; ad *exclusionem meriti,* - *Nego.* - Sensus huius testimonii ex scopo Christi determinandus est. Voluit itaque Redemptor his verbis, vanam di-

(1) II Cor. IV, 17.

(2) *Coloss.* III, 24. - *Rom.* VIII, 17, etc.

(3) *Rom.* VIII, 17. - Cf. *Coloss.* III, 23. - Matth., XXV, 23; - II Petr. I, 10.

(4) XVII, 10.

scipulorum gloriam coercere, eosque ad humilitatis sensus excitare. Ideo non dixit: « *servi inutiles estis* » sed, vult ut ipsi seipsos demisse tales appellent: « *dicite: servi inutiles sumus* ». Eoque magis quod omnia iustorum merita radicaliter ex Dei dono gratuito proveniunt, non autem ex nostra serva natura, cui nulla inest exigentia, vel proportio ad aeternam gloriam (1). Advertendum etiam est illum servum de quo in hac parabola sermo est, a domino pacta mercede ob sua opera iam remuneratum induci, cui proinde praeter condictum stipendium nulla *gratia* debetur. Ceterum, si Christus vult ut ipsi discipuli se inutiles servos dicant, ipse tamen aeternam gloriam illis attribuens non eos inutiles, sed *fideles* vocat: « *Euge serve bone et fidelis.* (ἀγαθὲ καὶ πιστὲ) *quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* » (2).

Articulus III.

Quae conditiones requirantur ad meritum de condigno.

Praemittenda. — 1° *Conditiones ad meritum ex doctrina Reformatorum.* Theologi protestantes ut meritum supprimant, quasdam ad eius veritatem apponunt conditiones quae a nulla unquam creatura praestari possunt. Dicunt enim opus meritorium esse oportere: - *a*) Undequaque perfectissimum et reddendae mercedi *omnino aequale; b*) *indebitum prorsus; c*) *ex perfecto* merentis dominio exhibitum (3). Verumtamen has conditiones, quae propriae sunt *rigorosae iustitiae commutativae* non esse necessarias ad verum meritum secundum iustitiam distributivam et iuxta communem et

---

(1) Cf. S. August., *Quaest. Evang.* l. 2, c. 39, apud Estium in h. l.
(2) Math. XXV, 23. Cf. Estium et Menocchi in h. l.
(3) Cf. Wossium, *De Iustif.*, disp. 4.

moralem aestimationem, iam ex hucusque disputatis sufficienter constat.

Neque enim profecto ad veritatem meriti *arithmetica* atque *entitativa* aequalitas inter *opus* et *mercedem* exigitur, sed sufficit *virtualis*, non tam metienda ex operis materialiter considerati substantia et perfectione, quam ex morali dignitate quae ipsi contingit ex informatione gratiae habitualis, quae est « *semen Dei* » (1) et « *fons aquae salientis in vitam aeternam* (2). Secus enim, si ad veritatem meriti haec *obiectiva* operis aequalitas rigorosa exigeretur, ne ipsa opera Christi Redemptoris, *passio* et *mors*, vere nostram iustificationem meruissent. Haec enim opera in sua *entitate physica* inspecta, sunt tandem aliquando *finita*, utpote quae a natura humana tanquam a causa efficiente producantur, et in ea tanquam in subiecto perficiantur. Hoc autem adversarii certe admittere nequeunt, quum eo etiam praetextu meritum iustorum expungant, ne iniuria fiat meritis Redemptoris, et ne crux Christi evacuetur. Sicut igitur *dignificatio infinita* quae a Persona Verbi substantialiter humanae Christi naturae unita communicatur, veluti in ratione causae *formalis, omnibus* operibus Christi, confert his valorem *in genere meriti et satisfactionis infinitum;* sic et dignitas quam gratia sanctificans confert iusto communicans ei *esse deiforme,* ipsumque inserens tanquam membrum vivum Christo Redemptori, elevat eius opera ad valorem moralem veri meriti in ordine ad vitam aeternam.

Item falsum est opus meritorium prorsus *indebitum* esse oportere: secus enim iterum opera Redemptoris, quae Deo a Christo homine omnibus titulis debebantur non fuissent meritoria. Etsi itaque obsequium vel opus hominis iusti Deo *debitum* sit, *modus* tamen operationis est *liber* et

---

(1) Ioa., III, 9.
(2) Ioa., IV, 14.

hinc fundat meritum. Liberum enim iustus Deo praestat obsequium, ita ut possit illud recusare non cooperando gratiae Dei nec divina mandata servando.

Demum ii tantum, qui liberum hominis arbitrium negant, asserere possunt hominem non esse dominum suorum actuum qui per suae voluntatis determinationem fiunt; etsi ad hanc determinationem indigeat ipse generali motione Dei a qua habet ut et agere possit, et libere agat.

2° *Conditiones meriti de condigno iuxta doctrinam catholicam.* His igitur conditionibus quas protestantes arbitrarie effingunt exclusis, verae conditiones ad meritum *necessariae* et *sufficientes*, quibus adstruendis unanimi consensu theologi catholici conveniunt, quae ex ipsa notione et natura meriti, vel potissimum ex divina revelatione exiguntur, sunt:

a) *Ex parte hominis: Status viae, et gratia sanctificans.*

b) *Ex parte retribuentis: Acceptatio divina.*

c) *Ex parte operis:* ut hoc sit actus *positivus, exsistens* et *internus,* insuper *liber* et ethice *bonus;* ut sit *supernaturalis;* demum ut in *obsequium Dei fiat* (1).

Omnes praeterea fere admittunt quemdam *virtutis caritatis influxum;* licet circa huius influxus rationem non una sit sententia. Hanc de caritatis influxu inquisitionem remittentes ad articulum sequentem, nunc conditiones communi consensu receptas breviter exponemus tribus distinctis conclusionibus.

CONCLUSIO I.

Ex parte operantis ad meritum requiritur status viae, et gratiae sanctificantis.

I. **Probatur prima pars**: 1° Solum viatorem, seu in hac mortali vita peregrinantem, capacem esse meriti constat

(1) Cf. Berti, *De Theol. discipl.* l. 19, c. 6.

ex s. Scriptura, quae explicite docet *morte* finire tempus merendi, et incipere momentum retributionis: « *Viventes enim* (ait Ecclesiastes) *sciunt se esse morituros: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem* » (1). Et Redemptor: « *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari* » (2). Nomine diei, omnibus consentientibus, intelligitur vita praesens, et nomine noctis *quies mortis* (3). Iudicium enim, Apostolo teste, ad praemium, vel poenam dandam fiet de iis omnibus operibus, quae in corpore, idest *in statu viae* facta sunt. « *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque propria corporis prout gessit* (τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἅ ἔπραξεν) *sive bonum, sive malum* » (4). Hinc ipse Apostolus monet: « *Ergo dum tempus* (καιρὸν - opportunitatem temporis) *habemus, operemur bonum* » (5).

2° Ratio huius cessationis meriti ex natura rei efficax afferri nequit, cum nulla adsit *intrinseca* repugnantia meriti

---

(1) IX, 5. - Sunt tamen haec verba ab epicureo dicta: hinc alii ita ea exponunt ut proferant blasphemam iactantiam non agnoscentis immortalitatem animae. Cf. MALVENDA in h. v. - Addi etiam potest illud *Ecclesiastici:* XIV, 17. « *Ante obitum tuum operare iustitiam* (graece ἐλεημοσύνην): *quoniam non est apud inferos invenire cibum* ». Sensus obvius est: insiste bonis operibus, quia post mortem non est amplius meritis augendis locus; eadem fere sententia ac Christus dicit: « *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet, in vitam aeternam* ». IOA. VI, 27. Cf. MALVENDA. Notandum tamen est in graeco textu non haberi vocem τροφήν, quae indicat nutrimentum, sed τρυφήν quae significat *delicias*. Hinc versio *sixtina* habet: « quoniam non est apud inferos *quaerere delicias* ». Cf. ESTIUM, h. l.

(2) IOA. IX, 4.

(3) Cf. MENOCCHI, ESTIUM in h. l.

(4) II *Cor.* V, 10 « ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἅ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε κακόν ». Quidam codices legunt: τὰ ἅ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν.

(5) *Gal.* VI, 10. Cf. II *Cor.* VI, 2, etc.

in altera vita, eo quod etiam beati liberas actiones efficere valeant et gradus gloriae accidentalis et substantialis in infinitum augeri possint. Haec itaque conditio pendet ex *positivo decreto Dei*, qui tamen omnino *congrue* hanc praesentem vitam militiae et laboribus meritoriis, futuram autem praemio et mercedi destinat (1).

Scholion. — *Quoad animas beatas,* vel etiam in purgatorio detentas, quidam putant aliquid eas mereri posse, non quidem pro seipsis, sed pro aliis; quin imo sunt, post *Magistrum sententiarum,* qui censent Angelos et Beatos pro seipsis *aliquod gloriãe accidentalis augmentum* mereri posse, saltem ex merito de congruo late sumpto; non utique *actu ipso beatifico* in quo non sunt liberi, sed aliis actibus, qui alia obiecta extra Deum respiciunt, ad quos se libere hi determinare possunt (2). Verum Doctor Angelicus docet istis actibus liberis Beatorum et animarum purgantium inesse tantum *vim impetrationis* non autem *meriti.* « Quidam dicunt quod quantum ad praemium accidentale (angeli beati) etiam mereri possunt. Sed melius est ut dicatur quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator et comprehensor ut Christus, qui solus fuit viator et comprehensor. Praedictum enim gaudium magis adquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur » (3). Hoc quidem omnino congruenter asseritur. Cum enim Beati et animae purgantes nequeant amplius *demereri*

---

(1) Cf. Gonet, *De Merito*, disp. II, § 3, n. 31 sqq. Vasquezius quidem contendit ex ipsa natura status termini, seu ex intrinseca causa potentiam merendi morte cessare. (I, II disp. 216 c. 4). Verum nullas idoneas affertrationes, ut scite ostendit Suarez, *De Gratia* l. 12, c. 15, n. 7 seqq.

(2) III, *Dist.* 18.Cf. S. Bonav. ibid. art. 1, q. 2. Gabriel, ibid. q. 1, art. 1.

(3) P. I, q. 62, a. 9, ad 3.

(quod omnes concedunt) ita credendum est neque *mereri* posse (1).

II. **Probatur altera pars.** — *Statum grätiae sanctificantis* in merente insuper requiri, satis explicite docet Conc. Tridentinum (2).

Hanc tamen conditionem exigi vehementer negat Baius. putans nullum condignitatis influxum in opus bonum ex ipsius operantis dignitate provenire, sed totam rationem meriti ex gratia actuali et ex ipsius operis conformitate cum divina lege repetendam esse. Hinc a Pio V et Greg. XIII damnatae sunt hae tres propositiones:

Prop. 12: « Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium ».

Prop. 13: Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformía legi quodque per ea praestatur obedientia legi.

Prop. 17: Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum » (3).

1° *Ex S. Scriptura*, quae huius conditionis necessitatem expresse tradit, dum docet: - *a*) Eos tantum qui *manent in Christo sicut palmites in vite* fructum aeternae vitae afferre posse (4).

b) *Sine caritate*, quae vel est ipsa gratia habitualis, vel huic indissolubiter connectitur, nihil *neque fidem, neque opera*, neque ipsum martyrium prodesse (5):

---

(1) Cf. Suarez, *De Grat.* l. 12, c. 15, n. 15.
(2) Sess. 6 cap. 16 et can. 32.
(3) Denz., 892-93-97.
(4) Ioa., XV, 4 sqq.
(5) I *Cor.*, XIII, 1 sqq.

c) Eatenus nos regni caelestis heredes esse, quatenus filii Dei sumus: « *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba* (*Pater*); ... *si autem filii et heredes* (εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι) » (1).

2° *Ex Ratione,* quae ab ipsa natura meriti deducitur. Et sane: Qui caret gratia habituali peccator est; peccator autem est inimicus Dei et poena aeterna dignus. Repugnat ergo eum mereri praemium aeternum (2).

Quod autem Baius asserit dignitatem *personae* non influere in operis condignitatem, hac vel una ratione falsum evincitur quod in hac sententia neque ipsum Christi meritum valorem infinitum haberet. Constat enim infinitatem meriti Redemptoris *formaliter* repeti ex infinita perfectione Personae eius, quae opus in humana natura praestitum *infinite* dignificat.

CONCLUSIO II.

Ex parte Dei ad meritum de condigno acceptatio operis, idest ordinatio operis ad praemium, requiritur tanquam conditio extrinseca complens et perficiens iuridice ipsius operis condignitatem.

Praemittenda. — 1° Vitam aeternam de facto bonis iustorum operibus a Deo promitti, et hinc ex *fidelitate* divina ipsis iustis eam re tribuendam esse, nemo ex catholicis negat. Concilium enim Trid. explicite definit: « Bene operantibus usque in finem... proponendam esse vitam aeter-

---

(1) *Rom.* VIII, 15-17. His innixus etiam S. AUGUSTINUS concludit: « Non vivunt bene filii hominum, nisi effecti filii Dei ». *Ad Bonifac.*, I c. 2, n. 5. PL. 44, 552. Qui insuper docet etiam in statu naturae integrae sine gratia sanctificante nullum meritum adfuisse. Cf. *Enchiridion*, c. 106, n. 28. PL. 40, 282.

(2) Hic, art. 2.

nam... tanquam mercedem *ex ipsius Dei promissione* bonis ipsorum operibus et meritis *fideliter* reddendam » (1).

2° Attamen circa necessitatem et influxum divinae promissionis ad rationem meriti *de condigno,* triplex est theologorum sententia:

a) Prima Vasquezii aliorunque paucorum, qui causalitatem formalem iustificationis actibus *contritionis perfectae et caritatis* ultra gratiam habitualem concedentes, affirmant opus bonum iusti *ex se independenter a promissione vel ordinatione Dei,* ex propriis principiis intrinsecis, idest ex bonitate obiectiva et ex influxu gratiae supernaturalis esse meritorium *de condigno* vitae aeternae (2).

b) Altera Scoti (3) Durandi et Nominalium, qui cum effectus formales gratiae magna ex parte repetant a *divino favore extrinseco,* cohaerenter promissionem divinam habent tanquam elementum constitutivum, seu potius tanquam ipsam *rationem formalem meriti* (4).

c) Tertia denique Thomistarum, quasi media inter duas mox expositas, ad actum de condigno meritorium exigit quidem divinam promissionem, vel *ordinationem* operis ad praemium, non tamen tanquam principium *intrinsece consti-*

---

(1) Sess. 6, c. 16.

(2) Vasquez, I, II, disp. 203.

(3) III, *Dist.* 18, q. unica. Scotus itaque definit meritum: « *Aliquid acceptandum, vel acceptatum pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum* ». Imo cum ex parte Dei omne acceptandum, *sit acceptatum,* censet Scotus meritum erga Deum sic simpliciter definiri posse: « Est *aliquid acceptatum a Deo*, etc. ». Ibid.

(4) Cf. Mastrium, *De Iust.* q. 1, n. 4: q. 2, n. 38, etc. - Haec opinio essentialiter differt, ab errore Reformatorum; isti enim nullam *bonitatem moralem in ratione meriti admittunt* in actionibus hominis etiam iustificati; et totam earundem bonitatem derivant ab externa *non imputatione ad poenam.* E contra Scotus aliique *bonum hominis opus,* praesupponunt ut necessarium fundamentum meriti; sed asserunt huius operis condignitatem ad praemium totaliter repetendam esse ab divina ordinatione.

tutivum, essentiae meriti, sed simpliciter tanquam conditionem extrinsecam omnino necessariam ad complendum *in actu secundo* et *iuridice* meritum, quod iam *in actu primo* inest ex propriis principiis operi bono iustificati (1).

Plerique insuper inter Thomistas contendunt, non esse necessariam ad meriti perfectionem seu complementum, divinam permissionem *explicitam*, sed sufficere *ordinationem intrinsecam* qua Deus conferendo gratiam habitualem, virtutes infusas, et auxilia supernaturalia ipsa opera bona iusti ad meritum deputat et accipit. Ex quo consequitur, ut etsi deesset *explicita* promissio, quae Deum *ex fidelitate* veluti obligat, vera tamen ratio meriti operibus bonis iusti ex gratia factis ex intrinseca illa ordinatione inesset, cum haec praecise propriam meriti rationem fundet (2). Hanc sententiam, ceteris exclusis, amplectimur.

I. **Probatur prima pars.** — 1° *Ex S. Scriptura.* quae dum docet vitam aeternam dari iustis ceu praemium, semper divinae promissionis mentionem facit. Sic est quidem beatitudo « *coronae iustitiae* » sed quae *reposita est* (scilicet ordinatione Dei praeparata) *omnibus his qui diligunt adventum eius* » (3) et « *quam repromisit Deus diligentibus se* » (4). Item, est *merces* laboris, quam operarii recipiunt, sed tamen ex « *conventione facta* » (5). Quin imo phrasi technica et antonomastica, vitae aeternae praemia appellantur *repromissiones* vel *promissiones* (ἐπαγγελίας) (6). Haec omnia osten-

---

(1) Hanc sententiam sequuntur praeter thomistas plerique ex theologis post Conc. Trid. Cf. SUAREZ, *De Gr.* l. 12, c. 17. RIPALDA. *De Ente Supern.* Disp. 82-83.

(2) Cf. GONET, *De Merit.* disp. II a. 3. - GOTTI, *De Iust.*, disp. II. dub. 5 § 1. - SUAREZ, l. c.

(3) II *Tim.*, IV, 7-8.

(4) IAC., I, 12.

(5) MATTH., XX, 2 sqq.

(6) *Hebr.*, VI, 12; X, 36. - *Tim.*, I, 2. - I IOA., II, 25, etc.

dunt nos loqui non posse de merito hominis erga Deum *independenter* a divina promissione, sive ordinatione.

2° *Ex Doctrina S. Augustini,* qui in eo semper insistit ut, a Dei promissione ipsam meriti possibilitatem in homine erga Deum explicet. « Debitorem (ait) Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo: Non ei dicitur: Redde quod accepisti; *sed redde quod promisisti* » (1). Et iterum: « Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum ut dicamus: *Redde quod promisisti;* quia fecimus quod *iussisti* » (2).

3° *Ex Ratione.* - *a*) Arguimus ex ipsa notione meriti, quod est relatio fundans *verum ius* apud retribuentem. - Atqui, nulli creaturae *ius* coram Creatore competere potest citra ipsius ordinationem et promissionem. « Non enim (ait S. Thomas) Deus efficitur simpliciter debitor nostri sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur » (3).

b) Item opera bona iusti Deo sunt omnibus titulis *debita;* hinc ipsum Deum non obligant, nisi ipse velit.

c) Nec demum ulla ratio efficax, ut iam innuimus, assignari potest cur beati et animae purgantes haud mereri possint, imo cur merita Christi daemonum et reproborum saluti non proficiant nisi haec, quod horum operum ordinatio divina ad meritum desit.

II. **Probatur altera pars.** — Non tamen divina promissio haberi potest ut ratio *formaliter* constitutiva ipsius meriti, sed est tantum conditio extrinseca iuridice complens *in actu secundo,* ipsum meritum. Et sane:

1° *Indirecte.* Haec Nominalium et Scoti sententia duplici falso praesupposito innititur; nempe: - *a*) gratiam habitualem

(1) *Enarr. in Psal.* 83, n. 26, PL. 37, 1068.
(2) *Serm.* 158, c. 2, n. 2, PL. 38, 863.
(3) Hic., a. 1 ad 3.

non constituere ex se hominem intrinsece iustum, amicum Dei eiusque filium adoptivum, sed iustificationem *formalem* maxime consistere in extrinseca Dei benevolentia atque acceptatione.

b) Hinc etiam actus *naturaliter* tantum bonos, vitae aeternae vere et proprie meritorios esse posse si a Deo acceptentur.

Utrumque autem ex his defendi nequit. Non *primum,* quia *unica formalis* causa nostrae iustificationis est gratia sanctificans animae iusti inhaerens.

Non *alterum,* quia ad veri meriti rationem aliqua *proportio aequalitatis* inter opus et mercedem requiritur, secus praemium est mera donatio.

2° *Directe.* Sed vel ipsa analysis operis meritorii *de condigno* nominalisticam opinionem excludit. - *Condignitas* enim est proprietas seu *affectio operi intrinseca,* quam promissio *praesupponit,* non facit. Si enim opus bonum *ex promissione* formaliter meritorium *de condigno* constitueretur, tunc omnino concedendum esset peccatorem per actum contritionis perfectae vere *mereri de condigno* iustificationis gratiam, quae *contrito* et *diligenti* Deum *promittitur.* Hoc autem contradicit explicitae doctrinae Conc. Trid. definientis, ideo nos gratis iustificari « quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera ipsam, iustificationis gratiam promeretur » (1). Non igitur promissio constituit condignitatem operis meritorii, sed illam complet in *actu secundo,* dando ipsi operi supra condignitatem intrinsecam quam habet in *actu primo, ius* ad mercedem *in actu secundo* (2).

---

(1) Sess. 6. c. 8.
(2) Cf. Gonet, l. c.: Gotti, l. c.

CONCLUSIO III.

Ex parte operis seu actus requiritur ad meritum: 1° ut sit positivus, exsistens, internus, liber et bonus; 2° ut sit motivo supernaturali elicitus; 3° et in obsequium Dei.

I. **Probatur prima pars.** — Actus meritorius esse debet:

1° *Positivus.* - Nam *mera* omissio neque voluntaria est. neque in obsequium Dei dirigi potest. Si tamen abstinetur a malo in quod instat tentatio, eo ipso habetur actus positivus voluntatis tentationem vincentis.

2° *Exsistens.* - Opus enim (ut toties repetit Augustinus contra Pelagium) *quod actu non est*, nec poena dignum est nec praemium meretur. Contrarius Pelagianorum error, quo hi asserebant Deum ob merita futura *praevisa* dare praemium, vel poenam excluditur ex eo, quod inter *praemium certum* et meritum non *exsistens*, et nunquam exstiturum nulla datur proportio ordinis.

3° *Internus.* - Actus enim non est *humanus* nisi a voluntate *eliciatur*, vel *imperetur*, hinc neque ad praemium conferre quidpiam potest. Nemo tamen dubitat actum externum, *per accidens* saltem, ad meritum concurrere posse, maiorem actui interno *intensionem* conferendo, illamque diuturniorem reddendo (1).

4° *Liber libertate indifferentiae.* - Haec conditio tum ex doctrina fidei, tum ex natura rei est necessaria. Et sane: *a*) *S. Scriptura* nexum inter opus bonum et praemium in

(1) Num autem actus externus *per se* augeat meritum, disputatur. Scotus affirmat, *quodlibet*. 18, a. 3, cui consentit Ripalda, *De Ente super*, disp. 74, n. 70. Communior tamen sententia id negat. Cf. Suarez, *De Gr*. l. 12, c. 6, n. 6, sqq.

eo invenit, quod libere illud praestetur: « *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit*: *ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (1).

b) *Ratio* vero dictat nullam laudem, vel nullum praemium deberi actioni necessariae, prout nec illi debetur vituperium, vel poena. Quod enim a subiecto ex necessitate naturae fit, hoc potius *in eo* fit *passive,* quam *ab eo active* fiat. « Ubi necessitas (ait Hieronymus) nec corona, nec damnatio erit » (2). Hinc tanquam *haeretica* damnata est propositio Iansenii, quae asserit ad merendum non requiri libertatem a *necessitate* (3).

Scholia. — *a*) Requiritur itaque et sufficit libertas *exercitii* et *specificationis,* non autem libertas *contrarietatis,* quae non solum non est de essentia libertatis, sed est modus imperfectus et deficiens proprius libertatis finitae. Hinc Christus Iesus licet absolute impeccabilis, et B. M. Virgo et Apostoli etsi in gratia confirmati, vere meruerunt.

b) Item non exigitur libertas omnino *perfecta,* sed sufficit ut retineatur a subiecto saltem capacitas deliberationis, et cognitio moralitatis actionis. Hinc sicut metus gravis, nisi rationis deliberationem subvertat, non aufert libertatem, nec proinde *malitiam* actus peccaminosi, sic neque tollit per se meritum actionis bonae.

c) Infantes post baptisma decedentes vitam adquirunt *iure* hereditatis, non autem meriti, cuius non sunt capaces.

d) Christus licet praecepto Patris, quo mors illi imponebatur resistere haud potuit, quia impeccabilis; tamen meruit, *quia libere* mortis propositionem ante praeceptum acceptare, vel recusare poterat (4).

---

(1) *Eccli.*, XXI, 10. Cf. I *Cor.* IX, 17. Matth. XIX, 17-21, etc.

(2) *Ad Iovin.* II, c. 2. PL. 23, 286. Cf. S. Thomam, *De Malo*, q. 6. art. unico.

(3) Denz. 968.

(4) Alii aliter rem explicant, ut ex tract. de Incarn.

e) Animae purgantes poenas *necessario* subeundo nec merentur, neque *proprie satisfaciunt;* quia poenas *debitas,* non libere, sed necessario solvunt. « Poena illa (scribit S. Thomas) quam animae in Purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit, sed lato modo dicitur satisfactio debitae poenae solutio » (1).

5° - *Bonus* ex integra causa, idest ex *obiecto* ex *fine* et ex *circumstantiis.* Sane actus malus non praemio, sed poena dignus est. Actus autem indifferens, vel nullus est, vel nullam ad praemium potiusquam ad poenam relationem habet.

II. **Probatur secunda pars**. — Actus hominis iusti non est vitae aeternae meritorius nisi sit *supernaturalis*, hoc est nisi procedat a gratia et ex *motivo* saltem *virtualiter* supernaturali fiat. Haec conditio omnino defendenda est tanquam certa et doctrinae Conc. Trid., s. Scripturae et ipsi rei naturae consona, contra opinionem Vasquezii, qui censet gratiam habitualem iustificati omnes eius actiones bonas, etiam a virtutibus naturaliter adquisitis elicitas, supernaturaliter dignificare et praemii aeterni meritorias reddere (2).

1° Et profecto, Conc. Trid. formalem operis boni supernaturalitatem exigit dum docet opus iustificati non esse meritorium nisi ex gratia fiat et a *vitali* Christi influxu procedat. « Cum enim (ait) ille ipse Christus Iesus tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur et *sine qua nullo pacto* Deo grata et meritoria esse possunt, nihil ipsis iustificatis amplius deesse

(1) IV, Dist. 17, q. 2, ad 4.

(2) I, II, disp. 207. Hanc sententiam sequitur et Becanus, *De Grat.* tract. V, c. IV. q. 1, n, 13.

credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae *in Deo* sunt facta, vitam aeternam vere promeruisse censeantur » (1). Quam doctrinam sequenti canone confirmat: « Si qui dixerit... iustificatum bonis operibus, quae ab ipso per Dei gratiam fiunt, non vere mereri: » a. s. (2). Licet autem huiusmodi influxus virtutis Christi, qui bona opera iusti antecedere, comitari et subsequi debet ut ea sint meritoria, intelligi velit non quidem de gratia actuali sed praesertim de habituali, attamen formalis supernaturalitas actus meritorii aeque ex eo arguitur. Sensus enim huiusmodi declarationis est: opus non esse meritorium nisi ex gratia habituali tanquam a principio *quo remoto* et a virtute infusa tanquam a principio *quo proximo,* procedat.

2° *S. Scriptura* nullum opus meritoriam vitae aeternae agnoscit, nisi sit supernaturale ex *principio,* et ex *motivo.* Sane:

a) dum loquitur de actibus virtutum moralium meritoriis, semper apponit hanc conditionem: si fiant *in nomine Christi;* vel *propter Christum,* vel etiam *in nomine prophetae,* aut *discipuli* prout hi formaliter considerantur nuntii Dei et Christi: « *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem... propter nomen meum* (ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου) *centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* » (3). « *Quisquis potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis* (ἐν ὀνόματί μου ὅτι Χριστοῦ ἐστέ), *amen dico vobis, non perdet mercedem suam* » (4). « *Qui recipit prophetam in nomine* (εἰς ὄνομα) *prophetae, mercedem prophetae accipiet, et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet; et quicumque potum dederit*

(1) Sess. 6, c. 16.
(2) Ibid., can. 32.
(3) Matth. XIX, 29.
(4) Marc, IX, 40.

uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli; amen dico vobis non perdet mercedem suam » (1).

b) Insuper S. Scriptura explicite declarat actus ethice tantum bonos, etsi a discipulis iustis hi fiant, nullam mercedem supernaturalem accipere: « *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* » (2).

c) Docet opus non esse meritorium nisi ex fide fiat, et hinc ex *motivo* supernaturali. Vita enim iusti, ex Apostoli doctrina, est *ex fide*, et ideo opera citra fidei influxum non habent relationem ad vitam iusti *formaliter ut iustus est,* seu ad ordinem supernaturalem. « *Quoniam in lege* (hoc est ex operibus legis extra fidei ambitum) *nemo iustificatur apud Deum; manifestum est quia iustus ex fide vivit* » (3). Vel ipsa bona Abraham opera nullum apud Deum meritum supernaturale habuissent, nisi fides eorum inspiratrix et altrix fuisset (4). Haec autem doctrina non de sola *prima* iustificatione intelligitur, sed etiam de *secunda*, idest de incremento caritatis et gratiae sanctificantis, quia semper verum remanet *fidem* esse *vitam* ipsius iusti. - Hinc Conc. Trid. definit: « iustificatos in ipsa iustitia per gratiam Christi accepta, *cooperante fide*, bonis operibus crescere atque magis iustificari » (5).

3° *Ratio* denique deducta ex supernaturalitate actus meritorii idipsum confirmat. Nequit enim quilibet actus bonus vitam aeternam mereri, nisi saltem quoad *modum* supernaturalis sit. Atqui actus virtutum *naturalium* etiamsi

---

(1) MATTH., X, 41-42.
(2) MATTH., V, 46-47.
(3) *Gal.*, III, 11. Cf. *Hebr.* X, 38.
(4) *Rom.*, IV, 2-3. - IAC. II. 23.
(5) Sess. 6, c. 10.

a iusto fiant, si tamen efficiantur extra gratiae motionem et influxum fidei non sunt supernaturales. Sicut enim *infidelitas* non omnia infidelis opera vitiat, neque peccatum habituale opera peccatoris inficit, nisi ex influxu *habitus mali* et *ex pravo motivo* fiant; ita neque concomitantia habitus supernaturalis gratiae *sufficit* ut opera omnia iusti sint supernaturalia, nisi fiant ex virtute habitus supernaturaliter infusi.

Neque valet quod affirmat Vasquez, nempe hominem iustum esse personam subiectum supernaturale, et hinc omnes actus ab eo emanantes induere supernaturalitatem. Haec illatio valeret si gratia habitualis esset *forma substantialis* et constitutiva essentiae ipsius iustificati; sed quia gratia est forma *accidentalis*, simpliciter *inhaerens* animae, non omnes actiones quae a iusto perficiuntur, ab hac forma supernaturali procedere dicendae sunt; sed utique quaedam actiones independenter ab influxu huius formae superadditae elici possunt a virtutibus seu habitibus naturaliter operativis.

III. **Probatur tertia pars.** — *Demum actus ut sit meritorius dirigi debet in obsequium Dei.*

Et sane: meritum respicit rertibutionem; retributio autem a persona determinata exhiberi debet; si enim a nullo debetur, a nullo exigi potest. Atqui nemo ad mercedem reddendam tenetur, si actio ad ipsum non dirigatur et in eius obsequium fiat. Ergo. « Meritum et demeritum (ait S. Doctor) dicuntur in ordine ad retributionem, quae fit secundum iustitiam. Retributio autem secundum iustitiam fit alicui ex eo quod agit in profectum, vel nocumentum alterius » (1).

---

(1) I, II, q. 21 a. 3.

Articulus IV.

Utrum gratia sit principium meriti principalius per caritatem, quam per alias virtutes.

Praemittenda. — 1° *Delineatio articuli.* - Supposita reali distinctione inter gratiam habitualem, quae est principium *quo* meriti *remotum* et *radicale,* et caritatem ceterasque virtutes infusas a gratia derivatas, quae sunt principium *quo proximum* merendi; S. Thomas inquirit quaenam inter virtutes infusas sit *principalis* causa meriti.

Respondet: *caritati* competere principaliorem causalitatem meriti de *condigno*, ceteris autem virtutibus *secundariam* tantum quatenus scilicet actus harum virtutum ordinantur in finem et imperantur a caritate; vel (ut alibi ipse se exprimit): « *secundum quod caritate informantur* » (1). Principalior meriti efficientia caritati vindicatur ex eo potissimum quod haec virtus *directe* ordinat humanae mentis motum ad fruitionem divini boni, et hinc cum pro obiecto habeat ultimum finem, est etiam omnium virtutum excellentissima, attingens Deum perfectissimo modo possibili in hac mortali vita (2).

2° *Dependentia actus meritorii a caritate.* - Necessitas alicuius influxus caritatis in actus ceterarum virtutum ut hi sint meritorii *de condigno vitae* aeternae, ab omnibus theologis admittitur. Est enim caritas saltem indissolubiliter connexa cum gratia habituali, et hinc sicut ista, sic et illa est ad meritum necessaria. Ex hac autem intima unione caritatis cum gratia, legitime arguimus caritatem esse veluti

(1) III. Dist. 30 a. 5.

(2) Hic, art. 4. Cf. I, q. 12, a. 6 - q. 95, a. 4–II, II, q. 23 a. 6-II - II, q. 184 a. 3 - Q. Q. disp., *De caritate*, art. 3 et 11 - IV Dist. 49, q. 1, a. 4 - In Ep. *ad Cor.* I lect. 2 et sqq., etc. -

formam aliarum omnium virtutum et ceterorum omnium habituum infusorum per quam isti *connaturaliter* perficiuntur. «Manifestum est (ait profunde Angelicus) quod actus omnium aliarum virtutum ordinatur ad finem proprium caritatis, quod est eius obiectum, scilicet summum bonum... Unde manifestum est quod in actibus omnium virtutum est formale id quod est ex parte caritatis, et pro tanto dicitur (caritas) *forma* omnium virtutum, in quantum scilicet omnes actus omnium virtutum ordinantur in summum bonum amatum» (1). Hinc fit, ut deficiente caritate, possint quidem esse in peccatore *fides*, *spes* et ceteri habitus infusi, ut *meri habitus* seu dispositiones, non autem tanquam *virtutes proprie dictae*, quia caritate subtracta, deest ratio formalis virtutis supernaturalis. Patet igitur influxum aliquem caritatis in actus ceterarum virtutum esse necessarium, ut iidem vitam mereantur aeternam: «Non enim (scribit Augustinus) fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit» (2).

3° *Variae sententiae circa specificationem influxus caritatis necessarii ad meritum operis de condigno.* - Num autem praeter influxum praedictum *habitualem* et veluti connaturalem in ratione *causae formalis*, requiratur influxus caritatis in genere *causae efficientis*, vel aliis verbis, num ad meritum de condigno vitae aeternae necessarius sit influxus alicuius *actus* caritatis, disputatum fuit et adhuc disputatur. Tres praecipuae adsunt sententiae:

a) Quidam cum Bannez tenent *solos actus caritatis* esse vitae aeternae meritorios; actus autem aliarum virtutum, licet ii *a caritate imperentur*, non adferre novum meritum praemii *substantialis*, sed accidentalis tantum (3). Admodum

(1) *De Caritate*, q. unic. a. 3.
(2) *De Spir. et litt.*, c. 14, n. 26, PL. 44, 217.
(3) II, II q, 24, a. 6, dub. 5.

differt haec sententia ab errore Quesnelli et plurium Iansenistarum, qui contendebant *nullum* omnino *meritum* neque *accidentalis* praemii inesse actibus a caritate non *elicitis*. Horum error proscriptus fuit a Clemente XI, Constitutione « *Unigenitus* » in qua hae propositiones damnatur: « Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum Iesum Christum; « Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam audit Deus ». *Deus non coronat nisi caritatem;* qui *currit ex alio impulsu et ex alio motivo in vanum currit. Deus non remunerat nisi caritatem;* quoniam caritas sola Deum honorat » (1). Attamen licet opinio Bannesii sub censuram non cadat, eo quod actibus etiam aliarum virtutum concedit aliquod meritum secundarium, et augmentum beatitudinis *accidentalis*, ab ea tamen omnes theologi discedunt, utpote quae nimis meritum iusti coarctat, contra satis disertam doctrinam S. Scripturae et Conciliorum (2).

b) Altera sententia concedit quidem valorem meriti *de condigno* praemii essentialis omnibus bonis iustorum operibus *a quavis virtute supernaturali elicitis,* dummodo tamen haec opera fiant *imperio* et sub influxu *actus* caritatis, saltem *virtuali,* ita nempe « ut opus (ait Bellarminus) bonum vel tunc cum fit, actu imperetur a caritate, atque in Deum ut finem supernaturalem et ultimum referatur, vel certe nascatur ab actu imperato a caritate atque in Deum ante relato, quod est *virtute* non actu in Deum referri » (3).

---

(1) Denz. 1262-72.

(2) Cf. Suarez, *De Gr.*, l. 12, c. 8, n. 9.

(3) *De Iustif.*, l. 5, cap, 15. – Exponens autem distinctius quid inferat influxus *virtualis*, scribit: « Tunc dicuntur opera *virtute* in Deum referri, cum intentio praecedens est *vera causa* operum, quae postea fiunt, ut si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam *propter Deum* pauperibus erogare, et postea summam illam oblata occasione eroget; is dicetur *virtute* referre opus suum in Deum, etiamsi

Haec sententia communior est inter theologos praesertim inter thomistas (1).

c) Demum tertia sententia docet *omnes actus* virtutum *infusarum*, licet non sint a caritate eliciti, vel *imperati*, mereri praemium essentiale. Hanc tuetur Suarez (2) quem plures alii sequuntur. Nos tertiae sententiae ita adhaeremus, ut tamen haud difficulter cum secunda componi eam posse putemus.

CONCLUSIO

Meritum vitae aeternae non coarctatur in homine iusto ad solos actus a caritate elicitos vel imperatos; sed èxtenditur ad omnes actus supernaturales iusti in quos caritas ipsa habitualis, veluti connaturaliter, active influit.

Probatur conclusio. — Duplici argumento utimur: *a*) *positivo*, ex eo quod S. Scriptura et Conc. Trid. vitae aeternae argumentum promittunt *omnibus* iustorum bonis operibus ex gratia et ex motivo supernaturali factis *nulla*

---

dum pecunias illas distribuit nihil de Deo cogitet » ibid. - Etiam S. Bonav. docet non sufficere ad meritum essentiale « relationem qua quis *in generali* refert ad Deum omnia opera diei, vel anni, sed qua quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus sequens directam habeat ad opus primum ordinationem et consequentiam ». Hanc autem relationem appellat Doctor seraphicus « *habitualem* » : II sent. dist. 41, art. 1, q. 3, ad 6.

(1) Cf. Gonet, *De Merito*, disp. 1. n, 157 sqq. - Gotti, *De Merito*, q. 2, dub. 4. - Billuart, *De Gratia*, diss. 8, a. 4. - Valentia, I. II, disp. 8, q. 6, punct. 3. - Berti, *Discipl. theol.*, l. 19, c. 6, n. 4, etc. - Cf. etiam S. Alphonsum, *Theol. Mor.*, l. 5, tract. praeamb. art. ult.

(2) *De Gr.*, l. 12, c. 8-9. - Huic sententiae accedunt Becanus, l. c., Sylvius in h. art. aliique plures cum Vasquezio, qui tamen vim meritoriam extendit ad omnes actus bonos qui per virtutes etiam *naturaliter* adquisitas a iusto efficiuntur; quam opinionem articulo praecedenti improbavimus. Cf. Ripalda, *De Ente Super.*, disp. 22, sect. 3 sqq.

mentione inducta necessitatis influxus, etiam virtualis, caritatis: *b*) *negativo*, ex eo quod nullibi in S. Scriptura docetur huiusmodi promissionem coarctandam esse ad actus elicitos vel imperatos a caritate; neque aliunde ex natura rei haec limitatio exigitur. Et sane:

1° Omnibus bonis iusti operibus supernaturaliter factis in S. Scriptura promittitur gloria aeterna. Sic Apostolus: « *Qui reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam... Iis autem qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio* » (1). Hic igitur generatim *bonis operibus* iusti promittitur praemium substantiale, seu vita aeterna. Iamvero *arbitrarie* omnino nomine boni operis intelligitur opus *ex caritate* factum vel imperatum; eoque magis quod poena aeterna non soli odio Dei nec malis operibus ex odio Dei factis, sed omnibus gravibus culpis dari asseritur.

Insuper idem Apostolus vitam aeternam promittit iis qui *intuitu mercedis* operantur bonum. « *Quodcumque facitis ex animo operamini* (Ὃ ἐὰν ποιῆτε, ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε) *sicut Domino, et non hominibus: scientes quod a Domino* (ἀπὸ κυρίου) *accipietis retributionem hereditatis* » (2). Hinc etiam Christus *regnum coelorum* promittit *pauperibus spiritu et iis qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* (3).

2° Idem docet Conc. Trid. cum definit: « iustificatum *bonis operibus*, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi

---

(1) *Rom.* II, 6-8. Hoc ipsum explicitius profertur duobus sqq. vv.: « *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (κακόν). *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum* (τὸ ἀγαθόν - absolute).

(2) *Coloss.* III, 23-24. Cf. *Hebr.* X, 24.

(3) Matth. V, 5-12.

meritum fiunt, vere mereri vitam aeternam » (1). Iustus itaque substantiale praemium meretur *omnibus bonis operibus ex gratia* factis, secus vera esset propositio doctrinae Concilii directe opposita, scilicet esse bona opera quibus iustus non meretur vitam aeternam, licet ea ex gratia efficiantur. Item, dum Concilium distincte enumerat conditiones ad meritum necessarias diserte docet bonis operibus iustorum quae in *gratia* vel in *Deo* facta sunt, nihil deesse *ad meritum* vitae aeternae (2). Atqui multa iustorum opera neque eliciuntur a caritate, neque ab ea imperantur. Ergo.

3° Haec *promissio* nullibi restringitur ad solos actus a caritate elicitos, vel imperatos; testimonia enim S. Scripturae ad quae adversarii provocant, hanc limitationem non exhibent. Hi arguunt:

a) Ex iis testimoniis in quibus tanquam conditio ad meritum ponitur ut opus fiat *in nomine* Dei vel propter Deum (1). - Iamvero haec probant quidem opus meritorium non esse, nisi fiat ex motivo *supernaturali;* non autem exigunt motivum caritatis. Propter Deum enim operatur etiam qui opus bonum efficit ob Deum *praemiantem*, etc. quin necesse sit ut operetur ob Deum infinite *amabilem*.

b) Ex Paulo, I Cor. XIII, 1-3. - Veruntamen hoc loco docet equidem Apostolus fidem ceterasque virtutes nihil prodesse nisi habeatur gratia sanctificans et habitus caritatis; non autem exigit ut actus aliarum virtutum fiant ex influxu *actuali* vel *virtuali* caritatis.

c) Praesertim ex Gal. V, 6: « *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur* ». - Sed hoc etiam testimonium intelligi quidem debet de necessitate *habitus* carita-

(1) Sess. 6, can. 32.
(2) Ibid. cap. 16.
(3) Matth., X, 40. - Marc., IX, 40, etc.

tis, non autem ex eo concludi potest necessitas influxus actualis caritatis. Sensus enim qui directe ab Apostolo intenditur est: neque bona opera naturalia, neque opera legis ad vitam aeternam valere; sed opera bona quae ex fide fiunt. Neque enim natura, neque lex mosaica valet in Christo, sed solum valet fides quae *efficax* est, seu quae in *pia* opera se diffundit (1).

4° *Haec limitatio non requiritur ex natura rei.* Sane: actus omnium virtutum *infusarum* sunt etiam *quoad substantiam* supernaturales; hinc *intrinsece* sunt ad finem supernaturalem proportionati, et ex natura sua absque necessitate extrinseci impulsus in Deum diriguntur. « Virtutes infusae (ait S. Doctor) sunt perfectae et simpliciter dicendae virtutes, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter » (2). Nemo profecto inficiatur actum cari-

(1) Cf. MINOCCHI, MARIANA, TIRIN., aliosque in h. l. - Verum quidem est S. THOMAM his duobus Pauli testimoniis inniti ut excludat rationem meriti ab actibus ceterarum virtutum in quos caritas non influat, scribit enim: « Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur *Gal.* V. Similiter etiam actus patientiae et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate haec operetur, secundum illud, I *Cor.* XIII, 3: *si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* ». Attamen haec verba ita exponi possunt ut intelligatur ad actum meritorium requiri ut iste ab homine *iustificato* et caritate habituali praedito efficiatur, et qui insuper in *obsequium Dei fiat* et ex gratiae actualis motione. « Imperium caritatis (ait SYLVIUS in h. art. Concl. II) quod S. Thomas tanquam necessarium requirit, ut aliarum virtutum actus possint esse meritorii, non sunt aliud quam actus voluntatis, quo ipsa per caritatem informata et a Deo per gratiam mota, illos imperat actus, ipsos ordinando in finem caritatis, hoc est in honorem et gloriam Dei ». Subinde pluribus testimoniis ex S. Doctore adductis, concludit: « Ex his potest intelligi, quomodo iuxta B. Thomam omnia quarumcumque virtutum opera, quae ab homine iusto fiunt per auxilium gratiae, possint dici ex aliquo imperio caritatis fieri. Cuncta enim huiusmodi opera non sunt nisi voluntate (per caritatem informata et a Deo per gratiam mota) volente ut fiant et vel explicite, vel implicite ordinante, seu referente illa in finem caritatis ».

(2) I, II, q. 65. a. 2.

tatis perfectissimo modo in Deum tanquam ultimum finem tendere, ideoque magis meritorium esse quam actus ceterarum virtutum. Sed tamen etiam per actus fidei, spei, poenitentiae, eleemosynae, etc., qui a iustis fiunt ut Christi exempla et praecepta sequantur, vel intuitu promissae mercedis, verum atque supernaturale Deo obsequium praestatur, et in ipsum ut in ultimum finem supernaturalem tenditur.

Postremo addimus, in adversariorum sententia iustorum merita nimium imminui; haud enim communis et facilis est exhibitio, ex puro motivo amoris Dei, operum quae iam *in se* sunt bona atque supernaturalia.

Scholion. — *Conciliatio utriusque sententiae.* — Plerique de schola S. Thomae, qui influxum virtualem caritatis ad meritum vitae aeternae exigunt, hanc suam sententiam ita exponunt, ut quoad praxim cum aliis conveniant et tota quaestio reducatur ad diversum modum concipiendi theoretice influxum habitus caritatis in actus ceterarum virtutum infusarum. Dicunt enim influxum hunc *virtualem* tunc haberi, cum *actus* caritatis semel emissus nunquam fuerit retractatus, et in *habitu* caritatis perseveret. Huiusmodi influxum alii *obiectivum*, alii *virtualem* appellant: eumque ad meritum sufficere probant ex eo quod actus caritatis semel emissus non solum perfecte et formaliter hominem ad Deum ordinat respectu illius actus specialis, sed etiam respectu omnium actuum supernaturalium. *quamdiu* status gratiae perdurat. Nam in conversione *habituali* ad Deum, quae habetur in iusto per habitum caritatis et gratiae sanctificantis, *activus* influxus caritatis *virtualiter* perseverat. « In homine iusto (ait Gonet) perseverat habitualis et moralis conversio ad Deum tanquam effectus primae dilectionis, qua se in Deum actualiter ordinavit, quamdiu per peccatum mortale non retractatur: et sic ex vi talis dilectionis,

omnes actus boni respicientes fines bonos proximos (et supernaturales) in Deum virtualiter referuntur » (1).

In praxi igitur sufficit ut *actus* caritatis toties explicite eliciatur, quoties urget praeceptum eiusdem actus, ita ut eius omissio sit graviter culpabilis et gratiae sanctificantis amissionem inducat. Haec tandem videtur doctrina S. Thomae, quam sic lucide exponit: « Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod *actu* operatur. Nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit *semper coniuncta cuilibet actioni*, quae dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur: sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quaeratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quaerere, *quando oportet habitum caritatis exire in actum:* quia quandocumque habitus caritatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quae in ipsum ordinantur ut bona sibi. » (2).

Addimus tamen, quod licet sententia quae meritum vitae aeternae omnibus actibus supernaturalibus iusti citra influxum *actualem* caritatis adscribit, theologice probabilior et certa videtur, attamen ab omnibus concedendum est principaliorem causalitatem meriti de *condigno* actibus caritatis spectare. Hinc ad hos eliciendos atque iterandos quam maxime excitandi sunt fideles.

---

(1) *De Merito*, disp. 2, n. 154.
(2) II Dist. 40, q. 1, a. 5 ad 6.

Articulus V.

Utrum homo possit mereri primam gratiam.

Praemittenda. — 1° Exsistentia, natura, et conditioninibus meriti assertis, distinctius nunc agendum est de variis meriti *obiectis*.

Et primo quidem *supponimus*, nullum hominem *primam gratiam actualem sibi ipsi* mereri posse neque de *condigno*, neque de *congruo* etiam late sumpto per modum impetrationis. *Principium* enim meriti, ut contra Pelagianos, et praesertim contra semi-pelagianos probatum est, est *ipsa gratia*, quae igitur sub merito cadere nequit. Secus opus ordinis naturalis ad praemium supernaturale foret proportionatum (1).

2° *Supponimus* item ex iam probatis, etiam primam gratiam *habitualem* non esse obiectum meriti de *condigno*. Ad hoc enim status gratiae sanctificantis in merente omnino necessarius est.

3° Remanet itaque ut inquiramus num prima gratia *iustificationis* possit esse obiectum meriti *ex congruo*, et num *iustus* bonis suis operibus primam gratiam *alteri* saltem mereri utcumque valeat.

Et quoad *primum* quidem plures sunt inter thomistas. qui actibus peccatoris poenitentis omnem rationem meriti etiam *ex congruo* denegant (2). Hi profecto concedunt peccatorem *infallibiliter impetrare* iustificationem, quae a Deo actibus caritatis et contritionis perfectae hominis poenitentis promittitur; sed asserunt iis actibus nullum inesse valorem meriti; quia ad *meritum* etiam *ex congruo* exigi

(1) Cf. hic, art 5 et supr. pag. 118 sqq.
(2) Cf. Billuart, disp. 8. a. 5.

censent relationem *amicalem* inter merentem et Deum, quae a gratia habituali tantum effici potest.

Communiter tamen reliqui theologi, et plures etiam ex *thomistis* aliquam rationem meriti *de congruo* actibus poenitentis praeparatoriis ad iustificationem adcensent (1).

Quoad *alterum* vero omnes conveniunt iustum bonis suis operibus primam gratiam conversionis *alteri* mereri posse non quidem *de condigno,* sed ex *congruo,* utique *fallibili.* – Communem sententiam duplici conclusione asserimus.

CONCLUSIO I.

Peccator fidelis per opera poenitentiae ex Dei auxilio a, meretur de congruo iustificationem.

Probatur. — 1° *Ex S. Scriptura,* quae, ut alibi iam innuimus, sic loquitur de relatione inter opera dispositiva ad iustificationem et ipsam iustificationem, ut videatur ipsis operibus aliquam causalitatem moralem in ordine ad iustificationem tribuere. Dum enim docet: « *Eleemosynam a morte liberare, et ipsam esse quae purgat peccata, et facit invenire, misericordiam, et vitam aeternam* » (2); vel « *timorem Domini expellere peccatum* » (3) aliaque similia, manifeste insinuat his poenitentis operibus inesse virtutem aliquam potiorem ac sit in mera conditione extrinseca.

2° *Ex Patribus,* qui espressis verbis quandam meriti rationem peccatoris poenitentiae adscribunt. Sic Ambrosius loquens de Petri conversione ait: « Lacrimae veniam non postulant, sed *merentur* ». Et hinc concludit: « Et tu si vis veniam *mereri* dilue lacrimis culpam tuam » (4). Et vel ipse

(1) Cf. Sylvium in h. a.
(2) Tob. XII, 9. Cf. et IV, 11.
(3) *Eccli.* I, 27.
(4) *In Luc.* l. 10, n. 88, PL. 15, 1826,

Augustinus scribit: « Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutienes, diceret: *Domine propitius esto mihi peccatori*: Et ista confessio *meruit* iustificationem, quomodo ille coecus illuminationem » (1). Et iterum: « Sed nec ipsa remissio peccatorum *sine aliquo merito* est, si fides hanc impetrat » (2).

3º *Ex Ratione.* Licet nullus actus peccatoris mercedem a Deo *ex condigno* mereri possit, tamen attento principio supernaturali, idest auxilio Dei a quo procedunt actus *fidei, spei, poenitentiae et dilectionis* in peccatore qui ad Deum convertitur, vera inest iis actibus *proportio congruitatis* ad iustificationis gratiam. Sunt enim huiusmodi actus verae peccatoris dispositiones, quae a Spiritu S. movente ad iustitiam consequendam ordinantur.

CONCLUSIO II.

Nullus homo, praeter solum Christum, potest mereri alteri de condigno primam gratiam; sed eam tamen de congruo mereri potest alteri homo iustus.

I. **Probatur prima pars.** — Ratio fundamentalis ob quam nequeunt iusti gratiam alteri de *condigno* mereri ex eo petitur, quod deest *acceptatio* divina, quae ad meritum essentialiter requiritur, ordinans opera bona iustorum ad causalitatem moralem *ex condigno* sanctificationis aliorum. Sane, id solum potest homo *de condigno* mereri ad quod ipse movetur per gratiam sanctificantem. Atqui homo per gratiam ad hoc tantum movetur ut perveniat *ipse* ad vitam aeternam: nam gratia sanctificans datur homini iusto tan-

(1) *In Ioa.*, tract. 44, n. 13, PL. 35, 1718.
(2) Ep. 194 ad *Sixt.* c. 3, n. 9, PL. 33, 877.

quam *personale* donum cui ceu adaequatum et superabundans praemium salus eius respondet. Ergo (1).

Itaque solus Christus ut caput Ecclesiae ad tantam gratiae plenitudinem evectus est, ut haec ipsa sua gratia a Deo ordinata fuerit tanquam fons ex quo omne donum supernaturale cunctis aliis hominibus derivat et tanquam causa ex *condigno* meritoria sanctificationis omnium hominum. Ipse enim solus est: « *Auctor salutis* » (2); et « *de plenitudine eius nos omnes accepimus* » (3). « *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* » (4).

II. **Probatur altera pars.** - Potest tamen iustus suis bonis operibus, et praesertim precibus, mereri alteri de *congruo,* utique fallibili, conversionis gratiam. « Quia enim (ut arguit S. Doctor) homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est *secundum amicitiae proportionem* ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit haberi impedimentum ex parte illius cuius aliquis sanctus iustificationem desiderat » (5). Hinc S. Scriptura hortatur nos orare pro *persequentibus* et *calumniantibus* nos (6), et praesertim *pro invicem ut salvemur*, monens specialem valorem orationi iusti inesse: « *Multum enim valet deprecatio iusti assidua* » (7).

---

(1) Hic, art. 6.

(2) ἀρχηγός τῆς σωτηρίας *Hebr.*, II, 10

(3) Ioa., I, 16.

(4) *Act.* IV, 12.

(5) Hic, art. 6.

(6) Matth., V, 44; Luc., VI, 28.

(7) Iac., V, 16. Augustinus Sauli conversionem meritis et precibus S. Stephani tribuit, scribens: « Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet ». etc. *Serm.* 382, PL. 39, 1686. Idem insuper S. Doctor precibus et lacrimis matrem suam Monicam conversionem sibi obtinuisse pie confitetur. *Confess.* l. 3, c. 11, PL. 32, 691.

Articulus VI.

Utum sibi homo possit mereri reparationem post lapsum.

Inquirimus de merito iusti per respectum ad sui conversionem, si forte contingat se per subsequens peccatum gratiam sanctificantem esse amissurum. Cum enim, ut in articulo praecedenti diximus, possit iustus aliquo modo mereri *alteri* conversionis gratiam, multo magis videtur sibi in hunc finem sua bona opera prodesse. Attamen sententia S. Thomae negans connexionem meriti inter opera bona iusti et suam post lapsum reparationem communis est, et in eo quod excludit meritum *de condigno*, est saltem theologice certa. Sit itaque:

CONCLUSIO

Homo iustus nequit sibi mereri reparationem post lapsum neque de condigno, neque de congruo saltem proprie dicto.

I. **Probatur prima pars.** — Iustum per sua bona opera, quae ab ipso fiunt dum iustus est ante lapsum, non posse de *condigno* mereri novam iustificationem, arguitur:

1° *Ex doctrina Conc. Trid.* definientis *iustificationem* esse *semper* gratuitam (1). Ergo nulla proprie dicta merita praecedere eam possunt.

2° Ex eo quod cessante per peccatum statu gratiae, eo ipso interrumpitur *ius* ad praemium, in quo fundatur meritum de condigno.

3° Denique nulla adest promissio divina restitutionis amissae iustitiae ob merita anteriora, sed potius habetur

---

(1) Sess. 6, cap. 8.

divina comminatio: « *Si autem averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem... omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur* » (hebr.: non recordabuntur *illi*) (1).

II. **Probatur altera pars.** — Sed neque merito *ex congruo* stricte dicto, reparationem post lapsum sibi iustum mereri posse ostenditur ex eo, quod etiam in hac meriti ratione *proportio* quaedam *condignitatis* inter merentem et retribuentem exigitur. Iam vero in eo qui graviter lapsus est, non solum deest proportio, sed adest *positiva* indignitas. Itaque sicut ridiculum est asserere aliquem sibi mereri ut *tunc* retributio ei detur, quando *indignus* est retributionis, sic nemo asserere poterit iustum sibi mereri gratiam sanctificantem pro eo tempore quando ob lapsum in peccatum fit huius doni indignus. Egregie S. Thomas: « Meritum etiam congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur ne consequatur effectum propter impedimentum peccati in eo cui quis meretur. Multo igitur magis impeditur talis meriti efficacia per impedimentum quod est in eo *qui* meretur, et in eo *cui* meretur. Hic enim utrumque in unam personam concurrit » (2).

Scholion. — Etsi sententia Angelici negans quamcumque connexionem meriti de *congruo* inter opera iusti ante lapsum, et eius post lapsum reparationem sit communior, eaque sine dubio defendenda sit si accipiatur meritum *congrui* proprie dicti, quod nimirum fundetur etiam in *condignitate* quadam *merentis*, quam iustus per peccatum prorsus amittit; tamen, si sermo sit de merito late sumpto, quod innititur in quadam *decentia* ex parte retribuentis, dandi aliquod beneficium, attenta sua bonitate atque liberalitate, omnino probanda apparet opinio S. Bonaventurae (3),

(1) Ezech., XVIII, 24. Cf. Mariana.

(2) Hic, a. 7.

(3) « Si autem quaeratur utrum aliquis in statu gratiae exsistens possit sibi mereri primam gratiam post recidivum, et hoc orando et

Bellarmini (3), Vega (4), Suarezii (5) aliorumque qui docent iustum mereri sibi posse *ex congruo* fallibili reparationem post lapsum. Congruum enim videtur ut Deus recordetur, non obstante peccato superveniente, meritorum praecedentium, et intuitu illorum, si praesertim insignia fuerunt, peccatorem efficaciter excitet ut a peccato resurgat.

Articulus VII.

Utrum homo possit mereri augmentum gratiae et caritatis.

Praemittenda *circa obiectum meriti de condigno adaequate sumptum.* — Etsi de solo augumento gratiae et caritatis tanquam obiecto meriti *de condigno* agat hic (a. 8) S. Thomas; non abs re tamen erit de universo obiecto meriti *de condigno* breviter disserere.

Concilium Trid. ita definit obiectum veri meriti: « Si quis dixerit... iustificatum bonis operibus... non vere mereri *augmentum gratiae, vitam aeternam* et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem,

---

petendo, ut si caderet, Deus illum relevaret; dicendum quod non potest ex merito *condigni*, sed solum ex merito *congrui*. Nam meritum *condigni* implicat in se perseverantiam, pro eo quod peccatum subsequens mortificat et in oblivionem ducit bona opera prius facta ». II, Dist. 28, dub. 2, circa literam Magistri.

(3) *De Inst.*, l. 5, c. 2.

(4) *De Inst.* q. 6, ad 6.

(5) *De Gr.* l. 12, c. 38. Quin imo Suarezius admittit meritum *ex congruo* stricte dicto, praesertim si merita *antecedentia magna fuerint*, et subsequens peccatum rarum sit et excusationem aliquam ex ignorantia vel infirmitate habeat. « Merita enim bona praecedentia (ait) positive placent Deo et in eius acceptatione manent (hoc tamen sensu, quod ea reviviscant cum status iustitiae redit), et ita possunt movere Deum ad miserendum peccatoris ex *positiva decentia*, quae ad meritum de congruo sufficiat ». Ibid. n. 7.

atque etiam *gloriae augmentum*: a. s.» (1) *Triplex* itaque obiectum meriti *de condigno* distinguitur; nempe augmentum gratiae sanctificantis, vita aeterna, et augmentum gloriae. Nam, ut scite advertit Suarezius, *vita aeterna* et *aeternae vitae consecutio* non sunt duo obiecta distincta « quia mereri mercedem et solutionem mercedis non sunt duae mercedes, quia res ipsa non cadit sub meritum, nisi quatenus retribuenda est operanti, et meritum eo tendit ut obtineatur praemium... Sed quia illud praemium non statim datur, neque omnes qui illud merentur, illud consequuntur..., addidit Concilium mereri iustos vitam aeternam, non statim, neque omnibus aliquando infallibiliter reddendam absoluta infallibilitate, sed sub conditione, si in gratia decesserint» (2).

Circa triplex igitur meriti obiectum a Trid. distinctum, sit:

CONCLUSIO

Homo iustus meretur de condigno augmentum gratiae sanctificantis, primam gloriam, et augmentum gloriae.

I. **Probatur prima pars.** — 1° *Ex S. Scriptura*, quae docet per bona opera iusti augeri eius sanctitatem; et hinc iustos hortatur ut per bona opera magis sanctificentur. Sic Apostolus: « *Veritatem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* » (3). Et rursus: « *Exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem* » (4). Et Ioannes: « *Qui iustus est iustificetur adhuc;*

(1) Sess. 6, can. 32.
(2) *De Gr.* l. 12, c. 29, n. 1.
(3) *Eph.*, IV, 15.
(4) *Rom.*, VI, 19.

et sanctus sanctificetur adhuc » (1). His autem bonis operibus inesse valorem vere meritorium ulterioris gratiae sanctificantis patet ex eo quod bona opera iusti exhibentur ad instar seminis, a quo tanquam *fructus* iustitiae augmentum evolvitur. Iamvero fructus in seminis virtute tanquam in vera causa continetur. « *Nunc vero liberati* (scribit Apostolus) *a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem* (εἰς ἁγιασμόν) » (2).

2° *Ex Ratione.* – *a*) Prima ratio inde desumitur, quod virtus gratiae sanctificantis, quae bona iusti opera elevat ad dignitatem meriti beatitudinis essentialis (ut iam probatum est et mox innuetur) eo ipso eundem valorem iis confert merendi augmentum accidentale beatitudinis per intensiorem Dei visionem; et ideo debet etiam iis conferre vim merendi ex *condigno gratiae* et *caritatis* augmentum, quod est fundamentum et causa augmenti beatitudinis.

« Illud (ait S. Thomas) cadit sub merito condigni ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicuius moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis, vel gratiae... Sic igitur augmentum gratiae et caritatis cadit sub merito condigni » (3).

b) Insuper et directe augmentum gratiae subesse merito de *condigno* bonorum iusti operum ex ipsa natura rei argui potest; scilicet, hinc attenta possibilitate augmenti gratiae et caritatis, quae cum sint *habitus et virtus* semper per actus connaturales augeri possunt; inde vero considerata intrinseca proportione aequalitatis, quam opus iusti

---

(1) *Apoc.*, XXII, 11.
(2) *Rom.*, VI, 22.
(3) Hic, a. 8.

ad gratiae augmentum habet. Omnes enim conditiones ad hoc ex condigno merendum bono iusti operi insunt. tum ex parte *merentis* qui est Dei amicus, tum ex parte operis quod a gratia procedit, tum demum ex parte Dei opus illud ordinantis ad progressum motus in ultimum finem.

II. **Probatur altera pars.** — Obiectum meriti *de condigno* esse caelestem gloriam, seu vitam aeternam, iam demonstratum est (1), idque evincunt ea omnia quae hucusque attulimus ad ipsam meriti consistentiam in iusto asserendam. Testimonia enim S. Scripturae, et definitiones Conciliorum, quae de merito iusti loquuntur, semper huic merito vitam aeternam ceu proprium obiectum assignant. Itaque remanet solum nunc inquirendum, num iusti per sua bona opera non solum ius adquirant ad gloriam in genere et ad gloriae consecutionem; sed etiam utrum vere mereantur *primam gloriam*, quae *primae gratiae* sanctificanti respondet. Quaestio haec, ut patet, fieri nequit de infantibus, qui ante usum rationis baptizati, absque bonis operibus, cuius sunt incapaces, gloriam solo titulo hereditatis consequuntur. Sermo igitur est de adultis, qui per actum contritionis perfectae, vel per actualem susceptionem Sacramentorum cum debitis dispositionibus iustificantur. - Itaque longe communior theologorum sententia tenet etiam *primam* gloriam in iustificatione adultorum sub meritum *de condigno* cadere (2), paucis contradicentibus (3). Haec doctrina solide evincitur:

1° Ex *Conc. Trid.* quod varia meriti de condigno obiecta exponens, definit iustum mereri *augmentum gratiae; vitam*

---

(1) Cf. sup. p. 464 sqq.

(2) Hanc doctrinam defendunt praeter omnes thomistas Bellarminus, *De Iust.* l. 5, c. 20. - Suarez, l. 12, c. 28. - Vasquez, I, II, disp. 219, c. 2. - Valentia, 1, II, disp. 8, q. 6, punct. 4, etc.

(3) Praecipui inter hos sunt Ripalda, *De Ente Sup.*, l. 4, disp. 89, sect. 1. - De Lugo, *De Incarn.*, disp. 6, sect. 3, n. 59 sqq.

aeternam et *gloriae augmentum* (1). Itaque iusta Conc. homo iustus meretur *gloriam* et *gloriae augmentum*, dum e contra tantum gratiae *augmentum* meretur. Iam vero nulla ratio fuisset distinguendi *gloriam* et gloriae *augmentum* in obiecto meriti, nisi ipsa *prima* gloria merito subesset.

2° *Ex ratione,* quae inde deducitur quod in adulto quiiustificatur, natura prius exsurgit meritum condignum gloriae. quam determinatio in actu secundo divinae voluntatis dandi gloriam. Et equidem : in iustificatione adulti tria rationis momenta distingui possunt. In *primo* momento, seu *signo*, homo iustificandus actum contritionis vel caritatis perfectae elicit, aut cum debita dispositione Sacramentum suscipit. In *secundo* momento gratia sanctificans ei infunditur, per quam peccatum expellitur, et *actus dispositivi* a gratia ipsa veluti a forma superveniente dignificantur. In *tertio* momento Deus decernit dare gloriam et titulo hereditatis et titulo mercedis, seu meriti. Aliis verbis, iidem actus poenitentis qui *dispositivi* tantum erant ad iustificationem, statim ac per gratiae infusionem formantur atque dignificantur, fiunt meritorii vitae aeternae. Ad rem Angelicus: « Praeparatio hominis ad gratiam habendam quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae; et talis operatio est quidem *meritoria*, sed non *gratiae*, quae iam habetur, sed gloriae quae nondum habetur » (2). Neque obstat gloriam deberi duplici titulo hereditatis et meriti; prout Christo gloria *corporis* et titulo *unionis* et titulo *meriti* debita fuit (3).

III. **Probatur tertia pars.** — Gloriae quoque *augmentum*, tum gloriae *essentialis,* quae in visione ac fruitione Dei consistit, tum *accidentalis,* quae constat ceteris donis quae et animae beatae potentias, et corpus gloriosum perficiunt,

---

(1) Sess. 6, can. 32.
(2) Hic, q. 112 a. 2 ad 1.
(3) Cf. Suarez, l. c.

cadere sub meritum de condigno est corollarium primae partis huius conclusionis. Si enim vita aeterna datur tanquam *merces* bonis operibus, eaque est veluti *fructus* gratiae sanctificantis, quo maiora sunt opera bona et gratia abundantior, eo uberior ex rei natura erit merces et fructus. Hac de re hortatur Apostolus: « *Hoc autem dico: qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus* (hoc est copiose) *de benedictionibus et metet... Qui autem administrat semen seminanti... et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae* » (1).

Articulus VIII.

Utrum homo iustus possit perseverantiam mereri.

Praemittenda. — 1° Perseverantiam finalem pure *passivam,* prout habetur in pueris baptizatis, qui ante usum rationis decedunt, vel etiam perseverantiam activam *adaequate* sumptam quatenus includit totam seriem auxiliorum Dei, et ideo quoque primam gratiam, *nullimode* sub meritum neque *de condigno,* neque *de congruo* cadere, immo neque eam *impetrari* posse, *dogma fidei* est quod iam contra Semi-pelagianos vindicavimus (2).

2° Sermo itaque nunc est de perseverantia *finali adulti* prout consistit in coniunctione mortis cum statu gratiae, quam iustus adeptus est et in qua usque in finem permanet; et inquiritur num homo iustus per sua bona opera mereri sibi possit hanc finalem perseverantiam, scilicet ut ei mors contingat dum est in statu gratiae, vel ut ei den-

---

(1) II *Cor.* IX, 6. Cf. I *Cor.* XV, 41.
(2) Cf. supr. pag. 171 sqq.

tur semper ulteriores gratiae *efficaces* usque dum mors veniat.

3° Iamvero, concors omnium theologorum doctrina est perseverantiam etiam hoc modo intellectam non cadere sub meritum *de condigno,* vel de *congruo infallibili* (1).

Quin imo plerique inter thomistas qualecumque meritum etiam *congrui fallibilis* excludentes aliquam tantum vim perseverantiae *impetrativam* piis iustorum precibus concedunt. Communior tamen sententia praeter valorem impetrationis, aliquam etiam rationem meriti *ex congruo,* utique *fallibili,* bonis iustorum operibus atque orationibus attribuit.

CONCLUSIO.

Iustus non potest sibi mereri de condigno, vel de congruo infallibili perseverantiam finalem: eam tamen piis et assiduis orationibus de congruo late dicto mereri, vel saltem impetrare potest.

I. **Probatur prima pars.** — 1° *Ex Conc. Trid.*, quod non solum perseverantiam, vel gratias efficaces inter obiecta veri meriti non enumerat, sed illam appellat « *magnum donum* » « *quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere* » (2).

2° *Ex S. Scriptura,* quae nos quidem hortatur « *ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus* » (3): sed tamen nunquam bonis iustorum meritis pro-

(1) Cf. Medina in h. l. - Gonet, *De Merito,* art. 9. - Gotti, *De Merito,* q. 3, dub. 4, § 1. - Valentia, I. II, disp. 8, q. 6, punct. 4. - Ripalda, disp. 94, sect. 1. - Suarez, l. 12, c. 26.

(2) Sess. 6, c. 13, can. 16.

(3) II Petr., I, 19.

mittit obfirmationem in bono, vel restitutionem post lapsum, vel mortis adventum dum status gratiae perseverat. Quin imo saepe Apostolus fideles monet ut « *cum metu et tremore salutem operentur* » (1); et ut vigiles sint, ita ut « *qui se existimet stare videat ne cadat* » (2). Semper vel ipsi iusti non alta sapere, sed metuere debent ne et ipsis Deus non parcat, sicut Iudaeis non pepercit (3). Quo salutari metu perculsus vel ipse Paulus corpus suum castigat et in servitutem redigit, ne reprobus efficiatur (4). Haec omnia excludunt prorsus infallibilem connexionem meriti inter bona opera iusti et finalem perseverantiam.

3° *Ex doctrina Augustini.* In controversia contra Semipelagianos Augustinus totus est in eo ut probet perfectam gratuitatem « perseverantiae qua usque in finem perseveratur in Christo ». « Iamvero (scribit) quoniam de dono perseverantiae nunc agimus, quid est quod morituro non baptizato subvenitur, ne sine baptismo moriatur, et baptizato casuro non subvenitur ut ante moriatur ? » Subinde ostendit, quod nisi quis stulte et absurde velit dicere nihil prodesse cuipiam mori ante quam cadat, quia iudicabitur secundum eos actus, quos praevidetur fuisse acturus si viveret; fatendum est perseverantiam esse donum et gratiam Dei, quam nos mereri non possumus; et concludit: « Unde satis dilucide ostenditur et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissimam, eandemque iustissimam, beneficentissimam voluntatem: quoniam *quos praedestinavit, ipsos et vocavit*

(1) *Phil.*, II, 12.

(2) I *Cor.*, X, 12.

(3) *Rom.* XI, 20-21. « *Noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne forte nec tibi parcat* ».

(4) « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* ». I *Cor.*, IX, 27.

(*Rom.* VIII, 30), vocatione illa de qua dictum est: *sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei* (ibid., XI, 29). Ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc saeculo exierit; in hac autem vita humana *quae tentatio est super terram* (Iob., VII, 1), *qui videtur* stare, videat ne cadat (1).

4° *Ex ratione.* Perseverantiam finalem non cadere sub merito *de condigno* duplici argumento omnes thomistae post Angelicum probant.

a) Et primo quidem arguunt ex eo, quod si perseverantia esset obiectum meriti *de condigno*, eo ipso iustus sibi mereretur *confirmationem in gratia,* vel certe restitutionem post lapsum tempore mortis. Hoc autem dici nequit, quia constat « multos qui habent opera meritoria non consequi perseverantiam » (2). Et sane, id quod cadit sub merito *de condigno* ita Deus retribuit, ut tamen idipsum quandoque neget, si videlicet in homine obveniat impedimentum peccati letalis. Hinc vitae aeternae consecutio, quam iustus *ex condigno* meretur, per subsequens peccatum mortale impeditur. At vero si perseverantia est obiectum meriti *de condigno,* ob nullum subsequens peccatum ea impediri posset, quia meritum *de condigno infallibilem* cum praemio connexionem habet. Deberet itaque Deus ut *iuri* quod iusto ex suo merito de *condigno* provenit satisfaceret, ipsum in gratia confirmare, vel post lapsum relevare usque dum mors illi in statu gratiae contingat (3).

b) Altera ratio desumitur ex eo quod perseverantia

---

(1) *De Dono Persev.*. c. 13, n. 30, PL. 45, 1012.

(2) Hic, art. 9.

(3) « Nec potest dici (scite arguit S. Doctor) quod hoc fiat (nempe quod multi iusti perseverantiam non consequantur) propter impedimentum peccati; quia hoc ipsum quod est peccare, opponitur perseverantiae; ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in peccatum ». Ibid.

finalis non tam est *terminus* meriti, sed est *principium* et *causa* meriti; hinc nequit esse obiectum meriti, prout dicimus de *prima* gratia, quam nemo mereri potest, eo quod meritum est *effectus moralis* gratiae. - Esse autem perseverantiam *principium* meriti inde arguitur quod ea *unice* pendet a divina *motione,* quae est principium omnis meriti (1). Perseverare etenim (ut explicant thomistae post Caietanum) includit non interruptum Dei auxilium ac specialem providentiam qua iustus in gratia conservatur atque ita dirigitur ut dum in sua iustitia perseverat finem vitae recipiat. Est itaque perseverantia veluti *motio* Dei *conservativa* gratiae, et *continuatio primae* gratiae a Deo infusae; et ideo *entitative* considerata est ipsa *prima* gratia continuata, quae omne meritum antecedit. Sicut igitur nemo potest sibi mereri *conservationem in esse,* quia conservatio in esse est ipsa *creatio continuata*, quae non cadit sub merito, ita nemo, etsi insigniter iustus sit, potest mereri de condigno perseverantiam, quae est *primae* gratiae conservatio (2).

c) Praesertim vero arguimus ex defectu *promissionis* divinae quae ceteroquin praesupponitur ceu fundamentum in prima ex adductis rationibus. Argumentum enim quod secundo loco affertur et cui thomistae maxime insistunt, ostendit quidem perseverantiam, quatenus includit *primam gratiam*, non cadere sub merito; attamen non *perēmptorie* forte evincit iustum post adeptam gratuito iustitiam, et post adquisitum cum ipsa iustificatione *ius* ad sufficientia auxilia Dei, quibus peccata vitare *possit*, nequeat mereri bonis

(1) « Illud (ait Angelicus) cadit sub humano merito quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente sicut *terminus*, non autem id quod comparatur ad praedictum motum sicut principium. Unde patet quod... perseverantia non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quae est principium omnis meriti ». Ibid.

(2) Cf. Caietanum, in h. art. - Gonet, l. c.; Gotti, l. c.

suis operibus gratias *efficaces,* quibus de facto perseveret. Qui enim mereri potest augmentum gratiae sanctificantis, etiam gratias actuales quae ad iustitiam conservandam sunt *media necessaria,* mereri posse videtur. Attenta namque *natura rei,* Deus utique potuisset connexionem meriti inducere inter opera bona a iusto ex gratia facta et inter ulteriora auxilia efficacia. Neque valet explicatio a thomistis adducta, qua asserunt perseverantiam esse *entitative primam* gratiam continuatam. Si hoc enim nimis urgeatur, aeque excludi oporteret ab obiecto meriti *de condigno* etiam *augmentum gratiae* sanctificantis; et insuper perseverantia non solum non caderet sub merito *de condigno,* sed neque sub merito *de congruo* late sumpto (quod tamen plures inter ipsos thomistas admittunt); immo neque eadem *impetrari* precibus posset, contra communem vel thomistarum doctrinam; prout, omnibus fatentibus, *prima* gratia nullius meriti vel impetrationis terminus esse potest (1).

Ratio itaque potissima ex eo sumenda est, quod hinc liberum arbitrium hominis etiam post adeptam iustificationem *flexibile* manet et in malum mutabile; inde autem quod nulla promissio Dei allegari possit, qua gratia efficax perseverandi bonis iusti operibus danda statuatur.

Spondetur quidem perseverantibus usque in finem

---

(1) « Secundae rationis a S. Thoma adductae minor (scribit GREGORIUS DE VALENTIA) non est sufficienter probata. Recte enim fieri potest, ut quod ex gratiae motione pendet, sit terminus motionis gratiae. Nam augmentum gratiae, ex gratiae motione pendet, hoc ipso quod in meritum ex condigno cadit, et tamen bene intelligitur quemadmodum sit terminus motionis gratiae. Ergo pari ratione etiamsi continuatio bonorum operum sine peccato mortali usque ad mortem, pendeat ex motione gratiae, intelligi tamen potest esse quidam gratiae terminus qui proinde nisi aliud obstaret, cadere posset in meritum de condigno ». Disp. 8, q. 6, punct. 4.

corona vitae (1); sed nullibi promittitur iustis perseverantia in bono usque ad finem vitae.

II. **Probatur secunda pars.** — Perseverantiam sub meritum *de congruo fallibile* cadere, est satis communis theologorum sententia (2).

Et sane; quaedam profecto proportio adest inter opera bona iustorum humilesque eorum preces et largitionem gratiarum efficacium quibus finalis perseverantia obtinetur: iustus enim elevatur ad statum supernaturalem per gratiam habitualem, quae est in eo tanquam principium *quo* radicale actuum supernaturalis vitae. Si igitur ipse cooperetur auxiliis vere et relative sufficientibus ad quae ex eadem gratia sanctificante ius adquirit, et Deo filiales preces assidue perfundat ad efficaciora in dies et quando magna urget tentatio vel grave instat praeceptum auxilia obtinenda; nihil deesse videtur quominus his bonis ipsius actibus aliquam rationem meriti *ex congruo* inesse dicamus.

Dato autem quod perseverantia neque sub meritum *ex congruo* cadat, omnes tamen concedunt eam a iustis humiliter impetrari posse, iuxta Augustini dictum: « Hoc Dei donum suppliciter emereri potest » (3).

Articulus IX.

Utrum temporalia bona cadant sub merito.

Praemittenda. — 1° Inter omnes theologos catholicos convenit non solum iustos sed etiam peccatores et infi-

(1) « *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* ». *Apoc.*, II, 10.

(2) Cf. Suarez, l. 12, c. 26; Ripalda, disp. 94, sect. 1; Valentia, l. c.; Berti, *De Theol. Discipl.*, l. 19, c. 8, etc.

(3) *De Dono pers.* c. 6, n. 10, PL. 45, 999. - Suarez *infallibilem* efficaciam impetrandi perseverantiam piis et assiduis iustorum preci-

deles honestis factis temporalia bona *ex congruo* quadantenus promereri posse; quod et S. Scriptura testatur de obstetricibus Aegyptiorum (1); de rege Nabuchodonosor alisque (2). Hac etiam ratione Augustinus censet Romanos ob bonas virtutes civiles mundi imperium a Deo obtinuisse (3). Verum, hic sermo est de merito *de condigno* quod in hominibus iustis tantum inveniri potest; et inquiritur, num huius meriti obiectum esse possint bona temporalia.

2° Iamvero huiusmodi bona sub duplici adspectu considerari possunt; nempe vel in seipsis *entitative*, prout connaturaliter conveniunt humanae naturae eiusque indi-

---

bus inesse affirmat: « Mihi dicendum videtur (ait) duobus modis intelligi iustum mereri, vel impetrare donum perseverantiae. *Primo* per unum actum vel plures in certo tempore, vel usque ad certum instans vitae factos, impetrando perseverantiam, et quasi confirmationem in gratia pro reliquo tempore vitae. *Secundo* successive per totum vitae tempus quasi per partes perseverantiam impetrando, v. gr., nunc impetrando auxilium efficax ad non cadendum in praesenti occasione, et post illam iterum orando et impetrando aliud auxilium ad servandum praeceptum iterum occurrens, et sic consequenter semper orando et nunquam deficiendo. Dico ergo priorem modum merendi et impetrandi non esse infallibilem... Dicimus secundo iustum, perseverando debito modo in orationis instantia et frequentia, posse successive, *infallibiliter* obtinere perseverantiam usque ad mortem. Perseverantia orationis in tali materia requisita est, ut non semel tantum aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitae duret, et praesertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata, aut vincendi tentationes cum debita fiducia repetatur ». *De Gr.* l. 12, c. 38, n. 14. - Probat autem hanc infallibilitatem his precibus convenire, non quidem *ratione sui,* hoc est ex ex merito quodam proprio, licet ex congruo, illis intrinsece inhaerente; sed tantum ex promissione divina, secundum quam si petimus accipiemus. Attamen hoc insuper addi debet, ex parte quidem promissionis divinae infallibilem esse orationis piae et assiduae efficaciam; non autem ex *parte nostra,* eo quod ab assidua et humili oratione deficere possimus.

(1) *Exod.*, I, 20-21.

(2) Ezech., XXIX, 19-20.

(3) *De Civit. Dei*, l. 5, c. 15 sqq., PL. 41, 160. Cf. inter Opuscula S. Thomae, *De Regim. Princ.*, l. 3, c. 5.

gentiis atque desideriis; vel *relative* ad iustum, quatenus iustus est, hoc est prout sunt vel esse possunt media, quibus homo iuvetur ad bonum supernaturale et ad beatitudinis consecutionem. Itaque communis theologorum doctrina, post D. Thomam, affirmat etiam bona temporalia sub hoc altero respectu considerata, esse posse terminum meriti *de condigno* (1).

CONCLUSIO.

Bona temporalia secundum se spectata non cadunt simpliciter sub merito; quatenus autem ea iustum adiuvant ut ad beatitudinem perveniat, cadunt sub merito simpliciter et directe.

I. **Probatur prima pars.** — 1° *A priori.* Bona temporalia in se considerata, sunt intra ordinem naturae tantum; nequeunt igitur habere rationem praemii et *finis* respectu ad opera supernaturalia iustorum, quae a gratia et caritate procedunt. His enim operibus tanquam proprius finis respondet vita aeterna et ea quae ad vitam aeternam conducunt. Hinc temporalia bona non a Deo dantur iustis quasi per se ipsa sint praemium et finis eorum meritis, sed quando expedit conceduntur et veluti consequenter adiiciuntur secundum illud: « *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius; et haec omnia adiicientur vobis* » (2).

2° *A posteriori.* Si temporalia bona (arguit Angelicus) in se spectata caderent sub meritum proprie dictum, seu *de condigno,* maiori semper copia his potirentur iusti quam peccatores. Sed ut vel ipsa experientia quotidiana constat, bona temporalia et mala similiter se habent ad bonos et ad ma-

(1) Hic art. 10. Cf. Gonet, l. c., art. 10.
(2) Matth., VI, 33.

los secundum illud: « *Universa aeque eveniunt iusto et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti* » (1). Ergo haec bona in se non sunt obiectum meriti.

II. **Probatur secunda pars.** — « Si temporalia bona (ita hic S. Doctor) considerentur prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, *directe* et *simpliciter* cadunt sub merito, sicut et *augmentum gratiae et omnia illa, quibus homo adiuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam.* Tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam ». Et sane iustus, qui meretur *de condigno* finem supernaturalem, idest beatitudinem, potest etiam eo ipso mereri media quae ad hunc finem perducunt (2). Ex hoc itaque concludimus; quod cum in S. Scriptura promittuntur iustis bona temporalia, et cum dicitur: « *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* » (3); vel: « *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem* » (4): non ita haec promissio intelligenda est, quasi iusti quo magis pie se exercent, eo abundantiorem horum bonorum copiam recipiant, neque his unquam destituantur; sed hoc sensu exponenda est, quod tantum de his bonis eis Deus retribuat, quantum necesse est ut adiuventur ad beatitudinem consequendam; fieri enim potest ut vel ipsae aerumnae quandoque in hunc finem hominibus iustis magis prosint. Ceterum, verum semper est quod Apostolus testatur: « *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* » (5).

(1) *Eccl.* IX, 2.
(2) Cf. Gonet, *De Merito*, c. 10.
(3) *Psal.* XXXIII, 11.
(4) Ibid. XXXVI, 25.
(5) *Rom.* VIII, 28.

Scholion. — Principium illud quod statuit S. Thomas, scilicet: « *sub merito directe et simpliciter cadere omnia illa quibus homo adiuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam* » applicari posse videtur etiam merito auxiliorum *sufficientium*. Haec enim potiori iure ac bona temporalia, sunt media conducentia, et imo necessaria ad vitam aeternam. Hinc non solum pia, sed etiam probabilis apparet sententia quorundam theologorum affirmantium iustos per bona opera, quibus merentur *de condigno* augmentum gratiae, mereri etiam gratias necessarias quibus *possint* evitare peccata et in accepta iustitia perseverare (1). « At vero (scribit Suarez) de auxiliis sufficientibus ac necessariis, quae post aliquod meritum *de condigno* augmenti gratiae dantur, vel offeruntur, probabile est concomitanter cadere sub idem meritum *de condigno* augmenti gratiae; nam qui meretur *de condigno* aliquam formam, meretur quidquid connaturaliter sequitur ex tali forma, vel ei connaturaliter debetur... Sed haec auxilia necessaria debentur gratiae et cuilibet gradui eius: Ergo qui meretur de condigno gratiae augmentum, consequenter etiam et eodem modo haec auxilia meretur. Neque contra hoc obstat... quod haec auxilia dantur ut principium subsequentium operationum, quia dantur ut principia actualia connexa priori principio habituali; et quia illud principium, saltem quoad augmentum gratiae, est terminus prioris meriti, ideo etiam illa auxilia sub hac ratione possunt etiam esse terminus proximus, vel ut ita dicam, conterminus praecedentis meriti *de condigno* » (2).

Licet autem plerique theologi negent iustos de condigno haec auxilia mereri posse, saltem prout sunt efficacia,

---

(1) Cf. VALENTIA, l. II, disp. 8, q. 6, punct. 4. - BECANUS, l. c. - SUAREZ, l. 12, c. 26. etc.

(2) l. c., n. 27.

eo quod deest acceptatio et ordinatio operum iustorum ad illa promerenda; attamen omnes, ut iam innuimus, concedunt iustos ea certo obtinere posse vel *de congruo*, vel saltem *per modum impetrationis*, si ii bonis operibus humiles atque assiduas preces addant, ut S. Scriptura hortatur: « *Oportet semper orare et non deficere* » (1). Omnes enim iusti (ut monet Conc. Trid.): « *in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere debent* » (2). Itaque ista orandi ratio, qua petimus Deo « *ne nos inducat in tentationem* », si perseveranter a iustis fiat cum fiducia impetrandi divina auxilia, quae necessaria sunt ad superandas tentationes et divina praecepta adimplenda, ob ipsam *vim* et *efficaciam*, quae orationi inest ex Dei promissionibus, effectum consequetur. Quibus innixus S. Alphonsus suum *De necessitate orationis* tractatum his verbis concludit: « Orate; sine intermissione orate: si oraveritis certo salvabimini; si non oraveritis certo damnabimini » (3). Et equidem, ut Augustinus arguit: « Cum constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, *alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam;* profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat » (4). Et subinde concludit: « Hanc (perseverantiam) quotidie poscit qui dicit: *ne nos inferas in tentationem* (Matth., VI, 13): et si exauditur hanc accipit: ac per hoc quotidie ut perseveret petens profecto perseverantiae suae spem non in seipso, sed in Deo ponit. Ego autem nolo exagerare meis verbis; sed illis (Semi-pelagianis) cogitandum potius relinquo ut videant

---

(1) Luc. XVIII, 1. Cf. *Eccli.* XVIII, 22; I *Thess.*, V, 17.

(2) Sess. 6, cap. 13.

(3) « *Pregate, pregate, pregate; e non lasciate mai di pregare: Se pregherete, certamente vi salverete; se non pregherete, certamente vi dannerete* ». *Op. Omnia*, edit. Taurin. 1880, vol. II, pag. 618.

(4) *De Dono persev.*, cap. 16, n. 39, PL. 45, 1017.

quale sit quod sibi persuaserunt: praedicatione praedestinationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis afferri. Hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, *quando spem suam non in seipso, sed in Deo dicerit ponere* » (1).

---

(1) Ibid., c. 17, n. 46. PL. ibid., 1021.

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS RERUM

(NUMERI PAGINAS INDICANT)

los primeros principios; estudio profundísimo de la materia y de los autores que la han tratado, erudición copiosa y variada: tales son las cualidades que resplandecen en el magnífico tratado ».

(*La Ciudad de Dios,* Madrid 1897, n. 1).

« The first volume may be said to exhaust all that has been written so far on the subject of supernatural revelation ... »

(*The Month*, London 1897, May).

De inspiratione Sacrae Scripturae. Auctore CHRISTIANO PESCH S. J. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. 8° (XII et 654 p.) *Fr.* 11.—.

Cum de inspirationis dogmate nostra aetate acres disputationes ortae sint, auctor ea, quae per multos annos de hac re collegerat, publici iuris facere decrevit. Aget autem duobus libris, altero historico, altero dogmatico, non de Ecclesiae tantum doctrina eiusque argumentis, vel adversariis, sed totam huius dogmatis historiam inde a fide veteris Synagogae usque ad nostra tempora, eius successivam explicationem, casus, quos subiit, item disputationes de hoc dogmate ortas, dubitationes et quaestiones, quae de eo motae sunt vel moveri possunt, brevi ea omnia, quae ad hanc doctrinam omni ex parte cognosceadam pertinere merito censentur, proponere, discutere, illustrare, quantum valet, conabitur, ut hac ratione aliquid conferat ad libris divinis debitum amorem, honorem, studium conciliandum. Non erit liber usui scholarum destinatus, sed amplior de Inspiratione tractatus, quam nunc usque in lucem editus est.

Institutiones theologicae de Sacramentis Ecclesiae. Auctore J. B. SASSE S. J. Cum approbatione Rev. Vic. Cap. Friburg. et Super. Ordinis. 2 volumina. 8° (XXXVI et 1084 p.) *Fr.* 19.—; a dorsis corio relig. *Fr.* 24.—

« ... La fin de l'œuvre du P. Sasse ne le cède point à la première partie dont nous avons rendu compte en son temps; nous y retrouvons la même exactitude doctrinale, la même érudition sévèrement contrôlée et principalement une égale limpidité de méthode. Ce souci d'une parfaite clarté d'exposition est bien le caractère personnel du P. Sasse; sous ce rapport, il n'a été égalé par aucun des grands auteurs qui ont écrit avant lui sur la théologie sacramentaire ... »

(*Revue des Sciences ecclésiastiques,* Lille 1899, n. 473).

« ... The doctrine is clearly set forth, and references to the Fathers are numerous and pertinent. In fact, the author never neglects the positive side of his treatise, as the erudition displayed throughout the work goes to prove. The opinions of theologians are quoted and given due consideration, so that a student applying himself to the study of the various questions treated by the author is furnished with no meagre literature...

« The divisions are well mapped out, the style is clear and concise, and the whole work commends itself to a student's attention ... »

(*The Catholic University Bulletin,* Washington 1899, n. 2, April).

« Apenas habrá cuestión escolástica de algún interés, que no se encuentre aquí plenamente desarrollada ».

(*El Tiempo,* México 1897, n. 4135).

« Lo que el autor de este volumen llama con modestia explicaciones de cátedra, constituye un tratado completo de doctrina teológica sobre materia de tan capital importancia como los Sacramentos... Muy pocas son las obras teológicas que puedan leerse y consultarse con tanto fruto como la presente ».

(*La Ciudad de Dios,* Madrid 1897, n. 1).

Tractatus de virtutibus infusis. Auctore P. SANCTO SCHIFFINI, S. J. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. 8° (XII et 696 p.) *Fr.* 11.—; a dorso corio relig. *Fr.* 13.75 —

« ... A quiconque veut acquérir une doctrine sure ou compléter ses connaissances en ces doctrines si importantes au point de vue spéculatif et au point de vue pratique, nous ne pouvons recommander de meilleur guide que le présent traité *De virtutibus infusis.* »

(*Revue Bénédictine,* Maredsous 1904, n. 4).

« ... Clearness, order and precision of ideas, proofs which abound in solidity and logical vigour, evidence of reading, wide yet well-digested, a grace and ease of style too often missing from theological text-books, and a close

adherence to the true teaching of the Angelic Doctor; all these are outstanding features... »

(*The Dublin Review*, London 1904, October).

«... Distínguese el P. Schiffini entre los autores modernos de teología, por el carácter filosófico que sabe imprimir á la doctrina teológica; de aquí la precisión en los conceptos, así como la claridad y lucidez en la exposición y demonstración de sus proposiciones. A todo esto agrégase una corrección y hasta elegancia de lenguaje y de estilo nada comunes en los tratadistas de teología... »

(*La Ciudad de Dios*, Madrid 1904, 5 de Marzo).

Tractatus de gratia divina. Auctore P. SANTO SCHIFFINI S. J. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Praepositi Generalis Soc. Jesu. 8° (x et 704 p.) *Fr.* 10.50; a dorso corio relig. *Fr.* 13.—

« Inter recentiores tractatus *De divina gratia* eminet hoc opus luciditate conceptuum, stili perspicuitate, ordine quo materia distruibuitur et digeritur, cura qua cl. a. iugiter studet adamussim definire statum quaestionis, ac potissimum amplitudine, quippe nullam ferme praetereat ex quaestionibus, quae moveri possunt circa rem de qua disserit... »

(*Divus Thomas*, Placentiae, 1901, n. 2).

»... The *Tractatus* is marked with the limpidity of thought, grace of style, conciseness of language and weight of argument which have ever been visible in the learned Jesuit's handiwork. One noteworthy feature is the masterly manner in wich he solves the difficulties, which are real difficulties and not men of straw, and evidence of this fact is to be met with throughout the entire volume...»

(*The Dublin Review*, London 1902, n. 260).

«... Las cualidades de claridad, orden y precisión en los conceptos; de solidez y vigor lógico en la pruebas, tomadas de todas las fuentes teológicas; de concisión, fluidez y tersura en el estilo, que hizo ya patentes el autor en sus diversas obras, brillan igualmente en este tratado. Será difícil encontrar obra más completa, y al mismo tiempo más breve, clara y concísa, en asunto de tanta trascendencia... »

(*Razón y Fe*, Madrid 1901, n. 12).

« Dans ce traité de théologie on retrouve les qualités maîtresses des œuvres philosophiques précédemment publiées par le savant professeur: la clarté de l'exposition, la profondeur des aperçus, la finesse de la dialectique; l'ordonnance impeccable des matières... »

(*Les Etudes*, Paris 1901, 5 Avril).

Doctrinam XII apostolurum. ΔΙΔΑΧΗ ΤΩΝ ΔΩΔΕΚΑ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ. Una cum antiqua versione latina prioris partis *De duabus viis* primum edidit IOSEPHUS SCHLECHT. 8° (24 p.) *Fr* 1 25.

« Thesaurum pretiosum, amice lector, hic Tibi trado saeculorum oblivione absconditum, nempe versionem latinam clarissimae quae vocatur doctrinae XII Apostolorum pervetustam, quam in codice saeculi XI olim apud domum S. Mariae et S. Corbiniani nostram custodito, nunc autem ad regiam bibliothecam Monacensem pertinente, pie conscriptum inveni. Quamvis minorem totius operis partem de duabus viis in se contineat, illa sex capita dico, quibus lex divina sub specie utriusque viae describitur, tamen propter suam originem et usum liturgicum in Ecclesia Romana catholica nec non ob venerabilem antiquitatem, quae codicis Graeci et ipsius saeculo XI conscripti aetatem aequiparat, maximi momenti eam esse neminem fugiet...

(Ex Praefatione).

Accuratam Monacensis olim Frisingensis codicis descriptionem, tabulas arte photographica expressas videas in maiore editione: « Doctrina XII apostolorum. Die Apostellehre in der Liturgie der katholischen Kirche ». In-8 (XVI et 144 p). Fr. 6,25.

Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus. Enarravit G. SCHNEEMANN S. J. Accedunt opuscula inedita LEONARDI LESSII et IOSEPHI KLEUTGEN, eiusdem Societatis theologorum, atque exemplum phototypicum autographae Pauli V relationis Cum approb. Rev. Vic. Gen. Friburg. 8° (VIII et 492 p.) *Fr.* 10.—